



IDAD A
CCIÓN C

1751

PROSODIUM

PROSODIUM

PROSODIUM

BX1751

.B6

1850

v.1

c.1

José Angel Benavides.



B#2-6442

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECA



INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS I.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ²³

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

11

~~23~~

BIBLIOTECA
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ina
ita

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J.-B. BOUVIER,

EPISCOPO GENOMANENSI.

SEPTIMA EDITIO, ACCURATE EMENDATA.

ACCEDIT RERUM INDEX GENERALIS ALPHABETICUS.

TOMUS PRIMUS.

DE VERA RELIGIONE. — DE VERA ECCLESIA.



PARISIIS,
APUD MEQUIGNON JUNIOREM,

J. LEROUX, JOUBY ET SOCIOS, SUCCESSORES.

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLAS,

Via Majorum Augustinianorum, 9.

M DCCC L

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitas

DE L'IMPRIMERIE DE BEAU, A SAINT-GERMAIN-EN-LAYE.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MONITUM AUCTORIS

CIRCA PRÆSENTEM EDITIONEM.

Quando divina Providentia, omnia viis sæpe inscrutabilibus disponens, permisit ut, anno 1811, e collegio in quo philosophiam docebamus, ad diocesanum vocaremur seminarium, ibique munere theologiam docendi fungeremur, egre videbamus alumnos incompletum et valde insufficientem præmanibus habere librum theologicum. Per additamenta manuscripta ei supplere tentavimus: integros Tractatus novo juri accommodatos composuimus ac dictare cœpimus.

Sed multa inde nasci incommoda statim advertimus, videlicet temporis jacturam, tedium in alumnis, eorum fatigationem, sanitatis detrimentum, codices imperfectos, sæpe incorrectos, contradictoria aut falsa continentes. Hujusmodi malis, pro posse nostro, occurrere volentes, consilium iniimus, annis 1818 et 1819, Tractatus *de Restitutione et de Contractibus* prælis man-

37783

dandi et in lucem edendi. Successu prævisionem nostram longe superante, alios de anno in annum dedimus Tractatus, qui multas obtinuerunt editiones.

A pluribus annis inerat nobis propositum collectionem Tractatum, seu Cursum theologicum junioribus seminariorum candidatis destinatum perficendi; et, per brevissima temporis momenta ab aliis gravissimi ponderis negotiis continuo renovatis libera, huic scopo dabamus operam. Subito, præter expectationem nostram et contra omnem verisimilitudinem, conditio nostra fuit prorsus immutata, et vix paucissima quædam nobis remanserunt instantia studio theologiæ et scriptis episcopali ministerio extraneis vacandi.

Cum tamen tunc temporis, anno 1834, non superessent exemplaria alumnis seminarii nostri pro anno scholastico proxime incipiendo necessaria, angustiis undique nascentibus premebamur. Oportebat enim aut plures sejunctos Tractatus de novo imprimendos curare, aut totam collectionem, licet nondum absolutam, edere. Maturo examine in anxietate peracto secundam potius amplectendam esse partem duximus.

Prima igitur hujus operis editio anno 1834, versus finem, in lucem prodiit. Ab eo tempore plures alias successive dedimus auctas et, quantum nobis licuit, emendatas. Nunc emittimus

septimam sedulo revisam, pluribus in punctis emendatam, auctam vel mutatam. Sic, in Tractatu *de vera Religione*, quæ ad scientias naturales et præsertim ad geologiam pertinent, reformari debuerunt; in Tractatu *de vera Ecclesia*, notæ in alio et clariori ordine fuerunt institutæ; in sequentibus Tractatibus, *de Fide*, *de Trinitate*, *de Incarnatione*, *de Gratia*, etc., dogmatis expositionem theologicasque demonstrationes elucidare firmioresque efficere conati sumus. Data occasione, sedulo et quantum per tempus et spatium nobis licuit, regulas canonicas variasque decisiones, quarum plures ad nosmetipsos directæ fuerant, emisimus. Hæc additamenta, quæ, post attentam discussionem, afferenda judicavimus, præsertim in Tractatibus *de Eucharistia*, *de Ordine*, *de Matrimonio*, *de Decalogo*, reperientur. Tandem, in Tractatibus *de Contractibus*, *de Jure*, *Justitia et Restitutione*, quædam emendavimus, alia meliori ordine statui-mus, pluraque documenta, nobis petentibus à legisperitis recenter tradita, adjunximus.

Uno verbo, nihil, quantum in nobis fuit, prætermisimus quo perfectiones nostræ *Institutiones* evaderent, fierentque, non solum theologiæ, sed etiam juris canonici et ecclesiastici, imo et civilis, in iis quæ noscere nostra interest, verum manuale, unde juniores alumni ipsique sacerdotes notiones omnes sibi necessarias prin-

cupiaque ad solvendas difficultates sæpius occurrentes haurirent.

Quoniam *Institutiones* nostras *philosophicas* sic ordinatas esse volumus, ut earum studium sit conveniens præparatio ad theologiam, ad 8^{am} illarum editionem remittimus pro thesibus hic omissis, ad Deum, ejus attributa, Creationem, Angelos et partem religionis quæ dicitur naturalis respicientibus.

Si quid minus rectum nobis exciderit, fortiter improbamus, semper parati judicio sanctæ Sedis apostolicæ ac collegarum nostrorum in episcopatu obtemperare, nec non monita a quocumque ad nos directa grato animo suscipere.

THEOLOGIÆ PROLEGOMENA.

Theologia, a verbis Græcis *θεος*; et *λογος*; veniens, idem significat ac *sermo de Deo*, et recte definitur: *Scientia de Deo et rebus ad Deum pertinentibus*.

1^o Dicitur *scientia*, quia conclusiones ex principiis certis deducit et corpus doctrinæ efformat.

2^o Dicitur *de Deo*, sive per rationem, sive per revelationem cognito; et his verbis primarium assignatur theologię objectum.

3^o Dicitur *de rebus ad Deum pertinentibus*; non solus enim Deus, sed res omnes ad Deum spectantes et quatenus ad Deum spectant consideratæ, secundarium sunt theologię objectum.

Theologia dividitur 1^o in naturalem et supernaturalem. Theologia *naturalis* ea est quæ ex principiis naturalibus deducitur, seu quæ spectat ad Deum et res ad Deum pertinentes quatenus sola ratione cognoscuntur, id est independenter a revelatione secundaria, aut quatenus rationeprehenduntur in natura rerum fundatæ. De hujusmodi Theologia in Metaphysica et Ethica sufficienter disserimus. Theologia *supernaturalis* illa est quæ, licet humano modo acquisita et sub hoc respectu naturalis, ex principiis supernaturalibus deducitur. Nihilominus est *scientia*, tum quia principia supernaturalia sunt certa et evidenter credibilia, tum quia conclusiones ex illis certo et evidenter deducuntur. De hujusmodi Theologia in hoc opere nobis agendum est.

Dividitur 2^o in dogmaticam et moralem. *Dogmatica* tradit, explicat ac defendit credenda. *Moralis* vero disserit de agendis et ad mores pertinentibus.

Dividitur 3^o in positivam et discursivam. *Positiva* illa

cupiaque ad solvendas difficultates sæpius occurrentes haurirent.

Quoniam *Institutiones* nostras *philosophicas* sic ordinatas esse volumus, ut earum studium sit conveniens præparatio ad theologiam, ad 8^{am} illarum editionem remittimus pro thesibus hic omissis, ad Deum, ejus attributa, Creationem, Angelos et partem religionis quæ dicitur naturalis respicientibus.

Si quid minus rectum nobis exciderit, fortiter improbamus, semper parati judicio sanctæ Sedis apostolicæ ac collegarum nostrorum in episcopatu obtemperare, nec non monita a quocumque ad nos directa grato animo suscipere.

THEOLOGIÆ PROLEGOMENA.

Theologia, a verbis Græcis *θεος*; et *λογος*; veniens, idem significat ac *sermo de Deo*, et recte definitur: *Scientia de Deo et rebus ad Deum pertinentibus*.

1^o Dicitur *scientia*, quia conclusiones ex principiis certis deducit et corpus doctrinæ efformat.

2^o Dicitur *de Deo*, sive per rationem, sive per revelationem cognito; et his verbis primarium assignatur theologiæ objectum.

3^o Dicitur *de rebus ad Deum pertinentibus*; non solus enim Deus, sed res omnes ad Deum spectantes et quatenus ad Deum spectant consideratæ, secundarium sunt theologiæ objectum.

Theologia dividitur 1^o in naturalem et supernaturalem. Theologia *naturalis* ea est quæ ex principiis naturalibus deducitur, seu quæ spectat ad Deum et res ad Deum pertinentes quatenus sola ratione cognoscuntur, id est independenter a revelatione secundaria, aut quatenus rationeprehenduntur in natura rerum fundatæ. De hujusmodi Theologia in *Metaphysica* et *Ethica* sufficienter disserimus. Theologia *supernaturalis* illa est quæ, licet humano modo acquisita et sub hoc respectu naturalis, ex principiis supernaturalibus deducitur. Nihilominus est *scientia*, tum quia principia supernaturalia sunt certa et evidenter credibilia, tum quia conclusiones ex illis certo et evidenter deducuntur. De hujusmodi Theologia in hoc opere nobis agendum est.

Dividitur 2^o in dogmaticam et moralem. *Dogmatica* tradit, explicat ac defendit credenda. *Moralis* vero disserit de agendis et ad mores pertinentibus.

Dividitur 3^o in positivam et discursivam. *Positiva* illa

est quæ in explicando sensu Scripturarum, traditionum, definitionum conciliorum et summorum Pontificum decretorum occupatur, qualis fuit Theologia SS. Patrum aliorumque Scripturæ sacræ et sacrorum canonum interpretum; vocaturque *positiva*, quia ponit fundamenta totius religionis et argumentorum theologicorum. *Discursiva* ea est quæ artificiosa methodo de Deo rebusque divinis disserit, per oppositionem ad positivam, quæ sola Scripturæ sacræ, Patrum ac conciliorum lectione obtinetur. Dicitur etiam *scholastica*, quia in scholis usurpatur, et a doctoribus in scholis docentibus fuit introducta, in octavo sæculo apud Græcos a S. Joanne Damasceno, et undecimo sæculo apud Latinos a S. Anselmo, Cantuariensi episcopo, quem secuti sunt Petrus Lombardus, episcopus Parisiensis, vocatus Magister Sententiarum, S. Thomas, cui cognomen Doctor angelicus, etc.

Theologia dicitur etiam *ascetica*, *mystica*, *casuistica*, *liturgica*; *exegetica*, si verum Scripturæ sensum investigat; *patriistica*, si argumenta sua ex scriptis SS. Patrum præcipue eruat; *symbolica*, *synodica*, si ex conciliorum seu synodorum decretis conclusiones deducat; *homilistica*, *catechetica*, *historica*, quæ voces facile intelliguntur.

His notatis, breviter dicemus 1^o de necessitate Theologiæ, 2^o de locis theologicis, et 3^o de historia Theologiæ.

DE NECESSITATE THEOLOGIE.

1^o Theologia, generatim spectata, necessaria est Ecclesiæ; tradit enim dogmata, ea probat, confirmat, elucida, defendit, quacumque utatur via: morum præcepta assignat, explicat, a falsis interpretationibus vindicat, etc.: at talis scientia omnino necessaria est in Ecclesia, alioquin vera et integra Christi doctrina non transmitteretur. Non autem necessaria est singulis fidelibus quibus manus alios docendi non incumbit: iis sola fides sufficit ad salutem.

2^o Theologia scholastica nec privatis, nec Ecclesiæ absolute necessaria est, siquidem per multa sæcula fuit ignota.

3^o Verum hæc Theologia quæ per definitiones, divisiones, propositiones, probationes, objectorum solutiones procedit, utilissima est et absque temeritatis nota damnari non potest. Etenim 1^o Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ aliique Ecclesiæ hostes contra hanc argumentandi methodum debacchati sunt, quia, hujusmodi argumentis pressi, se expedire non poterant. 2^o Concilium Constantiense, sess. 8, hanc Wiclefi damnavit proposit. n. 29: *Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem, sunt vana gentilitate introducta, et tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolus*: porro tunc Universitatibus, collegiis et studiis sola vigeat methodus scholastica. 3^o Facultas Parisiensis plures propositiones Lutheri, philosophiæ et theologiæ scholasticæ detrahentis, reprobavit, die 15 aprilis anni 1521, ut falsas, temerarias, sanæ doctrinæ contrarias, etc. (*Fleury*, l. 127, n. 20). 4^o Sine magna temeritate damnari non potest quod episcoporum, summorum Pontificum et universæ Ecclesiæ consensu ac praxi formatum est: atqui talis est methodus scholastica, ut patet. 5^o Illa methodus in eo consistit ut veræ notiones vocum et rerum exhibeantur, status questionis accurate exponatur, propositio asseratur, probetur, ab objectis vindicetur, et inter omnes partes naturalis ordo instituat: atqui manifestum est talem methodum nihil habere vitii, sed, contra, valde utilem esse ad adversarios in linea incepta continendos, premendos et vincendos. Ergo.

Si autem plures scholastici futes ac insulsas tractaverint questiones, vanas adhibuerint argumentationes, diffuso ac barbaro usi fuerint stylo, quod non fuit proprium theologis, sed omnibus scientiarum et artium magistris commune, plurimis durantibus sæculis, id tribuendum est viris et præsertim sæculo in quo vivebant, non

vero ipsi methodo. Ante methodi scholasticæ existentiam vane etiam tractabantur quæstiones, ut videre est in historia tot errorum in primis Ecclesiæ sæculis exsurgentium.

4^o Theologia est omnibus scientiis nobilior et excellentior, quia nobilius habet objectum et excellentiorem finem.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Nomine locorum theologicorum intelliguntur quidam fontes, e quibus eruuntur momenta ad probandam propositionem theologicam convenientia. Novem communiter numerantur: nempe Scriptura sacra, traditio, auctoritas conciliorum, decreta summorum Pontificum, testimonia SS. Patrum, consensus theologorum, ratio naturalis, philosophia et historia.

1^o *Scriptura sacra*, quæ est verbum Dei divinitus scriptum, de quo fusius dicemus in Tractatu de Fide.

2^o *Traditio*, quæ est verbum Dei testimoniis humanis ad nos transmissum: de illa etiam dicturi sumus in Tractatu de Fide.

3^o *Auctoritas Ecclesiæ*, cui, sive dispersæ, sive in conciliis coadumate, promissa est infallibilitas in docendo: patebit ex dicendis in Tractatu de Vera Ecclesia.

4^o *Decreta summorum Pontificum*. Summus enim Pontifex supremam habet auctoritatem in universa Ecclesia, juxta omnes: sive sit infallibilis, quando ex officio totam Ecclesiam docet, ut multi volunt; sive judicium ejus non sit irreformabile, ut contendunt alii, certum est decreta ejus magnam habere auctoritatem et obligare saltem in foro externo. De iis alibi dicemus.

5^o *Testimonia SS. Patrum*. Nomine SS. Patrum intelliguntur pii illi ac docti viri qui, præsertim usque ad duodecimum sæculum, res divinas scriptis suis illustrarunt, quorum opera ab Ecclesia fuerunt approbata et magna ex parte ad nos pervenerunt. Unanimis Patrum consen-

sus in materia fidei aut morum est infallibilis, nam in eocasu eorum consensus nihil aliud est quam doctrina Ecclesiæ cui falsum subesse non potest. Auctoritas etiam paucorum Patrum, qui ut testes veritatis de praxi vel disciplina suo tempore usitata loquuntur, magni est momenti. Unius autem aut alterius sententia haberi non potest ut certa, maxime si alii dissentiant.

Attamen, ut sapienter observat Duns, si aliquis Pater in certa materia agnosatur ab Ecclesia et proponatur ut suam exponens doctrinam, sola ejus auctoritas certam facit sententiam: talis est auctoritas S. Aug. in materia gratiæ et prædestinationis; S. Athanasii et S. Hilarii, in mysterio SS. Trinitatis; S. Leonis Magni, in mysterio Incarnationis, etc.

Nihilominus, « quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet, magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque doctoris; » S. Th. 2 2, q. 10, art. 12. Hinc Alexander VIII sequentem damnavit propositionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.*

6^o *Consensus theologorum*. Notandum illos aliquid docere posse vel ut decretum, id est de fide, hæreticum, erroneum, a catholicis amplectendum, etc.; vel ut opinionem. Si omnes scholastici, moraliter loquendo, sibi sint concordantes in docendo aliquid tanquam de fide, hæreticum, etc., hæc universalitas facit propositionem certam; impossibile est enim ut Ecclesia, Spiritu sancto semper directa, permittat aliquid hæreticum, erroneum, etc., in omnibus scholis catholicis publice doceri. Si vero scholastici aliquid doceant velut opinionem, illorum concordantia grave quidem subministrat motivum veritatis, sed non infallibile, quia, etsi hæc opinio esset falsa, non ideo Ecclesia censeretur docere aut approbare errorem. Ita specialiter, inter alios, Bossuet, t. 33.

7^o *Ratio naturalis*, quæ ad cognoscendum verum a Deo nobis fuit concessa, sæpe inservire potest ad elucidandas, probandas et ab objectionibus expediendas propositiones ad Deum aut res divinas spectantes. Verum in his rebus regnare non debet ut domina, sed servire ut humilis fidei pedisequa: ejus maxime necessarius est usus contra qui, ex ratione argumentantes, fidem et religionem subvertere conantur. In hoc excelluit S. Thomas, qui auctoritatem non negligit et rationum momenta nunquam omittit.

8^o *Philosophia*, vel potius philosophorum auctoritas, quæ non nisi probabile subministrat motivum; sic S. Th. sæpe citat Aristotelem. Inter eos annumerantur dialectici, metaphysici, morales et legisperiti.

9^o *Historia*, sive profana, sive ecclesiastica: utraque enim theologum non parum adjuvat in questionibus tractandis, ostendendo prophetias esse impletas, colligendo facta ex quibus dogma fidei, punctum disciplinæ, regulæ morum confirmantur, transmittendo ad remotissimas generationes miracula patrata, Ecclesiæ decreta, hæreticorum damnationem, etc.

DE HISTORIA THEOLOGIE.

Ex Genesi constat Deum primos parentes nostros creasse loquentes, seipsum eis manifestasse, atque ostendisse quo cultu honorari vellet: parentes hæc filiis narrabant, et sic de generatione in generationem transmittabant. Deus per Noe, Abraham, Isaac, Jacob, nova revelavit vel antiquam revelationem iteravit, v. g. promissionem Redemptoris; deinde, per ministerium Moysis, legem suam in monte Sinai promulgavit, aliaque multa divinitus instituit: et tamen novus non existebat modus scientiam religionis docendi ac transmittendi; nullæ existebant publicæ scholæ.

Sæpius in Scriptura sæpe fit mentio de filiis seu discipulis Prophetarum, v. g. IV Reg. II, 3 et 7, etc. Samuel creditur primus instituisse hujusmodi scholas Prophetarum. Præterea sacerdotibus incumbere manus legem interpretandi et populum docendi. Unde Malachias propheta, II, 7: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.*

Post captivitatem Babylonis fere ubique erectæ sunt synagoga, in quibus per omne sabbatum libri Legis et Prophetarum legebantur, addita interpretatione et exhortatione; et ita populus seu multitudo erudiebatur. Insuper plures institutæ sunt non solum Hierosolymis, sed in aliis civitatibus scholæ, quibus proficiebantur magistri qui suos habebant discipulos et cum illis vel coram illis discrebant, ut patet ex his verbis Act. XIX, 8, 9: *Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam.*

Natæ sunt apud Judæos, paulo post captivitatem, quædam sectæ, Phariseorum, Sadduceorum, Essenorum, quæ suas habebant scholas: omnes de Deo de rebusque divinis suo modo agebant, discipulos erudiebant. Multi ergo ante Christum jam fuerunt theologi, id est viri scientia Dei et religionis revelatæ imbuti et ad alios erudiendos idonei.

Christus veniens in mundum ut illum illuminaret et sanctificaret, *incipiens quasi annorum triginta*, populum evangelizavit, discipulos habuit, eosque per universum orbem misit, jubendo ut omnes docerent quæcumque mandaverat eis, promittens se cum illis docentibus adfuturum esse omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Hinc nova exorta est methodus clara et lucida docendi, quæ sine ulla interruptione usque ad nos pervenit, et semper duratura est. Episcopi, Apostolorum succes-

sores, res sacrās ad salutem necessarias populū publice docebant, et in domibus suis habebant discipulos quos erudiebant, virtutibus ornabant, disciplinis informabant, clero suo ascribebant; et ipsorum successores inter eos communiter eligebantur. Sic S. Athanasius fuit discipulus S. Alexandri, S. Joannes Chrysostomus S. Meletii, S. Cyrillus Alexandrinus Theophili patris sui. S. Aug., S. Fulgentius, S. Martinus, juxta se habebant clericorum scholas et quibus plurimi prodierunt episcopi doctrina et sanctitate conspicui.

In quibusdam magnis urbibus exstiterunt, etiam in primis sæculis, publicæ scholæ pro catechumenis erudiendis erectæ, quibus non raro præfuerunt viri excellentissimi, v. g. celeberrimæ scholæ Alexandrinæ, S. Pantenus, Clemens, Origenes ingenio et eruditione tam præclarus, etc.

In monasteriis per pluribus floruerunt studia litterarum præsertim sacrarum, ut patet exemplo monachorum et abbatum non minus scientia quam pietate illustrium, v. g. Cassiani et Vincentii Lirinensis in quinto sæculo, venerabilis Bedæ in sexto, Rabani Mauri et Walafri Strabonis ejus discipuli in nono, Lanfranci et S. Anselmi in undecimo, etc.

S. Anselmus, Lanfranci discipulus, deinde successor tum in regimine abbatie Beccensis, tum in archiepiscopatu Cantuariensi, introduxit formam quæ vocata est scholastica. Eum secuti sunt Hugo a S. Victore, Hildebertus, Cenomanensis episcopus, qui ad archiepiscopatum Turo-nensem, anno 1225, fuit translatus; Otto Frisingensis episcopus; Petrus Lombardus, Magister Sententiarum, cujus opus tam evasit famosum ut per plura sæcula celebriores doctores illud commentare studuerint.

Verum æmulatio ex arte disputandi inter doctores exsurgens, multos generavit abusos, quæstiones vanas ac futiles induxit, in infinitas argumentationes ex subtili ratione petitas abiit, et sanam religionis doctrinam sæpe

deturpavit. Hinc prodierunt exercitationes viris theologis indignæ, a vera eruditione theologica alienæ: hinc errores Petri *Abeilard* aliorumque plurimorum qui, juxta testimonium S. Bernardi, de *Abeilard* loquentis, novarum vocum et novorum sensuum volebant esse inventores.

In decimo tertio sæculo institutæ sunt Universitatē, et notanter domus Sorbonica, Parisiis, a Roberto de Sorbona, ejus fundatore, sic dicta, quæ inter cæteras eminentiorem tenuit locum. In ea docuerunt Alexander Hales, franciscanus; Albertus, dominicanus; S. Thomas ejus discipulus, ejusdem ordinis; Joannes *Duns*, cognomine Scotus, et S. Bonaventura, ex ordine S. Francisci, qui cognominati fuerunt: primus, *Doctor irrefragabilis*; secundus, *Magnus*; tertius, *Doctor angelicus*; quartus, *Doctor subtilis*; quintus, *Doctor seraphicus*.

Doctor angelicus, id est S. Thomas, præ cæteris excelluit, et *Summa* ejus, in tres partes divisa, Sententiis Petri Lombardi in scholis fuit substituta: pene omnes theologi ejus methodum et rationem secuti sunt. Cum Scotus opinionibus opinionibus S. Th. contradictorias pluribus in punctis defendisset, natæ sunt, maxime apud Dominicanos et Franciscanos, scholæ *Thomistarum* et *Scotistarum*, quæ diu perstiterunt, et nunc penitus ac merito ab omnibus negliguntur.

Nunquam tamen defuerunt viri altioris mentis, qui vanas argutias contemnescentes, scientiam theologiam saniori judicio didicerunt ac docuerunt: tales fuerunt S. Bernardus, Joannes Salisburiensis, Carnutensis episcopus, Petrus Blesensis, *Gerson*, etc. Gregorius IX, anno 1228, scripsit ad doctores Parisienses, hortans eos ut profanas novitates abjicerent et ad antiquam Patrum traditionem redirent; *Fleury*, l. 80, n. 3.

Capta Constantinopoli ab iis qui vulgo dicti sunt *les Croisés*, litteræ et scientiæ ab Oriente in Occidentem migrarunt, multi eruditi Græci in Europam et præsertim in Italiam venerunt, æmulationem pro vera scientia excita-

runt; sicque Philosophia et imprimis Theologia a nugis scholasticis purgari ceperunt, licet plures adhuc agitatae fuerint otiosae disputationes, v. g. inter *Nominales* et *Realistas*, sub Ludovico XI.

Falsum est igitur Protestantes primos ostendisse vitia scholasticae, et sacrorum studiorum reformationem induxisse: plura quidem juste carpserunt, sed quae a catholicis jam didicerant carpenda; alia vero protulerunt falsa, et in hoc merito reprobatum sunt.

Interea concilium Tridentinum, circa medium saeculi decimi sexti conclusum, non tantum multos reformavit abusus, sed insuper solidioris theologiae jecit fundamenta: voluit ut ubique erigerentur seminaria quibus proficerentur sacerdotes juventuti erudiendae idonei. Ex hoc tempore magis ac magis cessarunt vanae disputationes: in Universitatibus, praesertim in Parisiensi, in ordinibus religiosis, insignes fuerunt magistri de rebus multo magis occupati quam de verbis, qui toti fuerunt ut haereticos debellant, incredulos convincerent, sanae moralis regulas ac disciplinae ecclesiasticae leges traderent. In exemplum citari possunt Bellarminus, *Suarez*, *de Lugo*, Patavius, Natalis Alexander, *Tournely*, etc.

INSTITUTIONES THEOLOGICAE

AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE.

RELIGIO, cujus vox a *religando*, juxta plures, oritur, considerari potest ut virtus, vel ut scientia. In priori sensu, est virtus moralis nos ad cultum Deo exhibendum inclinans; in posteriori vero sensu, est corpus doctrinae officia nostra erga Deum complectens. Inter illa autem officia, alia spectant ad intellectum; sunt veritates credendae: et alia ad voluntatem; suntque praecipua implenda. De religione hoc modo accepta in praesenti Tractatu agitur. Nobis inquirendum est an cultum Deo rependere teneamur, et qualis esse debeat.

Plurima vero alibi jam mature examinata, hic supponimus ut certa, videlicet Dei existentiam, naturam ejus perfectissimam, miranda illius attributa, mentis nostrae spiritualitatem, libertatem et immortalitatem; essentielle discrimen inter bonum et malum morale; necessitatem cultus interni, externi et solemnis; religionis naturalis necessitatem et insufficientiam; absurditatem indifferentiae circa varias religiones existentes: haec enim in Philosophia tractantur, ubi unusquisque ea relegere potest.

Hunc itaque maximi momenti Tractatum in tres dividimus partes, quarum 1^a erit de religione revelata in genere, 2^a de religione Judaica, et 3^a de religione Christiana.

runt; sicque Philosophia et imprimis Theologia a nugis scholasticis purgari ceperunt, licet plures adhuc agitatae fuerint otiosae disputationes, v. g. inter *Nominales* et *Realistas*, sub Ludovico XI.

Falsum est igitur Protestantes primos ostendisse vitia scholasticae, et sacrorum studiorum reformationem induxisse: plura quidem juste carpserunt, sed quae a catholicis jam didicerant carpenda; alia vero protulerunt falsa, et in hoc merito reprobatum sunt.

Interea concilium Tridentinum, circa medium saeculi decimi sexti conclusum, non tantum multos reformavit abusus, sed insuper solidioris theologiae jecit fundamenta: voluit ut ubique erigerentur seminaria quibus proficerentur sacerdotes juventuti erudiendae idonei. Ex hoc tempore magis ac magis cessarunt vanae disputationes: in Universitatibus, praesertim in Parisiensi, in ordinibus religiosis, insignes fuerunt magistri de rebus multo magis occupati quam de verbis, qui toti fuerunt ut haereticos debellant, incredulos convincerent, sanae moralis regulas ac disciplinae ecclesiasticae leges traderent. In exemplum citari possunt Bellarminus, *Suarez*, *de Lugo*, Patavius, Natalis Alexander, *Tournely*, etc.

INSTITUTIONES THEOLOGICAE

AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE.

RELIGIO, cujus vox a *religando*, juxta plures, oritur, considerari potest ut virtus, vel ut scientia. In priori sensu, est virtus moralis nos ad cultum Deo exhibendum inclinans; in posteriori vero sensu, est corpus doctrinae officia nostra erga Deum complectens. Inter illa autem officia, alia spectant ad intellectum; sunt veritates credendae: et alia ad voluntatem; suntque praecipua implenda. De religione hoc modo accepta in praesenti Tractatu agitur. Nobis inquirendum est an cultum Deo rependere teneamur, et qualis esse debeat.

Plurima vero alibi jam mature examinata, hic supponimus ut certa, videlicet Dei existentiam, naturam ejus perfectissimam, miranda illius attributa, mentis nostrae spiritualitatem, libertatem et immortalitatem; essentielle discrimen inter bonum et malum morale; necessitatem cultus interni, externi et sollemnis; religionis naturalis necessitatem et insufficientiam; absurditatem indifferentiae circa varias religiones existentes: haec enim in Philosophia tractantur, ubi unusquisque ea relegere potest.

Hunc itaque maximi momenti Tractatum in tres dividimus partes, quarum 1^a erit de religione revelata in genere, 2^a de religione Judaica, et 3^a de religione Christiana.

PARS PRIMA.

DE RELIGIONE REVELATA IN GENERE.

Nunc circa revelationem in genere tres existunt opiniones.

1^o *Rationalistæ* contendunt revelationem nihil aliud esse quam intelligentiæ humanæ progressus semper crescentes. Revelationes particulares in libris sacris descriptas habent ut *mythos*.

2^o Quidam recentiores philosophi catholici voluerunt, e contra, ut *rationalistæ* efficacius refellerent, humanam rationem nullius veritatis esse capacem absque divina revelatione seu speciali Dei concursu diverso sensu intellecto: sic 1^o D. de Bonald fortiter contendit hominem nullam habere ideam sine expressione seu voce ei correspondente, ac proinde omnes ideas intellectuales à Deo primitus revelatas esse cum loquela quam homines invenire non potuissent; 2^o D. De La Mennais, qui absolute negavit rationem in individuo spectatam certitudinem obtinere posse alia via quam testimonio generis humani primæva Dei revelatione illuminati; 3^o D. Bautain, qui etiam repetiit certitudinem pro individuo a revelatione, non testimonio generis humani transmissa, sed infallibili Ecclesiæ auctoritate manifestata, nec non ab interiori gratia firmam adhesionem mentis producente.

Quid sit sentiendum de his opinionibus diximus in *Institutionibus philosophicis*. Prima libere propugnari potest et a multis doctis viris admittitur. Versatur autem circa modum cognitionis naturalis, et quidquid de illa sentitur, saltem certum est eam cum revelatione supernaturali, de qua infra, facile conciliari posse. Secunda vero a Sancta Sede damnata manet. Postremam tandem, graviter ab auctoritate ecclesiastica improbatam, deseruit ipse

D. Bautain, quem zelus et pietas ad momentum a recta via in eo abduxerant.

3^o Cæteri vero catholici generaliter intelligunt per revelationem, manifestationem dogmatum et præceptorum, lapsu temporum, a Deo extraordinarie factam cum extrinsecis fidei motivis. Hæc revelatio habere potest pro objecto dogmata sola ratione cognoscibilia, veritates captum rationis superantes, officia lege naturali jam præscripta, vel leges positivas præceptis naturalibus superadditas.

Nobis agendum est 1^o de revelationis possibilitate, 2^o de methodo illam inquirendi, et 3^o de characteribus quibus existentia ejus certo dignoscatur.

CAPUT PRIMUM.

DE REVELATIONIS POSSIBILITATE.

Inter eos qui possibilitatem revelationis negant, alii contendunt Deum homines alloqui non posse; alii affirmant, ut *Rousseau* in *Emile*, lib. 4, quod si Deus aliquid revelaret, omnibus et singulis hominibus immediate loqui deberet; alii dicunt, cum eodem *Rousseau*, *ibid.*, Deum revelare non posse veritates captum mentis nostræ superantes; alii denique volunt Deum facere non posse præcepta legi naturali superaddita: ita *Tindall* et *de Prades*, in famosissima *thesi* anni 1751. Sicque errant alii in ipsamet revelationis possibilitate, alii in modo illam faciendi, et alii in ejus objecto. Varios errores istos per sequentes profligabimus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus homines alloqui potest.

Prob. 1^o Homines non carent facultate suas ideas et cogitationes aliis hominibus manifestandi: atqui Deus eandem et perfectiorem habere debet facultatem; os enim hominis et linguam fecit, loquelam instituit, aures plan-

tavit: ergo et ipse suas ideas suasque cogitationes ac voluntates hominibus manifestare potest eis imponendo obligationem credendi et agendi.

2^o Omnes populi revelationes, sive veras sive falsas, semper admiserunt: ergo semper arbitrati sunt Deum homines alloqui posse. Porro universalis hæc persuasio argumentum est veritatis. Si populi variis modis circa revelationum existentiam in particularibus casibus erraverint, error non fuit universalis, constans et invincibilis, nec proinde divino Auctori naturæ humanæ tribui potest. Talis error, supposita persuasione Deum homines alloqui posse, facile explicatur. Sed persuasio cunctis hominibus ingenta, qua universaliter, constanter et invincibiliter impelluntur ad iudicandum Deum homines alloqui posse, ipsi Deo auctori humanæ naturæ tribuenda esset. Ergo, etc.

Obj. Deus organa vocis non habet: ergo loqui non potest.

R. Nego consequ. Nulla enim est connexio necessaria inter motus oris ac linguæ hominis, et modulationem auditionis quam interne mens audientium experitur, quia motus corporis agere non possunt in mentem omnino simplicem: igitur modulatio ista ex sola Dei institutione arbitraria provenit. Deus autem absque huiusmodi motibus efficere potest ut eodem modo interne afficiamur, ac si quis externe loqueretur. Ergo.

Præterea Deus clare ac distincte per evidentiam interne nobis in rebus naturalibus loquitur: atqui non repugnat illum veritates supernaturales eadem via aperte nobis manifestare, *ut patet.* Ergo.

Ubi de existentia revelationis agemus, ostendemus certissimas dari vias discernendi an Deus reipsa locutus fuerit et suam voluntatem manifestaverit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus, ex hypothesi quod aliquid revelare velit, singulis hominibus immediate loqui non tenetur, sed potest illud manifestare quibusdam electis quorum ope alios doceat.

Prob. 1^o Ex hypothesi quod Deus aliquid revelare velit,

etiam cum intentione omnes obligandi, sufficit ut tutissima illis subministret media quibus hanc revelationem certo cognoscere possint: atqui, licet Deus singulis hominibus immediate non loquatur, tutissima ipsis subministrare potest media quibus revelationem certo cognoscere possint; infra enim probabimus certissima dari posse media quibus existentia revelationis constare valeat, nempe miracula et prophetias. Ergo.

2^o Revelationis existentia multo convenientius hæc via constare potest quam si Deus singulis hominibus immediate loqueretur. Si enim Deus teneatur singulis hominibus immediate loqui, debet, ad præcavendas falsas imaginationes quæ pro veris revelationibus sumerentur, et ad impediendum ne impostores suos persuaderent errores ut veritates revelatas, omnes illustrare mentes, per evidentiam aut alio modo, sicque totum naturalem ordinem nunc exstantem subvertere. Porro dici non potest Deum ad id teneri: valde convenientius est ut suas ideas ac voluntates clare manifestet et apertissima præbeat media quibus omnes hanc revelationem certo cognoscere possint. Ergo.

3^o Nemo exigit ut rex voluntates legesque suas omnibus subditis immediate manifestet: ergo a fortiori exigere non debemus ut Deus immediate nobis loquatur. Nonne conveniens est, e contra, ut in rebus ad religionem pertinentibus eadem via nos doceat qua in rebus naturalibus erudimur, scilicet per traditiones aliaque documenta, ab hominibus nobis transmissa vel explicata? Ergo.

Obj. Tam facile singulis hominibus quam nonnullis tantum loqueretur Deus: ergo nulla est ratio cur omnibus non loquatur.

R. Nego consequ. Deus enim non tenetur ad id quod facile operari potest, alioquin debuisset peccatum impedire, nos sicut angelos efficere, etc. Præterea, Deus perfecte liber est in honorum suorum distributione, et ea omnino indebita pro beneplacito suo nobis largiri potest: sola ergo ipsius voluntas ratio est sufficiens cur uni potius quam aliis immediate loquatur, sicut rex mandata sua per ministros cunctis subditis libere manifestat.

PROPOSITIO TERTIA.

Deus potest revelare veritates captum mentis nostræ superantes.

Prob. Si hujusmodi veritates Deus revelare non posset, vel quia nullas cognosceret, vel quia eas nobis manifestare non posset, vel quia repugnaret nos eas credere teneri: atqui nihil horum dici potest. 1^o Dicitur non potest Deum nullas cognoscere veritates captum mentis nostræ superantes; Deus enim in scientia est infinitus, nos vero valde finiti: in rebus naturalibus innumera, respectu nostri, existunt mysteria: ergo a fortiori et in rebus divinis. Ergo.

2^a Deus illas veritates nobis manifestare potest: *id sequitur ex prima propositione.*

3^o Non repugnat veritates captum mentis nostræ superantes nos credere teneri. Id enim a nobis Deus exigere potest quod libenter hominibus præstamus: atqui libenter ex verbis hominum credimus veritates captum mentis nostræ superantes; innumera enim sunt veritates in ordine naturali, v. g. in physica, in astronomia, etc., quas maxima pars hominum penitus ignorat: atqui tamen libenter eas ex verbis doctorum credimus, quamvis illas non percipiamus: ergo multo magis credere debemus veritates quas Deus nobis manifestat. Præterea, valde conveniens est quod tales ex verbo Dei credamus veritates; cum enim totum ens nostrum ab ipso oriatur, nobilior pars entis nostri, scilicet intellectus, illi submitti debet; atqui perfecte Deo non submittitur, nisi tales credendo veritates; sic enim supremam veritatem dignissimo cultu honorat. Unde D. Frayssinon, *Conf. de la Religion considérée dans ses mystères*: « Les mystères sont incompréhensibles; eh » bien! c'est par là même qu'ils sont plus dignes de la » sagesse de Dieu. Jésus-Christ est venu pour guérir l'homme tout entier, remédier à la plaie profonde faite à son esprit par l'orgueil, comme à son cœur par la volupté. » Une curiosité superbe l'avait précipité dans les plus

» monstrueuses erreurs, comme l'amour des choses sensibles l'avait plongé dans les plus brutales et les plus honteuses passions; il fallait que son cœur fût purifié par une loi sainte, et son esprit humilié par des vérités incompréhensibles. C'est du Père des lumières que nous tenons la raison qui nous éclaire: or, si, par un indigne abus, elle s'est soulevée contre son auteur, que peut-elle faire de mieux, pour expier sa révolte, que de s'immoler elle-même à la raison suprême, et de plier sous le joug de l'incompréhensible, mais infaillible vérité de Dieu? » Ergo.

Insuper, omnes populi admiserunt, in ordine religionis, veritates captum humanum superantes, et incredulos, mysteria quælibet rejicientes, habuerunt velut impios. Ergo, etc.

Solvantur objectiones.

Obj. 1^o. Deus sibi contradicere non potest: atqui Deus sibi contradiceret, si veritates captum mentis nostræ superantes revelaret, earumque fidem exigeret: ergo.

R. Nego min. Nam si in eo casu Deus sibi contradiceret, certe, ut asserit Rousseau in *Emile*, lib. 4, quia ex una parte rationem nobis concessit, et ex altera parte illius submissionem veritatibus non perceptis exigeret. At in ea hypothese nulla est contradictio: in tantum enim esset contradictio, in quantum rationem nobis ad percipiendas in se hujusmodi veritates concessisset, et illas tamen supra captum rationis posuisset: atqui non ita agit Deus, sed tantum jubet ut, ipso revelante ipsiusque revelatione certa nobis innotescente, ratio credat veritates quas in se non percipit: in hoc autem nulla est contradictio, *ut patet*: ergo.

Inst. 1^o. Prædictæ veritates seu mysteria rationem offendunt: ergo, si Deus jubeat ut eas credamus, sibi contradicit.

R. Nego min. Illa enim mysteria rationem non offendunt, quæ manifestam repugnantiam non involvunt: atqui mysteria captum mentis nostræ superantia manifestam repugnantiam non involvunt. Sunt quidem supra rationem,

ex hypothesi; sed multum est discrimen inter esse supra rationem et esse contra rationem: illud quippe est supra rationem quod ratio non percipit, illud vero solum est contra rationem quod realem involvit repugnantiam, ut, v. g. *Bis duo dant quinque; totum est una parte minus*. Porro mysteria quæ captum mentis nostræ superant talem repugnantiam non eo ipso involvunt: ergo.

Inst. 2^o. Mysteria quæ insolubilibus argumentis impugnantur, rationem offendent: atqui mysteria captum mentis nostræ superantia insolubilibus impugnantur argumentis: ergo.

R. 1^o. Distinguo maj. Mysteria quæ insolubilibus impugnantur argumentis, ex evidenti repugnantia petitis, rationem offendent, *conc.*; si hæc argumentorum insolubilitas ex ipsa mysteriorum obscuritate, vel potius ex limitibus intelligentiæ nostræ, oriatur, *nego maj.* Itaque fateor mysteria insolubilibus argumentis ex evidenti repugnantia petitis impugnata, rationem offendere: *id manifeste patet*. At, si hæc insolubilitas ex ipsa mysteriorum altitudine vel ex intelligentiæ nostræ limitibus oriatur, tunc id unum merito concludi potest, scilicet, ea esse supra rationem: porro supra rationem esse possunt, et tamen rationem non offendere: ergo.

Et vero, plurimæ sunt veritates in ordine naturali quæ insolubilibus impugnantur argumentis, quales sunt existentia motus, materiæ divisibilitas vel non divisibilitas in infinitum, etc., et tamen illa veritates in dubium non revocantur: ergo *a fortiori* mysteria credere debemus, licet, etc.

R. 2^o. Nego min. Plurima quidem contra mysteria instituantur argumenta quæ directe, id est ex principiis a natura rei petitis, solvi non possunt; sed nulla sunt quæ ex alienis considerationibus solvi nequeant. Cuncta enim argumenta mysteriis opposita indirecte solvuntur, si clare videatur ex una parte Deum locutum fuisse, et manifesta ex altera parte, non demonstraret repugnantia: atqui hæc duo constare possunt ubi de mysteriis agitur. 1^o Constare potest Deum locutum fuisse, *ut infra probabimus*. 2^o Ex altera parte, clare ostendi potest incredulos manifestam

non demonstrare repugnantiam. Ergo. Sic omnia incredulorum argumenta contra singula fidei Christianæ mysteria proposita centies soluta sunt, verum fidei objectum enuntiando, et ostendendo illud nullam exhibere contradictionem. Ergo.

Inst. 3^o. In nonnullis mysteriis quadam apparet repugnantia quæ judicatur evidens: atqui repugnantia quæ judicatur evidens eandem vim habet respectu nostri ac si vera esset: ergo tunc ea mysteria credere non possumus.

R. 1^o. Dist. maj. Hæc apparens repugnantia judicatur evidens immerito et ante-sufficiens examen, *concedo*; merito et post maturum examen, *nego maj.* Fateor quidem repugnantiam quæ in nonnullis videtur mysteriis aliquando judicari evidentem, sed immerito et absque sufficienti examine. Illud enim solum merito judicatur evidens quod ex omni parte ita clare perspicitur, ut mens illi assentiat sine ulla errandi formidine; atqui mens non potest, omnibus sedulo perpensis, affirmare se ita clare prædictam in mysteriis perspicere repugnantiam, ut illi absque ulla errandi formidine assentiat; ubi enim sedulo advertit quid sint mysteria, multam in eis videt obscuritatem: at eo ipso quod talem videat obscuritatem, affirmare non potest se evidentem perspicere repugnantiam, ita ut illi iudicio absque ulla errandi formidine assentiat: ergo.

Et vero in rebus naturalibus sæpissime evidens nobis apparet repugnantia, v. g. in phænomenis fulminis, electricitatis, aduantis, optices, etc., et tamen nemo hæc phænomena in dubium revocat: pariter, quando mirabiles luminis et colorum effectus caeco a nativitate narrantur, incredibiles illi videntur; si oculi ipsius pro momento aperirentur, et unum inter duo specula videret hominem, tres illi apparerent homines perfecte similes: si statim in eandem recideret cæcitatem, persuasum haberet non unum sed tres ibi existere homines, et affirmaret hoc evidens esse: ut insanus tamen haberetur, si pertinaciter negaret unicum esse hominem. Ergo *a fortiori* ut insanus habendus est impius qui divina religionis mysteria negat, sub prætextu quod aliqua etiam evidens in eis appareat repugnantia.

R. 2^o. *Nego min.* Evidentia enim realis eo majori fulget claritate quo strictiori subjicitur examini: dum, e contra, si evidentia quæ tantum est apparens sedulo examinetur, aliqua saltem detegitur obscuritas. Ergo.

Obj. 2^o. Deus proponere non potest, ut objectum fidei nostræ, voces omni idea vacuas: atqui voces quæ mysteria captum mentis nostræ superantia exprimiunt, omni idea sunt vacuæ: ergo.

R. *Nego min.* Illæ enim voces omni idea non sunt vacuæ quæ sic exprimiunt objectum, ut illud a quolibet alio scernere possimus: atqui mysteria captum mentis nostræ superantia ita vocibus exprimi possunt, ut ea a quolibet alio objecto scernere valeamus. Sit enim vox *Trinitas*; vox illa exprimit objectum in natura sua quidem valde obscurum, sed tamen ab omni alio distinctum; si nullum enim exprimeret objectum, illius prolatio mentem non plus afficeret quam vox Arabica vel Persica, vel omnino barbara: contrarium autem evidens est: ergo.

Obj. 3^o. Revelatio mysteryorum rationi imperviorum est inutilis: ergo repugnat Deum ea revelare.

R. *Nego ant.* Nam 1^o hæc dogmata, intellectum nostrum Deo subiectentia, efficiunt ut reverentiam nostram ei testificemur. 2^o Fundamentum sunt præceptorum moralium eorumque sanctio omnino necessaria, ut mors Christi, purgatorium, aternitas penarum in inferno, etc. 3^o Hæc dogmata sunt inter se concatenata, ita ut quædam sufficienter cognosci non possint quin alia manifestentur: v. g. necessitas gratiæ supponit peccatum originale et mortem Christi; mors Christi supponit incarnationem, et incarnatio pluralitatem personarum in Deo. 4^o Non obscuritatem mysteryorum Deus immediate fidei nostræ proponit, sed veritates supernaturales, quarum notitia nobis necessaria vel saltem maxime utilis est: cum autem illæ veritates aciem mentis nostræ superent, aliquam obscuritatem respectu nostri involvunt, et inde mysteria quæ debilitatem intelligentiæ nostræ arguunt. 5^o Revelatio, quæ conterendæ superbiæ mentis humanæ aptissima est, inutilis dici non potest: atqui talis est revelatio et fides mysteryorum cap-

tui nostro imperviorum, ut in probatione ostendimus. Quod aliunde *Bayle* ipse sic exprimit, *Dict. art. PAULICIENS*, note F, versus finem: « Il est plus utile qu'on ne pense » d'humilier la raison de l'homme, en lui montrant avec » quelle force les hérésies les plus folles, comme sont » celles des Manichéens, se jouent de ses lumières, pour » embrouiller les vérités les plus capitales. Cela doit ap- » prendre aux sociniens, qui veulent que la raison soit la » règle de la foi, qu'ils se jettent dans une voie d'égare- » ment qui n'est propre qu'à les conduire de degré en de- » gré jusqu'à nier tout, ou jusqu'à douter de tout, et » qu'ils s'engagent à être battus par les gens les plus exé- » crables. Que faut-il donc faire? Il faut captiver son » entendement sous l'obéissance de la foi, et ne discuter » jamais sur certaines choses. » Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Deus nova præcepta legi naturali addere potest.

Prob. 1^o. Deus est supremus dominus noster; sed ut supremus dominus habet facultatem præcipiendi officia quæ in lege naturali non continentur. Principes enim, legislatores et quilibet superiores hujusmodi habent facultatem, eam quotidie exercent, et inferiores eis parere debent, ut omnes fatentur et alibi probatur. Ergo a fortiori et Deus talia facere potest præcepta quibus parere tenemur.

Prob. 2^o. Si Deus talia præcepta facere non posset, maxime quia forent inutilia: atqui hujusmodi præcepta non sunt inutilia; nam 1^o multum inservire possunt ad custodienda legis naturalis præcepta, sicut leges positivæ principis ad servandum ordinem publicum conducunt; 2^o sensus pietatis in mentibus nostris fovent et excitant; 3^o uniformitatem cultus divini stabiliunt et conservant; lex enim naturalis dictat aliquem cultum Deo deberi, sed illius formam non determinat: attamen necesse est formam cultus divini positive determinari; aliunde, tot essent diversi modi Deo serviendi quot capita, et tunc nulla daretur uniformitas in religione, nulla decencia, nulla majestas. Ergo.

CAPUT SECUNDUM.

QUA METHODO INQUIRENDA SIT REVELATIONIS
EXISTENTIA.

Duplex est via qua veritates extra nos positae cognoscere possumus, nempe ratio et auctoritas: per methodum rationis rem in natura sua intrinseca expendimus; per methodum auctoritatis, non rem ipsam juxta proprietates suas, sed motiva credibilitatis quibus existentia ejus adstruitur, requirimus: sic ratione scimus radios circuli esse aequales, et auctoritate novimus Alexandrum olim existisse. *Rousseau* et deistae illius aeseclae, cum velint Deum nihil revelare posse supra rationem, contendunt in revelatione incipiendum esse a ratione, et nihil ut revelatum admitti posse nisi prius rationi consentaneum deprehendatur. Catholicus vero aliter procedunt.

Si doctrina absurda, contradictionibus plena, ad turpia ducens, proponatur ut revelata, demonstrant eam esse Deo verissimo, sapientissimo ac sanctissimo indignam, ac proinde ab illo revelari non potuisse. Sic communiter SS. Patres et missionarii apud gentes paganismum refellunt, ostendendo illum esse absurdum et contradictionibus plenum, Deo indignum, etc.

Si autem agatur de vera revelationis existentia certissime adstruenda, volunt ut, ante examen doctrinae propositae, quaeratur an Deus locutus fuerit. Si demonstretur Deum clare locutum esse, spernendae sunt difficultates quas humana ratio, limitibus constricta, praedictis et cupiditibus obsecata, excogitat.

His praemissis, sit

PROPOSITIO.

*In inquisitione revelationis sola via auctoritatis
admittenda est.*

Prob. 1^o. Revelatio est factum contingens: atqui facta

contingentia ex ratione cognosci non possunt, sed ex sola auctoritate; solam enim possibilitatem factorum contingentium ratio demonstrat, et nihil dicit nec dicere potest de eorum existentia: ergo.

Prob. 2^o. Si existat revelatio aliqua, debet esse via qua omnes illius existentiam certo cognoscere possint: atqui sola via discussionis omnes certo cognoscere nequeunt revelationis existentiam. In ea enim hypothesis, unusquisque res revelatas sola ratione expendere, attingere et a non revelatis tuto secerne debet: omnes igitur difficultates quae ab incredulis proponuntur, omnesque responsiones quas afferunt catholici, notas habere, omnes Scripturas, sanctorum Patrum opera, auctores ecclesiasticos, imo et profanos percellere, quidquid in gratiam religionis et contra eam scriptum est, non solum in versionibus et in interpretationibus, sed etiam in ipsa lingua qua scripti sunt libri, addiscere debet: atqui maxima pars hominum, ne plus dicam, tanti studii et examinis omnino est incapax: ergo.

Prob. 3^o. Illa via admitti non potest qua plena est temeritatis, superbiae ac impietatis: atqui talis est via discussionis.

1^o Plena est temeritatis. Nihil enim magis temerarium est quam mysteria et res supernaturales velle ponderare ad frutinam rationis, quae sepiissime in rebus etiam naturalibus caeca est; naturam Entis infinito, ejusque aeterna decreta velle perscrutari et comprehendere: verumtamen ita se gerit qui sola via discussionis in inquirenda revelationis existentia utitur: ergo 1^o.

2^o Haec via plena est superbiae et impietatis; summae enim superbiae et impietatis est humanam rationem ita extollere ut nihil cognoscat Deus, nihil saltem revelare possit quod mentis nostrae captum superet: atqui via quam hic impugnamus hoc supponit: ergo 2^o.

Prob. 4^o. Deus nec falli nec fallere potest: ergo, ubi de revelatione agitur, hoc unum expendendum est, nempe an revera locutus fuerit necne; proindeque ad sola credibilitatis motiva recurrendum est. Ergo.

Soleantur objectiones.

Obj. 1^o. Motiva credibilitatis sufficienter non expenduntur, nisi expendantur etiam omnia momenta quæ in gratiam singularum religionum proferuntur, nisi cunctæ perpendantur difficultates quæ circa illa motiva solent agitari: atqui maxima pars hominum id præstare non potest: ergo via auctoritatis non facilius est quam via discussionis.

R. 1^o. Ex illo argumento sequeretur maximam hominum partem nullo modo veram religionem cognoscere posse, illique prudenter adherere: hoc autem summæ providentiæ et bonitati Dei repugnat: ergo.

R. 2^o. *Nego maj.* Nam, ut quis prudenter iudicet religionem suam esse veram, sufficit quod aperte videat illam solidissimam iunxam esse fundamentis: at clare videre potest eam sic esse iunxam, sine ullo respectu ad alias religiones. Hinc naturaliter concludit, absque ulla hæsitatione, cæteras religiones esse falsas.

3^o. In decursu hujus Tractatus demonstrabimus tanta et tam splendida esse credibilitatis motiva in favorem religionis Christianæ, ut fere primo intuitu appareat rusticis et imperitis nullam esse aliam quæ talibus veritatis argumentis gaudeat; unicuique enim manifestum est nullam esse aliam tot prophetiis annuntiatam, tot miraculis confirmatam, tot martyrum sanguine signatam, tam mirifice et tam celeriter diffusam, contra tyrannorum et cupiditatum conatus. Unde sic ratiocinari possunt etiam simplicissimi homines: Vel religio Christiana vera est, vel nulla: at certum est unam esse veram; ergo, etc. Non necesse est igitur ut singula momenta quæ in gratiam aliarum religionum proferuntur ab unoquoque expendantur, nec ut omnes difficultates quæ circa motiva credibilitatis agitari possunt perpendantur.

4^o. Quilibet homo, etiam imperitus, absque ulla errandæ formidine credit corpora existere, licet omnes difficultates quæ circa illorum existentiam fuerunt excogitate nec cognoscat, nec solvere queat: sic unusquisque certo cognoscere potest imperium Romanum olim existisse, Alexan-

drum victorias reportasse, quamvis cavillationibus Pyrrhionum respondere non possit: ergo a pari unusquisque infallibiliter cognoscere potest motiva credibilitatis religionis, licet non solverit nec solvere valeat difficultates quæ circa illam proponuntur.

Inst. 1^o. Omnes plebei et imperiti homines credibilitatis motiva cognoscere non possunt nisi per aliorum explicationes; at semper timendum est ne ab aliis decipiantur: ergo.

R. Nego min. Plebei enim et imperiti homines non nisi per aliorum explicationes cognoscunt facta præterita, v. g. existentiam imperii Romani, victorias Alexandri vel Julii Cæsaris: attamen de illis factis non dubitant. Cum enim videant quoscumque doctos ea unanimiter asserentes, facile comperiunt inter eos nullam esse collusionem, ac proinde de hujusmodi factorum veritate minime dubitant. Porro eadem certitudine cognoscere possunt motiva credibilitatis religionis nostræ, nempe miracula et prophetias; quotidie namque audiunt parochos aliosque doctos ea facta supernaturalia constanter et unanimiter docentes, asserentes et ab objectis incredulorum vindicantes: atqui, hoc posito, ea ut certa habere debent; clare enim percipere possunt parochos et alios doctos illa asserentes non esse impostores, impossibile esse illos inter se ad decipiendum colluisse. Præterea, si quid falsi dicerent, hæretici, schismatici, mali sacerdotes, innumeri fideles, qui etiam sunt docti, totis viribus statim reclamarent. Ergo.

Inst. 2^o. Absurdum est credere objecta ab aliis tantum intellecta: at in hac hypothesis plebei et imperiti crederent objecta ab aliis tantum intellecta: ergo.

R. Dist. maj. Si de veritate illorum objectorum aliunde non constet, *concedo*; si de veritate illorum aliunde infallibiliter constet, *negō maj.* Etenim nulla est absurditas credere objecta in seipsis non intellecta, si aliunde de illorum veritate nullum moveri possit dubium; verum de veritate objectorum quæ revelata sunt ita per motiva credibilitatis constare potest, ut circa illa nullum dubium moveri queat: ergo.

Inst. 3^o. Absurdum est objecta per alienos oculos videre: ergo *a pari*, etc.

R. Dist. ant. Absurdum est, etc. si oculi nostri sint sani et objecta præsentia, *concedo*; si oculi sint vitiiati, vel si objecta sint a longe posita, *nego ant.* Equidem absurdum esset objecta per alienos oculos videre, si oculi nostri essent sani et objecta præsentia: at si oculi nostri sint vitiiati, non absurdum est objecta per alienos oculos videre; imò absurdum esset ea negare, quamvis testes oculati assererent illa existere et esse talia vel talia: at in rebus religionis, circa quas cæci sumus, non minus absurde Deo loquenti denegaretur assensus. Ergo.

Inst. 4^o. Pagani et Mahumetani non magis dubitare debent de sacerdotum suorum sinceritate quam apud nos plebeii et imperiti: si ergo sola via auctoritatis admitenda sit, nullo modo a tenebris errorum suorum exire poterunt.

R. Nego ant. Nam facta quæ in favorem religionis Christianæ narrantur, tam sensibilia, clara et splendida sunt, doctrina illius tam sapiens, pura et sancta est, ut omnes facile percipiant sacerdotes non esse deceptos nec deceptores: atqui tales veritatis characteres non reperiuntur in paganismo nec in mahumetismo, ut unicuique etiam leviter attendenti patebit; undique enim et in dogmatibus et in factis evidens manifestatur absurditas. Ergo nulla est paritas.

CAPUT TERTIUM.

DE CHARACTERIBUS QUIBUS EXISTENTIA REVELATIONIS CERTO CONSTARE POTEST.

Respectu illius cui immediate Deus loquitur, nullum requiritur signum externum; eodem modo enim Deus veritates supernaturales nobis manifestare potest, quo nobis communicat veritates naturales, v. g. omnes circuli radios

esse æquales: id est, efficere potest ut tam infallibiliter judicemus ipsum nobis loqui interne, quam certo percipimus veritates evidentes. Ergo.

At non tenemur fidem iis omnibus adhibere qui prætendunt se a Deo fuisse missos et nomine ejus loqui; requiruntur notæ quibus prudenter judicemus eos non esse deceptos aut deceptores; notæ autem illæ duplicis sunt generis: aliæ sunt negativæ et aliæ positivæ.

Note negativæ sunt quædam conditiones sine quibus revelatio existere non potest, quamvis iis positus non constet illam existere, ideoque vocantur negativæ.

Illæ vero conditiones sunt: 1^o ut doctrina quæ tanquam revelata profertur non sit evidenter absurda; nam quod est absurdum falsum est, et a Deo revelari non potest. 2^o Requiritur ut præcedenti revelationi certæ non sit opposita, quia repugnat Deum sibi contradicere: attamen quasdam leges positivas ad tempus duraturas condere, alias eis substituere, et revelationem obscure factam clarius deinceps manifestare potest. 3^o Requiritur, saltem ordinariæ, ut ii quibus revelatio facta dicitur, sint probi, pii et virtutibus conspicui; licet enim impios ad declarationem veritatis Deus cogere possit, repugnat tamen illum, ad revelandam iustitiamque religionem sanctam, eorum uti ministerio qui tanquam peccatores publice habentur. 4^o Requiritur ut doctrina quæ velut revelata exhibetur, ad Dei gloriam et hominis felicitatem conducat; si enim ad finem perversum tenderet, vel cupiditatibus faveret, a Deo venire non posset.

Note positivæ sunt signa quædam extrinseca et velut litteræ testimoniales, digito Dei subscriptæ ipsiusque sigillo munitæ, quibus infallibiliter judicatur præcones revelationis ab eo missos fuisse et nomine ipsius loqui. Signa hæc vocantur credibilitatis motiva. Necesse est ut sint: 1^o sensibilia, et quædam saltem omnium captui accommodata; alioquin simplices et imperiti revelationem prudenter cognoscere non possent; 2^o certa et inconcussa, ut omnem tollant dubitationem et ad fidem proxime disponant.

Plurima autem numerantur signa externa, nempe mira-

Inst. 3^o. Absurdum est objecta per alienos oculos videre: ergo *a pari*, etc.

R. Dist. ant. Absurdum est, etc. si oculi nostri sint sani et objecta præsentia, *concedo*; si oculi sint vitiiati, vel si objecta sint a longe posita, *nego ant.* Equidem absurdum esset objecta per alienos oculos videre, si oculi nostri essent sani et objecta præsentia: at si oculi nostri sint vitiiati, non absurdum est objecta per alienos oculos videre; imo absurdum esset ea negare, quamvis testes oculati assererent illa existere et esse talia vel talia: at in rebus religionis, circa quas cæci sumus, non minus absurde Deo loquenti denegaretur assensus. Ergo.

Inst. 4^o. Pagani et Mahumetani non magis dubitare debent de sacerdotum suorum sinceritate quam apud nos plebeii et imperiti: si ergo sola via auctoritatis admitenda sit, nullo modo a tenebris errorum suorum exire poterunt.

R. Nego ant. Nam facta quæ in favorem religionis Christianæ narrantur, tam sensibilia, clara et splendida sunt, doctrina illius tam sapiens, pura et sancta est, ut omnes facile percipiant sacerdotes non esse deceptos nec deceptores: atqui tales veritatis characteres non reperiuntur in paganismo nec in mahumetismo, ut unicuique etiam leviter attendenti patebit; undique enim et in dogmatibus et in factis evidens manifestatur absurditas. Ergo nulla est paritas.

CAPUT TERTIUM.

DE CHARACTERIBUS QUIBUS EXISTENTIA REVELATIONIS CERTO CONSTARE POTEST.

Respectu illius cui immediate Deus loquitur, nullum requiritur signum externum; eodem modo enim Deus veritates supernaturales nobis manifestare potest, quo nobis communicat veritates naturales, v. g. omnes circuli radios

esse æquales: id est, efficere potest ut tam infallibiliter judicemus ipsum nobis loqui interne, quam certo percipimus veritates evidentes. Ergo.

At non tenemur fidem iis omnibus adhibere qui prætendunt se a Deo fuisse missos et nomine ejus loqui; requiruntur notæ quibus prudenter judicemus eos non esse deceptos aut deceptores; notæ autem illæ duplicis sunt generis: aliæ sunt negativæ et aliæ positivæ.

Note negativæ sunt quædam conditiones sine quibus revelatio existere non potest, quamvis iis positus non constet illam existere, ideoque vocantur negativæ.

Illæ vero conditiones sunt: 1^o ut doctrina quæ tanquam revelata profertur non sit evidenter absurda; nam quod est absurdum falsum est, et a Deo revelari non potest. 2^o Requiritur ut præcedenti revelationi certæ non sit opposita, quia repugnat Deum sibi contradicere: attamen quasdam leges positivas ad tempus duraturas condere, alias eis substituere, et revelationem obscure factam clarius deinceps manifestare potest. 3^o Requiritur, saltem ordinariæ, ut ii quibus revelatio facta dicitur, sint probi, pii et virtutibus conspicui; licet enim impios ad declarationem veritatis Deus cogere possit, repugnat tamen illum, ad revelandam iustitiamque religionem sanctam, eorum uti ministerio qui tanquam peccatores publice habentur. 4^o Requiritur ut doctrina quæ velut revelata exhibetur, ad Dei gloriam et hominis felicitatem conducat; si enim ad finem perversum tenderet, vel cupiditatibus faveret, a Deo venire non posset.

Note positivæ sunt signa quædam extrinseca et velut litteræ testimoniales, digito Dei subscriptæ ipsiusque sigillo munitæ, quibus infallibiliter judicatur præcones revelationis ab eo missos fuisse et nomine ipsius loqui. Signa hæc vocantur credibilitatis motiva. Necesse est ut sint: 1^o sensibilia, et quædam saltem omnium captui accommodata; alioquin simplices et imperiti revelationem prudenter cognoscere non possent; 2^o certa et inconcussa, ut omnem tollant dubitationem et ad fidem proxime disponant.

Plurima autem numerantur signa externa, nempe mira-

cula, prophetiæ, martyres, mira religionis propagatio, etc. Primum et præcipuum locum tenent miracula et prophetiæ, de quibus valde litigant cuncti revelationis hostes. Nobis igitur de illis paulo fusius in duplici articulo disse- rendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MIRACULIS.

Hanc gravis momenti questionem sub uno tantum re- spectu investigaturi sumus, quatenus scilicet miraculum exliberi potest ut veræ religionis demonstratio relative ad nos, et examinaturi sumus: 1^o quid sit miraculum; 2^o an sit possibile; 3^o an certo cognosci possit; 4^o an vim habeat probandi veram esse doctrinam in cuius gratiam patrat.

Miraculum igitur consideraturi sumus in genere, a cun- ctis peculiaribus factis abstrahendo, necnon a potestate sive angelorum, sive demonum.

§ I. Quid sit miraculum.

Miraculum a *mirando* sic dicitur, quia, juxta omnes, est factum aliquod insolitum et mirandum. Certum est tamen omnia facti quæ mirationem movent et excitant, non ideo esse miracula: nam multa quasi inviti miramur quæ sunt naturalia, qualia sunt stupendi effectus electricitatis et magnetis, apparitiones cometarum, auroræ boreales, sub- tilitates nonnullorum ludentium, *des joueurs de gobelets, des faiseurs de tours de passe-passe*, etc.

Philosophi autem et theologi non sibi concordant in as- signando legitimam et accuratam miraculi definitionem: præcipuas eorum opiniones referemus, deinde nostram statuemus.

1^o *Locke*, philosophus Anglus, in opere gallice inscrip- to *Christianisme raisonnable*, definit miraculum: *Opus sensibile quod cursui naturæ contrarium et divinum judicat spectator*. At illa definitio admitti non potest; ex ea enim sequeretur idem opus fore simul miraculum et non mira- culum, prout judicaretur ab adstantibus.

2^o *Clarke*, alter celeberrimus Anglus, *Traité de l'exis- tence de Dieu*, t. 3, c. 19, miraculum definit: *Opus con- trarium cursui consucto naturæ, id est, regularibus et constantibus legibus juxta quas Deus regit orbem universum, productum interventu intelligentiæ homini superioris*. Hæc definitio a multis theologis admittitur, et nihil continet propter quod rejici debeat.

3^o *Houtteville*, in suo tractatu dicto *La religion chretienne prouvée par les faits*, definit miraculum, l. 1, c. 6: *Un événement singulier produit hors de l'enchaînement des causes naturelles*. Postea, confutens *Spinosam*, qui con- tendebat miracula esse impossibilia quia Deus sua de- creta mutare non potest, dicit supponi posse Deum, in ipso mundi exordio, universas condendo leges quibus re- gerentur corpora, non ad solum ordinem physicum atten- disse, sed etiam ordinem moralem et seriem eventuum quibus vera religio confirmanda esset inter homines, quasdam simul intuituisse leges occultas quæ, in determi- natis circumstantiis, extraordinarios producerent effectus quos miracula vocamus. Hæc hypothesis, inquit, minime repugnat; nam Deus, qui libere leges universi orbis con- debat, quas volebat exceptiones eis apponere poterat: in ea autem hypothesi, decreta sua non mutat, miracula operando, siquidem ea prævidit, voluit et ab initio mundi decrevit. Hæc miracula nihilominus vim habent probandi; cum enim sint eventus extraordinarii, licet legum natura- lium consecraria, voluntatem Dei evidenter manifestant, quia casu fortuito cum circumstantiis in quibus patrantur coincidere non possunt: quis, v. g., dicere vellet solo casu fortuito fieri posse ut ad vocem ejusdem hominis cæci vi- deant, surdi audiant, muti loquantur, claudi ambulent, morbi pellantur, mortui resurgant, etc., etiamsi effectus isti ex legibus ab initio conditis orirentur? Revera igitur dicendum est eum magis Pharaonis: *Digitus Dei est hic*, Exod. viii, 19. Ergo.

Ad hanc hypothesim *Houtteville*, quam ipse non admit- tit nisi ut possibilem, recurrere non necesse est ut *Spinosæ* argumentum funditus evertatur. Ideo enim, juxta *Spino-*

sam, Deus patrare non potest miracula, quia, ex una parte, leges naturæ sunt ipsius decreta, et ex altera parte decreta sua mutare non potest: sed, admissis duabus his præmissis, nihilominus Deus patrare potest miracula leges naturæ suspendendo; ab initio enim decernere potuit quod in tali vel tali circumstantia has suspenderet leges: atqui tuæ, eas suspendendo, sua non mutat decreta, sed e contra ea perficit et absolvit, ut manifestum est.

Præterea, hypothesis ab *Houtteville* excogitata 1º nullo innititur fundamento, siquidem nihil in illius gratiam affertur, præter meram possibilitatem; 2º adversatur vulgari hominum opinioni, qui omnes persuasum habent miraculo universalibus naturæ legibus derogari; 3º verbis actibusque Christi et Apostolorum consentanea non videtur: dicitur enim de illis quod miracula operarentur, ventis et mari imperando, infirmos curando, mortuos suscitando, opera faciendo, etc. Ergo.

Miraculum igitur recte definitur: *Opus externum, consuetis naturæ legibus contrarium, et vires humanas superans.*

Dicitur 1º *opus externum*, quia debet esse sensibile et omnibus cognitu facile; alioquin clara et evidens revelationis nota esse non posset.

Dicitur 2º *consuetis naturæ legibus contrarium*; his verbis a quibuscumque naturalibus operibus distinguitur et sigillum Dei esse intelligitur, saltem ex natura sua, ut ex dicendis patebit.

Dicitur 3º *vires humanas superans*; non vero asserimus illud vires angelicas necessario superare.

§ II. An miraculum sit possibile.

PROPOSITIO.

Miraculum, prout illud definivimus, est possibile.

Prob. Miraculum, ex dictis, nihil aliud est quam derogatio consuetis naturæ legibus: at Deus, qui est auctor legum naturæ, eis pro nutu suo derogare potest, sive per se immediate, sive per delegatum.

Præterea, si eis derogare non posset, maxime propter suam immutabilitatem, ut aint increduli post antesignatum suum Spinosam: verum hæc ratio nulla est, siquidem, ut jam notavimus, Deus, condendo leges suas, ab æterno statuere potuit se eis in talibus vel talibus circumstantiis derogaturum esse. Ergo, etc.

Unde sic ipse civis Genevensis, omnis religionis revelatae hostis infensissimus, *Lettre 3º de la Montagne*:

« Dieu peut-il faire des miracles? c'est-à-dire peut-il
« déroger aux lois qu'il a établies? Cette question, sérieu-
« sement traitée, serait impie, si elle n'était absurde: ce
« serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négati-
« vement, que de le punir; il suffirait de l'enfermer:
« mais aussi quel homme a jamais nié que Dieu pût faire
« des miracles? »

Obj. Deus non potest turbare ordinem hujus mundi, quem sapienter instituit: at operando miracula turbaret ordinem hujus mundi: ergo.

R. 1º. Nego maj. Deus enim pro libitu illum perturbare potest et finem quem libere instituit, quem potuisset non instituisse, quem mutare et destruere posset: atqui certum est Deum ordinem præsentis aspectabilis mundi libere instituisse, illum nunc mutare et etiam destruere posse: ergo 1º.

R. 2º. Nego min. Si enim Deus patrando miracula ordinem mundi turbaret, certe quia leges naturæ suspenderet: atqui ordinem mundi non ideo perturbat, quia leges naturæ aliquando suspendit; lex enim contra quam peragitur miraculum in eo tantum casu particulari suspenditur, in cæteris vero casibus consuetos habet effectus: v. g. si ignis in fornace Babylonis tribus pueris pepereit, non ideo cessavit in aliis mundi partibus et in cæteris casibus objecta sibi exposita, juxta morem suum, comburere. Ergo.

§ III. An miraculum certo cognosci possit.

PROPOSITIO.

Miraculum certo cognosci potest.

Prob. Miraculum enim, ex dictis, est derogatio consuetis

naturæ legibus : at certo cognoscere possumus consuetis naturæ legibus fuisse derogatum, si nempe consuetas naturæ leges circa nonnullos effectus certo noscimus, et clare videamus factum eis oppositum : porro hæc duo constare possunt ; v. g. experientia omnium sæculorum constat solem quotidie ab oriente ad occasum declinare videri, nunquam pati eclipsum nisi luna ipsum inter et terram fuerit posita, ac proinde tempore novilunii ; morbos pertinaces subito et absque remediis physice applicatis non sanari, mortuos non resurgere, etc. : si ergo videamus solem in medio cursus sui sistere, in tempore plenilunii eclipsum pati ; ad solum hominis jussum conspiciamus morbos expelli, infirmitates curari, mortuos resurgere, nonne videmus aperte hæc extraordinaria facta consuetis naturæ legibus nobis bene notis esse contraria ? Ergo, etc.

Dices cum rationalistis : Totam naturæ energiam omnesque leges ejus non cognoscimus : ergo temere affirmamus extraordinaria facta quæ vocantur miracula, non esse effectus causarum naturalium nobis ignotarum.

R. Nego conseq. 1^o Quamvis enim totam naturæ energiam et inctasque illius leges non cognoscimus, affirmare possumus, absque ullo errandi periculo, tales aut tales effectus non esse consecutaria alicujus legis naturalis nobis ignota ; v. g. licet non percipiamus quid industria humana in sanandis morbis valeat, infallibiliter affirmamus pertinaces morbos ad jussum hominis expelli non posse. 2^o Leges occultæ ex solis viribus naturæ agentes, effectus suos stupendos arbitrariis hominis verbis aut factis apprimè conformes non producerent. 3^o Leges naturæ debent esse constantes, uniformes et eosdem producere effectus in iisdem circumstantiis : at tales non essent illæ fictitiæ leges quæ in sinu naturæ delitescere supponuntur, siquidem, postquam per multa sæcula otiose existissent, in effectum subito crumperent, et statim in eandem relaberentur inertiam. 4^o Repugnat Deum, auctorem naturæ, nos inducere in errorem : at, si facta supra descripta naturales essent effectus *energix* naturæ, seu quarundam legum occultarum, Deus nos induceret in errorem ; siquidem

omnes homines, stupenda hujusmodi videntes facta, invincibili feruntur propensione ad judicandum, quidquid ipsis objiciatur, talia facta naturæ vires superare. Ergo.

§ IV. An miracula habeant vim probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur.

PROPOSITIO.

Miracula certo existentia vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur.

Prob. Etenim 1^o miraculum est effectus consuetis naturæ legibus derogans et speciali Dei auctoris naturæ actu productus vel permissus : at talis effectus evidenter probat veram esse doctrinam in cujus gratiam producitur, quia haberi debet velut testimonium Dei eam confirmantis : supponatur enim homo qui annuntiat aliquam doctrinam ut divinam et polliceatur se, in illius confirmationem, mortuum suscitaturum aut quoddam aliud portentum operaturum ; si effectus promissionem sequatur, nonne universorum oculis clare patebit Deum hanc prædicationem sigillo suo munire ? Errorem enim sic obfirmare non potest : ergo. Unde civis Genevensis, *Emile*, lib. 4 : « Qu'un » homme vienne nous tenir ce langage : Mortels, je vous » annonce la volonté du Très-Haut ; reconnaissez à ma » voix celui qui m'envoie. J'ordonne au soleil de changer » sa course, aux étoiles de former un autre arrangement, » aux montagnes de s'aplanir, aux flots de s'élever, à la » terre de prendre un autre aspect : à ces merveilles, qui » ne reconnaîtra pas à l'instant le Maître de la nature ? elle » n'obéit point aux imposteurs. » Ergo.

Et verò negari non potest Deum voluntates suas hominibus per ministerium legatorum manifestare posse. Quemadmodum autem principes litteras commendatitias appositione sigilli regii authenticas faciunt, ita et Deus missionem legatorum suorum aliquo signo certam facere debet : at nullum excogitari potest signum magis divinum et sensibile quam miraculum. Itaque, vel miracula vim

habent, etc., vel dicendum est Deum voluntates suas per ministerium legatorum certo manifestare non posse: hoc autem posterius admitti nequit: ergo.

2° Propensio universalis, constans et invincibilis ut firmum veritatis argumentum haberi debet: at propensione universali, constanti et invincibili ferimur ad iudicandum miracula divinæ voluntatis esse signa splendidissima; cum enim sciamus Deum esse mundi rectorem et legum quibus regitur conditorem, ubi videmus eas interrumpi vel suspendi, v. g., morbos ad vocem hominis fugere, caecos videre, claudos ambulare, mortuos resurgere, etc., invincibili propensione ferimur ad iudicandum ea divina virtute fieri, et dicimus sicut incantatores Pharaonis: *Digitus Dei est hic*. Hinc omnes populi persuasum semper habuerunt præcipua religionis momenta esse divina miracula; hinc confessio philosophi Genevensis, qui in sua impietate dicebat se nolle videre miraculum, ne insanus præ stupore fieret. Hæc sunt ipsius verba de extraordinariis sanationibus loquentis, 3° *Lettre de la Montagne, Mélanges*: « Il y a pourtant, je l'avoue, des choses qui m'étonneraient fort, si j'en étais le témoin... Au reste, quelque frapant que pût me paraître un pareil spectacle, je ne voudrais pour rien au monde en être témoin; car que sais-je ce qu'il pourrait en arriver? Au lieu de me rendre crédule, j'aurais grand'peur qu'il ne me rendit que fou.» Ergo.

3° Divina Providentia, omnia in ordine morali sicut et in ordine physico gubernans, permittere non potest piissimos homines in errorem invincibilem induci: at si miracula vim non haberent probandi, etc., Deus permetteret piissimos homines in errorem invincibilem induci. Etenim quid Deo magis placeat attente observantes, si advertant miracula in gratiam alicujus doctrinæ patrari, invincibili propensione feruntur ad iudicandum eam a Deo venire, et adversus conscientiae dictamen se ire arbitrarentur, nisi corde et animo ei subscriberent: ita ut cum Hugone a Sancto-Victore, lib. *De Trinitate*, dicere possent: « Domine, si error est, a teipso decepti sumus; ista enim in nobis

» tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt: » ergo 3°, etc. aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Multi non experiuntur propensionem qua contendimus impelli homines ad iudicandum miracula divinæ voluntatis esse signa. Ergo.

R. 1°. *Nego ant.* Quod enim omnium populorum consensu firmatur, ut v. x. naturæ haberi debet: atqui consensus omnium populorum testatur omnibus inesse propensionem ad iudicandum, etc. Ipsi deistæ fatentur religionem esse divinam si tot firmetur miraculis quot in gratiam religionis Judaicæ et Christianæ facta esse dicuntur: Spinoza solebat dicere, referente Bayle in suo Dictionario, fidem Christianam se amplecturam esse si resurrectionem Lazari certam existimaret: hæc igitur miracula rejiciunt, non autem negant propensionem qua ferimur ad iudicandum, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Plures enim negaverunt ex relatione sensuum demonstrari posse corpora existere; alii dixerunt nullum amorem erga parentes esse præscriptum: attamen inde concludere non licet propensionem qua ferimur ad iudicandum corpora existere, vel amorem parentibus debitum, non esse naturalem: ergo pariter, etiamsi plures miraculis non moverentur, non ideo inferendum foret naturalem in nobis non esse propensionem ad iudicandum ea divinæ voluntatis esse signa. Ratio autem cur increduli miraculis non moveantur, est quia doctrina iis confirmata cupiditatibus adversatur.

Inst. 1°. Forte hæc propensionem diabolus producit, ut nos decipiat, ergo.

R. Nego suppositionem. Illa sententia admitti non potest quæ omnem tolleret certitudinem physicam et moralem: atqui hæc sententia omnem tolleret, etc. Si enim admittatur diabolus per quamdam propensionem invincibilem ad fidem mendacibus portentis adhibendam nos determinare, semper vobis timendum erit ne sic per ali-

quam diabolicam artem deludamur, et ita omnis certitudo corruet : Deus autem id permittere non potest respectu totius generis humani. Ergo.

Obj. cum Rousseau, Emile, lib. 4 : « Apôtre de la vérité, qu'avez-vous donc à me dire dont je ne reste pas le juge? Dicu lui-même a parlé : écoutez sa révélation. C'est autre chose. Dicu a parlé : voilà certes un grand mot. Et à qui a-t-il parlé? Il a parlé aux hommes. Pourquoi donc n'en ai-je rien entendu? Il a chargé d'autres hommes de vous rendre sa parole. J'entends : ce sont des hommes qui vont me dire ce que Dieu a dit. J'aimerais mieux avoir entendu Dieu lui-même; il ne lui en aurait pas coûté davantage, et j'aurais été à l'abri de la séduction. Il vous en garantit en manifestant la mission de ses envoyés. Comment cela? Par des prodiges. Et où sont ces prodiges? Dans les livres. Et qui a fait ces livres? Des hommes. Et qui a vu ces prodiges? Des hommes qui les attestent. Quoi! toujours des témoignages humains? toujours des hommes qui me rapportent ce que d'autres hommes ont rapporté? Que d'hommes entre Dieu et moi! » Unde sic. Illi miraculis credere non tenentur qui propriis oculis ea non conspexerunt : ergo vim probandi non habent miracula, nisi ad summum respectu testium oculatorum.

R. Nego ant. Tenemur enim fidem eis adhibere miraculis quæ in dubium rationabiliter revocare non possumus : at fieri potest ut in dubium rationabiliter revocare non possimus miracula quæ tamen propriis non conspeximus oculis : nam multa sunt facta præterita a nobis longe distantia, quæ tamen in dubium nullo modo revocare possumus : talia sunt facta Soeratis, juxta ipsum *Rousseau, ibid.* ; atqui miracula sunt facta sensibilia, tam cognitu facilia quam alia qualibet facta historica : non magis enim multi decipi aut decipere possunt, sive loquendo, sive scribendo, circa prodigia non æquivoca, sed manifesta et publice facta, quam circa naturales eventus : ergo.

Et vero, si Deus efficere teneretur ut singuli eum loquentem audiremus, miracula jam non essent miracula;

vel enim secundum regulas uniformes contingerent, vel non : si prius, non essent miracula, nec plus ea miramur quam animalium generationem, granorum, plantarum ac arborum reproductionem aliaque hujusmodi mirabilia; si posterius, quotidie legibus nature diversis modis derogaretur, et nihil esset certum. Ergo.

Inst. 1^o. Fidem adhibere miraculis non tenemur nisi sint certissima : at miracula præterita non possunt esse respectu nostri certissima : ergo.

R. Nego min. propter rationes jam allatas. Tam enim miracula certa esse possunt respectu nostri, quam facta historica : sed quædam facta historica sunt respectu nostri certissima, fatentibus ipsis adversariis : ergo.

Inst. 2^o. Testimonium unius aut alterius hominis est fallibile : at sæpe miracula præterita testimonio unius aut alterius hominis duntaxat constant, nempe respectu imperitorum apud Christianos, et omnium apud gentiles : ergo.

R. 1^o. Hæc objectio deistas removere non deberet a credendo ; ibi enim de imperitis agitur, et ipsi inter imperitos se annumerandos non putant. Ergo.

R. 2^o. *Nego min.* et dico de miraculi essentia non esse ut illius existentia testimonio unius aut alterius hominis duntaxat nitatur : factum quippe consuetis nature legibus derogans potest esse non solum sensibile, sed coram multis patratum, sed publicum, et talibus veritatis characteribus vestitum ut in dubium rationabiliter revocari non possit.

Sic qui apud Christianos nascuntur, vix balbutientes, a parentibus vel ab Ecclesie ministris ea audiunt facta quibus religio Christi fundatur ; eadem quotidie vident in monumentis consignata, videlicet in festis Nativitatis, Epiphaniæ, Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, in solemnitate Pentecostes, in festivitibus sanctorum Martyrum, in templis ubique erectis, in mirifica religionis propagatione et ejus ubique diffusione ; multos audiunt doctos sicut et indoctos de iisdem factis tanquam verissimis loquentes. Quo majorem acquirunt ætatem et experientiam, eo magis in cognitionibus istis proficiunt ac con-

firmantur: sicque tam certo miracula cognoscunt quam facta suæ gentis, v. g. bella, victorias, seriem principum qui eam rexerunt. At dici non potest quod imperiti hæc gentis suæ facta testimonio tantum unius aut alterius hominis cognoscant. Ergo *a pari*, etc.

Eundem ferme vim habet argumentum istud respectu gentium apud quos Evangelium prædicatur; qui enim fidem christianam amplectuntur, non ideo miracula credunt quia ab uno vel ab altero missionario referuntur, sed quia ex diversis adjunctis prudenter judicant illa eo modo facta esse, quo in Evangelio describuntur; eorum autem motiva deducuntur tum ex numero præconum eorumdemque agendi ratione ac loquendi modo, tum ex testimonio Christianorum qui diversis de causis ad has vel vicinas regiones appellunt; tum ex inspectione librorum Novi Testamenti qui exhibentur, aliorumque librorum religionis in linguam vulgarem conversorum; tum ex auctoritate librorum Veteris Testamenti, qui cum Judæis ubicumque nunc existunt; tum ex mira quæ inter varias utriusque Testamenti partes clucet concordia.

Quando missionarii sacrum ministerium apud ethnicos exercent, primo illis ostendere conantur quam absurda sit eorum religio, deinde unitatem Dei ejusque attributa explicant, cultum ipsi exhibendum esse demonstrant, præcepta moralia evolvunt: ordinariæ tam lucida, tam perfecta hæc præcepta primo intuitu apparent, ut statim judicentur vera. Deinde altissima proponuntur mysteria, in quibus summa Dei benignitas et maxima religionis majestas refalget. Narratur historia præcipuorum miraculorum aliorumque factorum quæ ad religionis Christianæ institutionem et propagationem pertinent. Hæc autem ita videntur concatenata ut qui cupiditatibus non captivantur facile ea credant.

Præterea, quamvis testimonium unius aut alterius ex natura sua sit fallibile, non sequitur illud nunquam generare certitudinem; nam fieri potest ut, ex circumstantiis, omnem excludat erroris formidinem. Sic quotidie, absque errandi formidine, nonnulla credimus facta ex relatione

unius aut alterius testis, cujus sagacitatem et veracitatem novimus. Porro gentiles judicare possunt divinos Evangelii præcones, qui, nulla spe humana ducti, tanta percurrunt spatia, tantos subeunt labores, tantis et tam frequentibus se exponunt periculis, non esse mendaces, præsertim cum illos videant tantis coruscantes virtutibus.

Insuper, Deus non semel prædicationem Evangelii apud gentes ethnicas evidentibus confirmavit prodigiis: sic vestigia S. Francisci Xaverii illustravit.

Innumeris viis occultis agere potest in mentes, sicut nunc in mentes infantium et imperitorum apud Christianos agit, eas nempe illuminando et pia motione ad credendum inclinando. Inde fit quod illæ simplicis animæ videant religionem Christianam rationi esse conformem, miseriæ humanæ necessariam, et quodam modo sentiunt eam esse veram. Quod sic exprimit Pascal, cap. 6, *Fai sans raisonnement*: « Ceux que nous voyons chrétiens sans la connaissance des prophéties et des preuves, ne laissent pas d'en juger aussi bien que ceux qui ont cette connaissance: ils en jugent par le cœur, comme les autres par l'esprit. C'est Dieu lui-même qui les incline à croire, et ainsi ils sont très-efficacement persuadés. » Ergo, etc.

Obj. 3^o. Miracula sunt tantummodo facta consuetis naturæ legibus opposita: atqui hujusmodi facta voluntatem Dei per seipsa non manifestant: ergo.

R. Dist. min. Voluntatem Dei non manifestant, si considerantur seorsim a circumstantiis in quibus peraguntur, vel ab interpretatione illius cujus ministerio Deus utitur, *concedo*; secus, *nego min.* Equidem, si miracula considerarem independentem a circumstantiis, v. g. si hodie solem in cursu stare videremus, nihil iude concludere possemus; sed ubi speciales absunt circumstantiæ, vel interpretatio illius cujus ministerio Deus utitur, miracula aliquid significant: id autem quod significant necessario verum est, alioquin Deus falsum approbaret; quod repugnat. Ergo.

Inst. 1^o. Fieri potest ut qui profert doctrinam tanquam a Deo revelatam, delusus fuerit, meras imaginationes

aut quosdam aeris motus vel sonos pro supernaturali lo-
quela sumens, vel decipere intendat; ergo.

R. Nego conseq. Non quidem impossibile est aliquem,
per quædam imaginationis deliramenta aut per nonnullas
sensuum turbationes, delusum fuisse; nec etiam repugnat
aliquem intendere alios per revelationem suppositam deci-
pere. Verum delusus aut delusor narrationes suas veris
non confirmaret miraculis, alioquin error in ipsum Deum
rehtuendus esset. Ergo.

Inst. 2^o. Deus permittit sacramenti ministrum potestate
sibi divinitus concessa abuti: ergo permittit potest
ut miraculorum minister eis ad decipiendum abutatur.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est,
quod homines naturali propensione impellantur ad cre-
dendum Deum per miracula loqui: unde, si Deus vera
patraret aut patrari permetteret miracula in gratiam erro-
ris, ipse ad errorem impelleret: contra vero, cum homi-
nes naturali et invincibili propeusione non ferantur ad
credendum ministrum sacramentorum ea semper licite
ac valide administrare, error, si quis existat, in Deum
refundi non potest. Ergo.

Inst. 3^o. Fieri potest ut demones quædam faciant opera
extraordinaria, vires humanas superantia, ad suadendam
falsitatem: at in ea hypothesis nullum daretur signum quo
miracula ab hujusmodi prodigiis tuto secerentur:
ergo.

R. 1^o. De potestate demonum alibi diximus, in Meta-
physica, ubi *De angelis*, et hic tractare non intendimus.

R. 2^o Nego min. Nam 1^o si prodigium sit inutile, ri-
diculum, indecorum, aliquid crudelitatis, obscenitatis,
fraudis vel cujusvis eriminis admixtum exhibeat, sive in
operatione externa, sive in effectibus ejus, Deo tribui non
potest, quia repugnat Deum consuetis naturæ legibus
derogare ad illicita confirmanda aut perficiendas nugas:
Sanctus est enim in omnibus operibus suis. (Psal. cXLIV.)
Hinc quedam prodigia apud veteres paganos celebrata,
ut aqua in cribro delata et non effluens, cos novacula in-
cisa, humanæ sunt imposturæ, vel diabolicæ operationes.

Eodem modo pronuntiandum est de famosis *convulsioni-*
bus Jansenistarum: quis enim credere potest Deum leges
naturæ suspendere aut eis derogare ut homines ad pieta-
tem se exercentes exeruciet, ab eis clamores, dentium
stridorem, membrorum contorsiones, saltus incomposi-
tos extorqueat? Similiter quæ tendunt ad solam curiosi-
tatem, ostentationem, superbiam, qualis fuisse refertur
ascensio Simonis magi per acrem coram Nerone, a Deo
venire nequeunt. 2^o Si, e contra, factum adeo sit splen-
didum ut actionem Auctoris naturæ evidenter arguat,
v. g. resurrectio mortuorum, subita morborum sanatio,
panum multiplicatio, super aquas deambulatio, etc.; si
appareant hujusmodi facta numerosa, pro circumstantiis
varia, opportuna, ad vocem loquentis prodeuntia, soli
Deo tribui possunt. Ergo, etc.

Obj. 4^o. Ope magnetismi nunc stupendi producantur
effectus qui mirationem excitant et tamen nihil probant;
ergo, etc.

R. Nego conseq. Nam 1^o plures saltem extraordinarii
magnetismi effectus a multis, post longas experientias,
rejiuntur ut falsi; 2^o si veri sint, haberi debent ut effec-
tus causarum naturalium nobis ignotarum. Quot in ordine
naturali alii existunt effectus quos explicare non possu-
mus! Nulla est similitudo inter magnetismi prodigia et
facta in libris sacris exhibita ut miraculosa. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PROPHETIIS.

Vox prophetia a duobus verbis græcis venit, $\pi\pi\sigma$ ante,
et $\pi\pi\alpha$ dico: unde formatae sunt voces latine, *prædicere*,
prædictio. Prophetia autem recte definitur: *Prædictio cer-
ta eventus futuri qui in causis naturalibus ab intelligentia
humana prævideri non potuit.*

Quatuor, juxta omnes, requiruntur conditiones ut præ-
dictio alicujus eventus vera sit prophetia: scilicet, 1^o ut
ante eventum facta fuerit; 2^o ut eventus contingat et præ-
dictioni consentiat; 3^o ut in causis naturalibus prævideri

non potuerit; 4^o ut consensio eventus cum prædictione casui fortuito tribui non possit. Necessitas huiusmodi conditionum per se patet.

Eadem recurrunt questiones circa prophetiam ac circa miraculum, videlicet 1^o an sit possibilis; 2^o an certo cognosci possit; 3^o an vim habeat probandi veram esse doctrinam in cuius gratiam editur. His questionibus per sequentes propositiones responsuri sumus.

PROPOSITIO PRIMA.

Prophetia est possibilis.

Prob. Prophetia est possibilis si Deus quos iam noscat eventus futuros qui in causis naturalibus prævideri non possint, et si eos hominibus prænuntiare possit: atqui hæc duo ce ta sunt. 1^o Deus quosdam noscit eventus futuros qui, e. c., nam, ut pote infinitus in scientia, universa novit, et præterita, et præsentia, et quæcumque futura, etiam contingentia et libera, ut contra deistas in Philosophia probatur: porro, inter hæc futura, multa sunt quæ in causis naturalibus prævideri non possunt, v. g. natiuitas hominis qui circa ducentos annos venturus est, nomen ejus, præcipue ipsius vitæ actiones; certum est enim hæc in causis naturalibus prævideri non posse. Ergo 1^o. 2^o Eventus illos quos perfecte noscit, Deus manifestare potest hominibus; aptissima enim ipsi non desunt media quibus homines alloqui possit: vel 1^o per inspirationem internam, certam quarundam veritatum cognitionem mentibus imprimendo; vel 2^o clara voce; vel 3^o per visionem, res futuras manifestando prophetæ ut præsentis; vel 4^o per somnia, etc. In his casibus signa indubitata locutionis sue dare potest Deus; id a nemine negari potest, sicut ostendimus supra, ubi de revelatione in genere. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Prophetiarum existentia a certo cognosci potest.

Prob. Ad hoc enim tria sunt requisita, videlicet 1^o ut

futurus eventus certo prænuntiatus fuerit; 2^o ut eo modo contigerit quo fuit prædictus, et 3^o ut clare videatur illum in causis naturalibus prævideri non potuisse, nec casu fortuito cum prædictione concordari: atqui hæc tria possibilis sunt. 1^o Prædictio futuri eventus est factum ex natura sua sensibile et eodem modo cognoscibile ac alia facta historica. 2^o Idem dicendum est de prædictionis adimplentione; eventus quippe cum suis circumstantiis est factum historicum. 3^o Ex natura eventus et ex adjunctis facile dijudicari potest an ejus prævisio causis naturalibus, vel illius executio casui fortuito tribui possit; v. g. si agatur de futuris liberis longe ante eventum prænuntiatis, quæ tempore statuta cum circumstantiis descriptis apprime contingant. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Prophetia vim habent probandi veram esse doctrinam in cuius confirmationem eduntur.

Prob. 1^o Miracula habent vim probandi veram esse doctrinam in cuius gratiam patrantur: sed in omni prophetia verum existit miraculum; cum eventus futurus qui prædicatur, in causis naturalibus prævideri non poterit, necesse est igitur ut causa supernaturalis interveniat: ergo verum adest miraculum.

2^o Vim quam habent miracula probandi veram esse doctrinam in cuius gratiam patrantur, præcipue deducimus ex naturali propensione qua ferimur ad iudicandum ea esse divinæ voluntatis signa: atqui eadem propensione ferimur et omnes feruntur ad iudicandum prophetias characteribus supra expositis munitas, divinæ voluntatis esse signa; non minus enim inclinamur ad credendum divinam in eis esse operationem quam ad iudicandum miracula a Deo patrari: ergo. Ipse *Rousseau*, *Emile*, lib. 4: « Et pour-
» quoi les prophéties ne font-elles pas autorité pour vous?
» Parce que, pour qu'elles la fissent, il faudrait trois choses dont le concours est impossible; savoir, que j'eusse
» été témoin de la prophétie, que je fusse témoin de l'évé-

nement, et qu'il me fût démontré que cet événement n'a pu cadrer fortuitement avec la prophétie. » Si qua ergo existeret prophetia his conditionibus munita, vim haberet probandi, etc.; porro dari possunt hujusmodi prophetiae ergo.

1^o Fieri potest ut iidem homines sint testes oculati et prophetiae et ejus eventus, quod pluries revera contigit, ut narratur in libris sacris. Sic Moyses annuntiabat Pharaoni horam qua plaga Aegypti incipere et desinere debebant: Elias, Eliseus pluresque alii regibus Juda et Israel praedixerunt eventus quorum futuri erant et revera fuerunt testes: sic Apostoli et innumeri Judaei qui audierant Christum passionem suam, mortem, resurrectionem et ascensionem praenuntiantem, haec propriis oculis viderunt completa: sic generatio de qua Christus dixerat: *Non praeteribit, donec omnia fiant*, testis fuit excidii Hierosolymitani et omnium calamitatum quas obveniendas tam graphice praedixerat, ut legitur apud Matth. XXIV.

2^o Constare potest consensionem inter eventum et praedictionem casui fortuito tribui non posse. Si enim non solum facti substantia praedicatur, sed variae illius circumstantiae ex occultissimis naturae legibus, vel ex libera hominum electione pendentes describantur; si non una aut altera, sed multae edantur prophetiae idem habentes objectum, et tamen eunctae ad apicem impleantur, luce meridiana clarius est concordiam inter eventum et praedictionem casui fortuito tribui non posse: atqui demonstrabimus postea tales existere prophetias. Ergo.

Notandum est quod hic prophetiarum existentiam non discutiamus nec inquiremus, sed tantum earum qualitates speculative et in genere sumptas.

Obijciuntur Sibyllarum vaticinia, quae a multis, etiam a Patribus, prolata fuerunt ut vera oracula a Deo non venientia; videatur P. Baltus, *Réponse à l'Histoire des Oracles de Fontenelle*.

Absolute non repugnat Deum veritatem per Sibyllas quandoque dixisse, sicut olim per Balaam.

Cæterum, supposito quod vaticinia Sibyllis tributa a

Deo non venerint; aut merae fuerunt imposturae, ut volebat *Fontenelle*, et nulla est difficultas; aut daemonum erant opera, ut contendebat *Baltus*, et tunc applicari possunt ea quae supra diximus agendo de prodigiis a daemonibus factis.

Quæritur an prophetiae majorem vel minorem habeant vim probandi quam miracula?

R. 1^o. Certum est miraculum evidenter divinum vim habere probandi, independenter a prophetiis: nam Moyses et Apostoli missionem suam probaverunt per miracula quae non fuerunt praenuntiata, vel quorum praedictio testibus eventus non erat nota, nempe gentilibus: ipse Christus divinitatem suam ex miraculis, sine ullo respectu ad prophetias, ostendit, v. g. ex sanatione paralytici, ex restitutione visus caeco nato, etc. Item Apostoli ex sanationibus per miraculum factis missionem suam probant. Ergo.

R. 2^o. Prophetiae vim habent per se et independenter a miraculis probandi veram esse doctrinam in ejus gratiam eduntur. Nam 1^o Christus, post resurrectionem, discipulos euntes Emmaüs docens, incipit a *Moysè et omnibus prophetis*, Luc. XXIV, 27; de miraculis nihil dicit. 2^o Apostoli saepe solas allegant prophetias, ut in pluribus locis Actuum Apostolorum legitur. 3^o Sapissime sancti Patres alique religionis Christianae defensores argumenta ex solis prophetiis, sine respectu ad miracula, educunt. 4^o Prophetia, *ex dictis*, est opus tam divinum quam miraculum. Ergo.

R. 3^o. Cum miracula et prophetiae sint pariter opera vires humanas superantia, eandem habent vim intrinsecam probandi veram esse doctrinam in ejus testimonium proferuntur: vis autem externa pendet a variis circumstantiis talis miraculi aut prophetiae.

R. 4^o. Verae autem prophetiae eodem modo secerni possunt ab humanis imposturis vel a daemoniorum oraculis, quo vera a falsis distinguuntur miracula.

De potestate angelorum et daemonum relative ad prophetias egimus in Institutionibus nostris Philosophicis, 6^a edit., p. 370.

PARS SECUNDA.

DE RELIGIONE JUDAICA.

Probavimus in *Institut. philos.* necessariam, sed insufficientem esse religionem naturalem; modo autem statuimus revelationem esse possibilem et necessariam: indicavimus signa quibus illius existentia constare possit. Nunc vero inquirendum est an existat. Quatuor religiones gloriantur se revelationem habere, nempe Judaica, Christiana, Mahumetana et Pagana: unica autem potest esse vera. Fatentur deistae religionem Paganam et Mahumetanam esse falsam. Christiana cum Judaica essentialiter colligata est, imo ad originem mundi ascendit, cum Christus, ipsius caput, a primis patriarchis fuerit expectatus tanquam lapsi protoparentis totiusque generis humani reparator. Itaque sedulo examinandum est quid de religione Judaica, deinde quid de Christiana sentiendum sit. Triplex circa religionem Judaicam proponitur quaestio: 1^o an sit vera; 2^o an sit divina; 3^o quamdiu esset duratura; seu de ejus veritate, divinitate et duratione. Unde in hac parte tria erunt capita, quibus praevium praemittimus caput de religione primæva.

CAPUT PRIMUM.

DE RELIGIONE PRIMÆVA.

Inter recentiores deistas plurimi contendunt hominem e manibus Creatoris prodiisse cum sola facultate cogitandi ac ratiocinandi, et omni cognitione destitutum. In hac hypothesi, homines debuerunt propriis viribus ideas intellectuales sibi efformare, sermonem instituere, societatem inire, ad notionem divinitatis et cultus illi exhibendi devenire. Cum multos conspexerint effectus stupendos in

natura sensibili, causas illorum naturali curiositate quaerentes, varias pro variis effectibus sibi finxerunt, eas velut deos habuerunt; sicque natus est polytheismus, prima omnium religio, cui post plurima sæcula successit theismus. Ita *Hume* et alii plures. Quid de tali suppositione sentiendum sit per sequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Prima religio non fuit polytheismus, sed theismus.

Prob. Si antiquiores mundi annales percurramus, semper videmus populos à perfectiori ad minus perfectam religionem descendere, a *spiritualismo* ad cultum siderum, a cultu siderum ad cultum objectorum sublimarium, ad cultum hominum, ad cultum animalium, ad cultum plantarum, etc. Hoc constat exemplo Chaldaeorum, Persarum, Medorum, Ægyptiorum. Græcorum, Romanorum, et maxime Judæorum, qui certe a theismo saepe ad polytheismum transierunt. Ergo systema *Hume* aliorumque incredulorum circa originem polytheismi et theismi, non solum destituitur fundamentis, sed contrarium est historiae, et praesertim Moysis narrationi, cujus authenticitatem, integritatem et veritatem mox demonstraturi sumus. Vide *Pluquet, Mémoires pour servir à l'Histoire des Egarements de l'esprit humain; Discours préliminaire, ch. 1^{er}.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus ab initio hominem cognitionibus positivis instruxit, et religionem ei revelavit.

Prob. 1^a pars. Annales Moysis testantur hominem fuisse creatum adultum, cogitantem, loquentem, ratiocinantem: hac igitur sola ratione cuncta evanescunt deliramenta incredulorum circa originem humanarum cognitionum et linguarum.

Prob. 2^a pars. Narratio Moysis inducit Deum primos parentes nostros alloquentem, eos docentem, saltem uno præcepto positivo obstringentem, peccatores redarguen-

tem, ad penas damnantem et reparatorem eis promittentem: in tali autem agendi ratione se eis manifestavit et plures veritates eis revelavit. Ergo.

Præterea, religio patriarcharum primorumque hominum exhibetur in Genesi ut pura, sancta, sublimis et veneranda: at talis religio a sola ratione humana sic inveniri non potuisset. Etiam si admitteretur nullas in ea exstitisse veritates captum humanum superantes, certum est rationem sibi derelictam non nisi intra multa sæcula ad perfectas huiusmodi notiones divinitatis, cultus illi exhibendi atque præceptorum naturalium pervenire potuisse: quia imo nunquam huc usque devenisset, ut patet exemplo nationum excultissimarum ipsorumque philosophorum qui, ut in Philosophia ostendimus, ope sapientiæ humanæ corpus sanæ doctrinæ circa Deum, religionem et mores efformare non valuerunt. Ergo, etc. Vide *Hooker*, part. 2, art. 3; et *Eergier, Traité de la Religion*, t. 1, c. 1.

Insuper, antiquiores variorum populorum traditiones Genesi concordant circa præcipuas primæ religionis veritates; v. g. quædam reperiuntur vestigia creationis, lapsus hominis, necessitatis mediatoris, ejus promissionis, liberationis per sacrificium obtinendæ, imo et quarundam veritatum christiænæ religionis, ut videre est passim in opere periodico dicto, *Annales de philosophie chrétienne*. Ergo illæ veritates, a Deo primitus revelatæ, lapsu temporum, ignorantia ac cupiditatibus deturpatæ sunt: hinc falsæ natæ sunt religiones.

Quæritur quid revelatio primitiva continuerit.

R. Continebat veritates duplicis generis: dogmata et præcepta moralia.

1º Dogmata, videlicet 1º fidem unius Dei omnipotentis, rerum omnium creatoris et supremi moderantis; 2º formationem hominis ad similitudinem Dei quoad spiraculum vitæ, mentem scilicet, qua præ cæteris animantibus fuit donatus; 3º lapsum Adami e pristino statu, et posterorum ejus ruinam; 4º promissionem Redemptoris venturi et veniæ per illum obtinendæ. Tria priora clare expressa sunt in libro Geneseos; quartum vero deducitur ex his verbis,

Gen. III, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa¹ conteret caput tuum*. Si hæc ultima verba tantummodo sensu litterali intelligerentur, majestate Dei forent indigna; siquidem Deus promitteret solum semen mulieris caput serpentium contritum esse: si e contra sensu metaphorico sumantur, et de liberatione generis humani ex potestate diaboli per serpentem figurati intelligantur, Deum magnifice decet ipsiusque bonitatem ac misericordiam patefaciunt: ergo sic accipi debent. Aliunde divina hæc promissio pluries clarius fuit iterata, v. g. Gen. XXII, 18; XXVI, 4: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Idem constat ex opinione universali circa lapsum humanæ naturæ et promissionem venturi redemptoris. Ergo.

2º Præcepta moralia. Ex prædictis dogmatibus plurima sequuntur officia, tum erga Deum, tum erga alios homines, tum erga nosmetipsos, in natura nostra et in essentiis rerum fundata. Dubitare non licet quin Deus ea parentibus nostris simul revelaverit. Id insuper constat ex historia patriarcharum; clare enim videtur in Genesi eos accurate hæc officia naturalia cognovisse: non potuissent autem ea sola ratione tam cito et tam perfecte cognoscere. Ergo.

Præterea, duo saltem præcepta positiva et generalia Deus primis parentibus revelavit, nempe præceptum offerendi sacrificia cruenta et præceptum sanctificandi diem septimum; quamvis enim natura doceat Deum esse honorandum et aliquod tempus cultui ejus consecrandum, sacrificia cruenta non præcipit, nec circumstantiam diei septimi cultui divino consecrandi determinat: attamen semper et ubique sacrificia cruenta fuerunt in usu apud omnes gentes, et dies septima quodam modo cultui divino fuit consecrata, 1º apud Hebræos etiam ante Moysen, ut satis indicant hæc Dei verba in Exodo, XX, 8: *Memento ut diem sabbati sanctifices*; non tam enim præceptum novum Deus his

¹ In textu Hebræo et Samaritano et in cunctis versionibus Vulgatæ antiquioribus, loco ipsa, legitur ipsum, id est ipsum semen. Sic igitur Vulgata nostra intelligenda est: ipsa mulier, 1º semen suum, conteret caput tuum.

verbis instituit, quam veteris observationem urget; 2^o apud gentes, quæ dies per septimanas ubique diviserunt, et unam ritibus sacris specialiter destinant. Ergo.

CAPUT SECUNDUM.

DE VERITATE RELIGIONIS JUDAICÆ.

Hæc religio describitur in *Pentateucho*, id est, in quinque libris nomine Moysis inscriptis, qui sunt *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri* et *Deuteronomium*. Quinque illi libri in prima origine unicus erant liber qui vocabatur liber Moysis, vel lex Dei aut lex Moysis, id est per Moysen data: sic a Christo et ab Apostolis citatur.

Divisio hujus libri in quinque libros fuit arbitraria. Esdræ tribuitur. Saltem ante celebrem versionem Septuaginta interpretum exstebat.

Vera est ergo religio judaica si Pentateuchus sit authenticus, verus et integer. Præsens igitur caput in tres dividemus articulos: 1^{us} erit de authenticitate Pentateuchi; 2^{us} de ejus veritate, et 3^{us} de ejusdem integritate; quibus quartum addemus de cæteris Veteris Testamenti libris.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AUTHENTICITATE PENTATEUCHI.

Ille liber est authenticus, qui ejus est auctoris cui describitur et eo tempore fuit scriptus ad quod refertur; ille vero est spurius vel apocryphus, qui ejus non est auctoris cui tribuitur, vel qui recentiori tempore fuit scriptus quam dicitur aut creditum est. Itaque Pentateuchus est authenticus si genuinum Moysis sit opus et in ipso reipublicæ Judaicæ initio fuerit scriptus, ut fertur. Spinosi et *Hobbes*, primi contra fidem Judæorum et Christianorum insurgentes, Pentateuchum dicterii lacesserunt atque in dubium revocaverunt. Ab hoc errore non multum recessit Isaac La

Peyrère, auctor libri olim flammis addicti et inscripti *Præadamitæ*: inter multos errores asserebat Adam non fuisse primum hominem, et hodiernum Pentateuchum esse duntaxat fragmenta librorum Moysis. *Richard Simon*, in famoso opere dicto, *Histoire critique du Vieux Testament*, docebat Moysen ordinem scribarum instituisse et eorum ministerio res tempore suo gestas in commentariis scribendas curasse, atque Pentateuchum nunc exstantem esse compendium hujusmodi commentariorum post captivitatem Babylonicam scriptum et publica auctoritate confirmatum. Hodierni increduli, ulterius progredientes, libros Moysis vel omnino rejiciunt, vel erroribus plenos esse affirmant. *His notatis*, sit

PROPOSITIO.

Pentateuchus est genuinum Moysis opus, et eo tempore ad quod refertur fuit scriptus.

Prob. 1^o. Pentateuchus est genuinum, etc., si constanti traditione Judæi, Christiani, Mahumetani et ipsi Pagani illum ut talem semper habuerint; alioquin nullus liber in mundo esset authenticus: atqui Judæi, Christiani, Mahumetani et ipsi Pagani constanti traditione Pentateuchum habuerunt ut genuinum Moysis opus, et eo tempore ad quod refertur scriptum.

1^o *Judæi*. Quotiescumque enim in cæteris Veteris Testamenti libris aliqua fit mentio de lege Judaica, nomine Moysis inscribitur, v. g. Josue, I, 7: *Ut facias et custodias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus*; Judic. III, 4: *Dimisitque eos ut in ipsis experiretur Israellem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non*; item in III Regum, II, 3; in IV Regum, XIV, 6, et in sexcentis aliorum librorum locis. Idem legitur in antiquo Judæorum canone, teste Josepho contra Appionem, lib. 1; idem pariter clare videtur in antiquioribus Scripturæ versionibus, v. g. in ea quæ dicitur Septuaginta interpretum, in Syriaca, in Chaldaica, etc., omnes namque Pentateuchum Moysi tribuunt. Ergo 1^o.

2^o *Christiani*, etc. Legitur enim apud S. Marcum, XII, 19 et 26 : *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi?* etc. Hic refert Christum textus Exodi, III, 6. Apud S. Lucam, XXIV, 27 : *Et incipiens (Jesus) a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant; et 44 : Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi.* Denique omnes Christiani semper fuerunt et adhuc sunt unanimes circa illud punctum. Ergo 2^o.

3^o *Mahumetani*. Nam in multis locis libri Mahumetis dicti *Alcoran*, fit mentio Moysis et legis ejus : porro lex Moysis est in Pentateucho. Ergo 3^o.

4^o *Ipsi Pagani*, quorum tamen maxime intererat Moysis existentiam negare, constanter eum habuerunt ut verum Pentateuchi auctorem ; sanctus enim Justinus in sua Cohortatione ad Græcos, n^o 9, multos designat auctores paganos qui *Moysem ut principem et ducem gentis Judæorum commemorant*, inter quos numerantur Polemon, Appion, Ptolomæus, Hellanicus, Philochorus, Castor, Thallus, Alexander Polyhistor, et celeberrimus Diodorus Siculus. Idem senserunt, inter Latinos, Celsus, Porphyrius, et Julianus Apostata ; qui tot et tanta contra Judæos et Christianos scripserunt. Ergo 4^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Prob. 2^o. Vel Pentateuchus est authenticus, vel recentiori tempore ab aliquo impostore fuit suppositus ; atqui posterius dici non potest, vel enim suppositus fuisset post mortem Esdræ, vel tempore Esdræ, vel ante Esdræ : atqui nihil horum dici potest.

1^o *Non post mortem Esdræ.* Omnibus enim fatentibus, suppositio ista contingere non potuit a tempore quo Pentateuchus, qualis nunc existit, in linguam græcam sub Ptolomæo Philadelpho a Septuaginta interpretibus fuit translatus, siquidem ex tunc ad exterarum gentes transiit, et in diversis linguis idem semper fuit conservatus. Itaque suppositio ista fieri debuisset a tempore Esdræ usque ad Ptolomæum : at etiam in eo tempore hæc suppositio fuit impossibilis ; tunc quippe Samaritani erant per schisma a Judæis divisi, et tamen eundem habent Pentateuchum

ipsamque Moysi adscribunt : porro illum non haberent si, durante schismate, ab aliquo impostore suppositus fuisset ; illum enim a Judæis suppositum non admisissent ut divinum : nec Judæi illum a Samaritanis excogitatum accepissent. Ergo 1^o.

Insuper, ex libris Machabæorum, ex antiquitatibus Josephi et ex tota traditione constat Hebræorum religionem et rempublicam juxta leges Mosaicæ semper fuisse administratam. Pentateuchus erat liber ritualis ad usum sacerdotum, codex civilis ad usum publicum, instrumentum genealogiarum ad usum patrum-familias, tabula hæreditatum ad usum privatorum, catechismus dogmaticus et moralis ad usum omnium : porro hæc reddunt suppositionem omnino impossibilem in quocumque tempore. Ergo 1^o saltem post mortem Esdræ dicta suppositio contingere non potuit.

2^o *Non tempore Esdræ* et ab ipso Esdra, ut dicere non erubuit Spinosus ; nam tempore Esdræ tota gens Samaritanorum a Judæis jam ex multis annis erat divisa : impossibile ergo tunc fuisset persuadere illis ut Pentateuchum, de quo nihil unquam audissent, tanquam genuinum Moysis opus reciperent ; illum velut spurium rejecissent sicut alios libros a tempore schismatis scriptos rejecerunt. Ergo 2^o.

3^o *Non ante Esdræ.* Nam tunc vel post, vel ante Roboam : at neutrum dici potest. Non post Roboam, quia decem Tribus jam separatæ erant : ab illo autem tempore suppositio Pentateuchi facta est omnino impossibilis, propter rationes expositas. Non ante Roboam ; quo enim viciniora sunt tempora, eo difficilior est suppositio. Præterea, a Roboam retrogradiendo usque ad Moysen, accurate descripta existit series factorum in diversis libris qui successive prodire debuerunt ; sunt enim secundus et primus Regum, Ruth, Judicum et Josue : omnes libri isti declarant, vel supponunt Moysen fuisse Judæorum legislatorem, religionis eorum, reipublicæ, legum, caeremoniarum, sacrificiorum, festorum institutorem ac Pentateuchi auctorem : nemo autem non videt quam absurdum sit dicere hæc omnia ante Roboam fuisse supposita, et sic miro artificio sibi concatenata. Ergo 3^o, aliunde, etc. Ergo.

Prob. 3^o. Si Pentateuchus suppositus fuit, omnes alii libri Veteris Testamenti fuerunt etiam suppositi; nam de Pentateucho loquuntur, illum ut opus Moysis tradunt, cum illo perfecte sunt concordantes: at dici non potest cunctos Veteris Testamenti libros fuisse suppositos; nam, præter innumeras authenticitatis notas quas præ se ferunt, vel ab unico impostore fuissent suppositi, vel a pluribus: atqui neutrum dici potest. 1^o Non ab unico; impossibile quippe est unum hominem finxisse tot libros, rebus in eis contentis et modo quo dicuntur à se distinctos, in quibus tot emicant diversi characteres styli, figurarum, eloquentiæ, simplicitatis et sublimitatis. 2^o Non a pluribus; nullus enim vir bonæ fidei et aliquo præditus iudicio sibi persuadere poterit plures impostores, ex mutua conspiratione, varios Antiqui Testamenti libros excogitasse, tam sublimem et mirandam doctrinam in illis depinxisse, cum universa terra in densissimis tenebris esset involuta, et multas partes a se tam discrepantes tanta industria inter se colligasse, ut ita sibi corresponderent. Ergo.

Opinio autem Richardi Simonis nullo innititur fundamento, communi antiquorum et recentiorum sensui adversatur, siquidem nullibi fit mentio commentariorum quæ supponit, et omnes persuasum semper habuerunt Pentateuchum, qualem eum nunc habemus, genuinum esse opus Moysis.

Præterea, etsi concederetur, quod falsum est, primum exstitisse commentaria sub directione Moysis scripta, quorum Pentateuchus nunc exstans compendium esset, nihil minus opus foret authenticum quoad substantiam, ideoque nihil inde concludere possent increduli.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Jupiter, Mercurius, Apollo, alique apud paganos percelebres, erant tamen personæ fictæ: ergo a pari Moyses potest esse tantum persona ficta.

R. 1^o. Dist. ant. Jupiter, Mercurius, etc., erant personæ fictæ, id est, historia eorum maxima ex parte est ficta, concedo; id est, nullo modo exstiterunt, *nego ant.* Etenim

apud omnes in confesso est historiam deorum paganismi maxima ex parte fabulosam esse et nullam mereri fidem; sed communiter docetur plerosque deos istos vere exstitisse et celebres fuisse viros qui, propter sua erga alios homines merita, deorum numero post mortem adscripti sunt; vel nihil aliud sunt quam ipse Moyses sub diversis nominibus cognitus et honoratus. Ea de re consulantur doctissimus *Huet*, in *Demonstratione evangelica*, prop. 4, cap. 3, 4, 5, etc. et *Banier*, *Explication historique des fables*.

R. 2^o. Nego consequ. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod historia deorum paganismi nullis nitatur fundamentis fide dignis, e contra, multa de illis dicantur perabsurda: Moysis vero narratio est simplex, clara, distincta et inconcussa innixa monumentis: ingens ergo datur discrimen ipsum inter et deos paganismi. Et vero, qui serio contenderet Darium, Alexandrum, Cæsarem, Constantinum, etc., fictos esse homines, ut delirans haberetur: at multo magis repugnat Moysen non exstitisse, ut in probatione ostendimus; existentia enim illustrium hominum istorum non aliunde constat quam ex traditione et historicis monumentis: at nulla constantior et firmior traditio, nullaque majora excogitari possunt monumenta quam ea quæ Moysis existentiam attestantur. Ergo.

Obj. 2^o. Auctor Pentateuchi constanter de Moysæ loquitur in tertia persona, illum tanquam virum mitissimum laudat, mortem ejus in ultimo Deuteronomii capite narrat: atqui hæc Moyses scribere non potuit. Ergo.

R. Nego min. 1^o Moyses de se in tertia persona loqui potuit; nam plures auctores quorum opera a nemine in dubium revocantur, sic de seipsis in tertia persona scripserunt: v. g. Esdras, Evangelistæ; et apud profanos, Xenophon, Josephus, Julius Cæsar, etc. Ergo.

2^o Humilitas Moysis in toto Pentateuchi decursu apparet: suos defectus simpliciter enarrat, suam in Deum diffidentiam confitetur, semel tantum se laudat et quia ministerium ejus et gloria Dei id postulabant; soror enim ejus Maria ob suam erga Deum rebellionem percussa fuerat lepra: tunc Moyses ostendere voluit hoc malum ex nimia

ipsius severitate non evenisse, sed ex sola Mariæ iniquitate. Ergo.

3^o Quidam dicunt Moysen mortem suam per anticipationem et ex speciali revelatione descripsisse; alii vero probabilius asserunt totum caput ultimum Deuteronomii ex libro Josue excerptum fuisse, ut quod pertinebat ad Moysen uno tenore legeretur. Ergo.

Obj. 3^o. Moyses nunquam flumen Jordanis transiit: at tamen Deuteronomium trans Jordanem fuit scriptum, ut ex c. 1, v. 1, patet. Ergo.

R. *Nego min.* Nam vox Hebræa *abr* triplicem habet significationem, ut videre est in Dictionario Buxtorf et in Radicibus P. *Houbigant*; modo significat trans, modo citra, modo ad ripam, *au-delà, en deçà, sur le bord*, prout sensus phrasid id exigit: atqui Moyses, quando Deuteronomium scripsit, erat citra Jordanem et ad ejus ripam, id est, ab illo non longe. Septuaginta autem interpretes, Vulgata aliæque versiones verterunt *trans*, quia plaga in qua hæc verba protulit et scripsit Moyses, trans Jordanem erat respectu Judæorum qui flumen transgressi erant ut Terram Sanctam possiderent. Ergo.

Obj. 4^o. Gen. xii, 6, legitur: *Pertransiit Abraham in terram Chanaan usque ad Sichem. Chananæus autem tunc erat in terra ista.* Unde sic. Ex his verbis patet Chananæum jam in Terra Sancta non esse quando ille liber fuit scriptus; atqui tamen Chananæus erat in terra ista quando vivebat Moyses: ergo Moyses illius libri non est auctor.

R. *Nego maj.* Nam textus qui nobis objicitur sic naturaliter intelligi potest: *Chananæus autem jam erat in terra ista*, id est, antequam Abraham in terram istam adveniret, Chananæi illam jam occupabant; omnes enim etiam doctissimi interpretes, et ipse Rabbi Ben-Ezra, eruditissimus, conveniunt hunc esse sensum.

Confusio linguarum in Babel et dispersio gentium acciderunt circa annum 1757 mundi; vocatio Abraham et ingressus ejus in terram Chanaan, circa annum 2083: Moyses autem legem a Deo in Horeb accepit et promulgavit anno 2513, ac consequenter 430 annis postquam Abraham

egressus est de Ur Chaldæorum ut iret in terram semini suo promissam: non mirum est ergo si Moyses observaverit *tunc*, id est, jam Chananæos fuisse in terra ista. Ergo.

Obj. 5^o. Plurima leguntur in Pentateucho locorum et urbium nomina quæ nonnisi post Moysen fuerunt imposita: v. g. Gen. x, 11, *Ninive* dicitur a Nemrod ædificata, et tamen nomen suum accepit a Nino qui sat longe post mortem Moysis vixit. Gen. xiv, 14, agitur de *Dan* quæ sic dicta est tempore Josue xix, 47, quia tribus Dan eam cepit; antea enim vocabatur *Lesem*. In Deuteronomio, ii, 30, sermo fit de Galgala: at nomen istud impositum est sub Josue, ut patet ex libro ejus, v, 9, etc. Moyses hæc nomina scribere non potuit: ergo non est auctor Pentateuchi.

R. *Nego consequ.* Nova enim hæc nomina inscribi poterunt in margine vel in spatiis interlinearibus, ad majorem textus intelligentiam; hinc forte ipsimet textui inserta sunt et prioribus substituta nominibus jam desuetis: porro hujusmodi levissimæ mutationes authenticitatem Pentateuchi labefactare non possunt: alioquin nullum opus antiquum ut genuinum agnosci deberet; nam vix ullum reperitur in quo tales vel graviore non existant mutationes.

Præterea, confidenter asserere possumus nullam ex hiis aliisque ejusdem generis difficultatibus esse quam Scripturæ sacræ interpretes facile non solvant, et quidem multiplici responsione, sæpe evidenti, semper saltem probabiliter. Responsiones illas hic per ordinem et singulatim efferre non possumus; consulantur diversi commentatores, ut D. *Calmet*, *Vence*, *Duguet*, etc. Legantur *Abbadie*, *Traité de la Religion*, t. 1; *Bossuet*, *Discours sur l'Histoire univ.*, 2^a part. cap. 3; *Huet*, prop. 4, cap. 14; *Bergier*, t. 5; *Davoisin*, etc.

Obj. 6^o. In libro Josue, viii, 32, legitur Deuteronomium legis Moysis, quod ipse digesserat, in lapidibus altaris scriptum fuisse: atqui Deuteronomium quale nunc habemus in lapidibus altaris scribi non potuisset: ergo Deuteronomium non est Moysis.

R. 1^o. Multi doctissimi critici existimant non integrum Deuteronomium per illa libri Josue verba intelligendum

esse, sed tantum illius partem quæ legem continet; Moyses enim dixerat, Deut. XXVII, 2 et 4: *Eriges ingentes lapides et calce levigabis eos, ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus*: in eo textu agitur tantum de verbis legis.

R. 2^o. Moyses præscripserat ut *ingentes* erigerentur lapides; non repugnat autem totum Deuteronomium in ingentibus scribi lapidibus: ergo.

Obj. 7^o. In Gen. XXXVI, 31, hæc leguntur verba: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi*, etc. Octo postea numerantur reges et duodecim duces qui ab Esau usque ad Moysen, id est, intervallo 250 annorum, regnaverunt et sibi successerunt. At 1^o octo reges et duodecim duces sibi succedere non potuerunt; 2^o qui hæc verba scripsit, *antequam haberent regem filii Israel*, ostendit suo tempore filios Israel jam habuisse regem. Ergo Moyses hæc scribere non potuit.

R. *Nego min. quoad utramque partem.* 1^o Octo reges facile sibi succedere potuerunt in spatio 250 annorum, *ut evidentissime patet.* Duces autem successerunt quidem regibus, ex I Paral. I, 51. At multo probabilius omnes simul et in diversis locis imperabant; nam in Gen. XXXVI, 40, legitur: *Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, in locis et vocabulis suis.* Aliunde dici posset cum *Duguet*, in Gen. VIII, reges et duodecim duces per 250 annos sibi successisse; si enim æqualiter vixissent, duodecim annos unusquisque regnasset vel imperasset: multi autem potuerunt brevi tantum tempore vivere, sive naturaliter, sive propter violentam mortem, aut propter expulsum, etc. Ergo.

2^o Multi dicunt hæc verba, *antequam regem haberent*, etc., non intelligenda esse quasi diceretur, antequam Saül et David regnarent, sed antequam filii Israel, jugo Ægyptiorum excusso, rempublicam efformarent et ducem haberent, scilicet Moysen qui tunc eos primus regebat. Ergo.

Cæterum, hujusmodi difficultates, quas congerit *Spinoza*, probant ad summum quædam in Pentateucho fuisse inserta, sive a Samuel, sive ab Esdra, sive ab aliis prophetis vel auctoribus, sed minime destruunt positivas

quas attulimus rationes ad demonstrandum quinque hos libros genuinum opus esse Moysis.

Solent quidem critici ex talibus notis vel characteribus pronuntiare aliquem librum esse apocryphum, sed ubi positiva et firma aliunde non dantur motiva quibus clare ostendatur illum esse authenticum; nam in posteriori hoc casu, si nonnulla reperiant loca quæ proprio auctori celebri clare tribui non possint, rectius judicant ea quacumque de causa fuisse inserta; ergo etiamsi concederemus quasdam annotationes a recentioribus scriptoribus Pentateucho fuisse insertas, nihil inde proficerent increduli.

Voltaire, *Dict. philos.* art. *Moïse*, et plures ejusdem scholæ homines quædam alia obijciunt, v. g. artem scribendi a Cadmo et post Moysen tantum fuisse inventam, solos tunc fuisse in usu apud Ægyptios et Chaldaeos hieroglyphos qui in lapidibus et lateribus sculpebantur, longam historiam non potuisse per solos hieroglyphos depingi, et aliunde impossibile esse de loco in locum omnes transferre lapides et lateres qui necessarii fuissent ut integer contineretur Pentateuchus, etc.

At illæ aliæque similes objectiones meræ sunt hypotheses quæ ex ipsamet Pentateuchi historia destruuntur. Sic enim ratiocinandum est: invictis argumentis demonstratur Moysen esse Pentateuchi auctorem; in illo igitur tempore non soli existebant hieroglyphi, sed ars scribendi, et probabilius aliter quam super lapides et lateres, inventa erat. Vide exquisitum opus, ab omnibus notum, *Lettres de quelques Juifs portugais*, etc., t. 1; *Bergier*, t. 5; *la Bible vengée des attaques des incrédules*, par *Duclot*, *obs. prélim.*, etc.

Ex observationibus recentibus factis a *D. Champollion* et ab aliis peritis, constat apud Ægyptios triplicem exstitisse modum scribendi; hieroglyphicum seu figurativum pro monumentis, hieraticum vel symbolicum quo sacerdotes uti solebant, et demoticum ac phoneticum in usum vulgarem. Triplex ille modus non triplicem faciebat linguam, sed unicam tripliciter expressam. Consulatur, pro explanatione, *l'Univers pittoresque, Egypte*.

Parvi refert an Moyses per seipsum historiam enarraverit, vel per scribas aut secretarios qui sub illius directione scripserint. Sed admitti non potest systema Richardi Simonis superius expositum, quia nullo nititur fundamento, constanti Judæorum et Christianorum traditioni adversatur, cum aliis monumentis quibus Pentateuchi aliorumque librorum Veteris Testamenti authenticitas probatur, conciliari non potest: unde *Bossuet* fortiter illud impugnavit statim atque in lucem produit, et communiter catholici ipsique protestantes illud procul rejecerunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE INTEGRITATE PENTATEUCHI.

Probavimus Moysen esse auctorem Pentateuchi: *nunc queritur* an ipsius opus huc usque integrum manserit. Duplex distinguitur adulteratio: una accidentalis et levis, quæ consistit in additione, omissione vel mutatione quorundam nominum, punctorum, virgularum aliorumve hujusmodi; et alia substantialis, quæ in eo sita est, ut aliquid addatur vel omittatur in doctrina, in institutis et in factis gravis momenti.

Fatemur Pentateuchum priorem non habere integritatem, et quasdam in eo subisse mutationes ignorantia, negligentia vel inadvertentia amanuensium; talis enim fuit sors omnium librorum, præsertim antiquissimorum, qui per tot sæcula non nisi manu scribi potuerunt: quæstio igitur est an Pentateuchus aliquam subierit mutationem essentialem in doctrina aut in factis alicujus momenti.

PROPOSITIO.

Pentateuchus nullam subiit mutationem essentialem, sive in doctrina, sive in factis.

Prob. Pentateuchus enim talem non subiit mutationem, si demonstretur illam fuisse omnino impossibilem: atqui pluribus invictis argumentis demonstratur talem mutationem fuisse omnino impossibilem.

1^o Facta quæ referuntur in Pentateucho sunt inter se concatenata; doctrina cum miraculis, miracula cum legibus connectuntur, adeo ut alia ab aliis fulciantur vel supponantur: v. g. solemnitas Paschæ supponit miraculosum populi egressum ex Ægypto, festum Pentecostes locutionem Dei in Monte Sinai, serpens æneus murmuraciones Israelitarum adversus Moysen, etc.; at evidens est gravem mutationem introduci non potuisse in hujusmodi factis.

2^o Quo magis notus est liber, eo difficilior est mutatio seu adulteratio: at Pentateuchus universo populo erat notissimus; illum quotidie præ manibus habere tenebantur sacerdotes, ut ritus et cæremonias sub gravibus poenis præscriptas religiose servarent ac explicarent; principes populi et magistratus, ut jus dicerent, patres-familias ut suas cognoscerent genealogias suisque fruerentur juribus; rex ipse illum propria manu scribere tenebatur, Deut. xvii, 18; quolibet septennio publice in concursu omnis populi legebatur; tanta veneratione servabatur, ut scirent Israelitæ, teste Josepho, quot vicibus et quo ordine eadem littera in toto Pentateucho adhiberetur: porro nemo non videt hæc omnia essentialem mutationem reddidisse omnino impossibilem.

3^o Libri Josue, Judicum, Regum et cæteri tantam cum Pentateucho habent connexionem, ut simul corrumpi debuissent, omnia uniuscujusque libri exemplaria simul et eodem modo adulterare oportuisset: at illud fieri potuisse a quocumque etiam solertissimo impostore absolute repugnat; multa enim ubique sparsa existere debuerunt legis exemplaria.

4^o Schisma populi sub Roboam magis impossibilem adhuc quamlibet corruptionem effecit; si enim Judæi Pentateuchum adulterassent, mox Samaritani reclamassent, et, vice versa, Judæi si Samaritani hujus generis mutationem inducere tentassent; aliunde nec Judæi exemplaria Samaritanorum habuissent, nec Samaritani exemplaria Judæorum. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. IV Regum, xxii, 8, et II Paral. xxxiv, 14, legitur Helciam, sacerdotem Domini, librum Legis in templo casu fortuito reperiisse et Josiæ statim deferendum curavisse. Pius rex jussit ut ille liber sibi legeretur; illum vero audiens expavit, flevit, scidit vestimenta sua dicens, II Paral. xxxiv, 21: *Magnus furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine;* misit etiam ad prophetidem Oldam, ut per illam consuleretur Dominus. *Unde sic efformatur argumentum;* Ex præcedenti narratione constat unicum tunc exstitisse volumen Pentateuchi quod erat perditum, et Legem tunc penitus oblitam jacere: atqui Helcias volumen illud facile corrumpere potuit: ergo non constat Pentateuchum esse integrum.

R. 1^o. *Nego maj.* Nam antequam ille liber reperiretur, jam cæperat Josias instaurare templum et omnia ad Legis præscripta adducere; nec igitur Lex nec ipsius præscripta in oblivionem penitus devenerant.

Et vero, sub impiis regibus Amon et Manasse, prædecessoribus Josiæ, multi Judæi remanserant fideles; absurde enim supponeretur cunctos fuisse prævaricatores; Deus contra Manassen locutus est *in manu servorum suorum prophetarum*, IV Regum, xxi, 10. Porro illi servi Dei et Judæi fideles exemplaria Legis conservare debuerunt.

Igitur admiratio Helciæ, stupor et fletus Josiæ non probant præfatum exemplar fuisse unicum, et totam Legem in oblivionem devenisse. Alio et verisimili modo explicari possunt; colligitur enim ex Deut. xxxi, 9 et 24, Moysen jussisse ut exemplar Legis propria manu sua scriptum in latere arcæ fœderis custodiretur, et quolibet septennio coram omni populo legeretur. Testatur Josephus, Antiq. l. 10, c. 3, illud religiose servatum esse usque ad tempora impii Manasses, quo regnante, una cum arca in secretiorum locum translatum esse, ut occultaretur; probabile est autem illud præcise volumen ab Helcia casu fortuito repletum fuisse, cum efferrent pecuniam quæ illata fuerat in

templum Domini, II Paral. xxxiv, 14; nam hæc sunt ipsius textus verba: *Reperit Helcias sacerdos librum Legis Domini per manum Moysis.* Porro valde credibile est ingentem fuisse trepidationem Josiæ totiusque populi cum audierint verba hujus libri; tunc enim sibi representabant ipsum Moysen eos objurgantem et graves poenas, propter eorum peccata, nomine Dei minantem. Ergo.

R. 2^o. *Nego min.* Etiam si concederetur prædictum volumen unicum fuisse Legis exemplar, nihilominus Helcias illud corrumpere non potuisset. Nam 1^o sacerdotes, levitæ, magistratus, patres-familias et omnes qui penitus Legem oblivisci non potuerant, statim reclamassent. 2^o Samaritani ex multis annis a Judæis jam erant separati: ergo Helcias illorum Pentateuchum adulterare non potuisset: attamen eorum Pentateuchus idem est ac Pentateuchus Judæorum. Ergo, etc. Præcipua Pentateuchi facta reperiuntur etiam in libris Regum, Paralipomenon, Psalmorum, Prophetarum, etc. Helcias autem hos libros adulterare non potuisset. Ergo.

Obj. 2^o. Ex lib. IV Esdræ xiv, 21 et 22, constat omnia Legis exemplaria in incendio Hierosolymitano periisse, et Esdram illa de novo scripsisse: ergo facile ea adulterare potuit.

R. Nego ant. 1^o Quartus liber Esdræ est apocryphus, ac proinde nullius auctoritatis; nobis igitur nocere non potest. 2^o Impossibile est omnia Legis exemplaria ita in incendio periisse ut nemo sciret quæ antea facta fuissent opera quemadmodum dicit textus, v. 21, nam omnia exemplaria non erant in templo, multa inter populum erant dispersa in cunctis urbibus, pagis et domibus. 3^o Eodem tempore permulti Judæi erant in Babylonica captivitate, et ibi diu post incendium Hierosolymitanum commorati sunt: atqui Legem habebant, ut constat ex historia Danielis et Susannæ, ex Ezechiele, etc. 4^o Exemplaria Samaritanorum in eodem incendio perire non potuissent. Ergo.

Frustra adhuc objicitur ex I lib. Machab. i, 5, 6, libros Legis ex jussu Antiochi traditos fuisse et combustos; im-

possibile enim fuit, propter easdem rationes, cuncta exemplaria comburere.

Inst. Veteribus characteribus quibus utebantur Hebraei ante captivitatem Babylonicam, Chaldaicas litteras substituit Esdras: ergo a pari substantiam Pentateuchi aliorumque librorum corrumpere potuit.

R. 1^o. *Negari potest ant.* Non constat enim Esdras litteras Chaldaicas veteribus characteribus substituisse: 1^o quia multi contendunt nullam hujusmodi factam fuisse mutationem, et Hebræos semper usos esse iis characteribus quibus nunc utuntur; 2^o quia in hypothese quod mutati fuerint characteres, et hoc probabilius nobis videtur, non ideo constaret Esdras illius mutationis unicum esse auctorem; verisimiliter enim hæc mutatio eodem modo contingere debuit quo ejusdem generis mutationes apud alias gentes fieri solent, id est, non eodem tempore et ab unico auctore, sed sensim et sine sensu: v. g. unus scribendo his potius quam aliis utitur characteribus; alter postea iisdem utitur, quia sunt clariores, pulchriores, legentibus magis placent; alii deinde illos adoptant, et paulatim veteres characteres in oblivionem labuntur: sic apud nos modus scribendi et imprimendi plures subiit mutationes; sic Latinæ versiones quæ Vulgatam S. Hieronymi præcesserunt, ita oblitæ jacent, ut ne una quidem inveniri queat. Ergo.

R. 2^o. *Nego conseq.* Nam Judæi qui, durante captivitate Babylonis, per septuaginta annos linguam Chaldaicam didicerant, characteres ejus linguæ et modum eam scribendi callere debebant: facillime ergo his assueferi poterunt in usu divinorum librorum; e contra, si qua ipsi proposita fuisset notabilis mutatio in doctrina, in legibus, in cæremoniis, etc., eam sine reclamationibus non admisissent. Præterea, illæ mutationes in textu Samaritano non invenirentur; Samaritani quippe novos Judæorum characteres non admiserunt: a fortiori ergo graviores non admisissent mutationes. Ergo. Vide dissertationem D. *Catmet* de mutatione alphabeti sub Esdra.

Obj. 3^o. Textus Hebraicus fere componitur ex litteris

consonantibus tantum quibus, loco vocalium, quædam addita sunt arbitraria puncta ad determinandum sensum verborum: porro qui hæc puncta instituerunt, totum sensum subvertere potuerunt. Ergo.

R. *Nego min.* Nam ante puncta Pentateuchus ab omnibus intelligebatur, quotidie legebatur non tantum a sacerdotibus, sed coram omni populo; quatuor versiones Græcæ, scilicet Septuaginta interpretum, Aquilæ, Symmacli et Theodotionis, Paraphrasis Chaldaica, versio Syriaca et nostra Vulgata, factæ sunt super exemplaribus punctis destitutis; siquidem puncta, juxta omnes, sancto Hieronymo sunt posteriora, et probabiliter non fuerunt in usu ante decimum æræ nostræ sæculum: prædictæ autem versiones perfecte sibi sunt concordæ, saltem quoad substantiam; earum igitur auctores textum Hebraicum punctis destitutum intelligebant, et nos etiam illum facile absque punctis intelligimus, sequendo methodum D. *Maslef* et patris *Houbigant*. Plurima quidem invenimus verba obscura, dubia, æquivoca: at nulla est æquivocatio vel incertitudo circa corpus doctrinæ et factorum. Ergo.

Obj. 4^o. Ingens datur discrepantia, quoad chronologiam, inter diversos Pentateuchi textus. In Hebræo, a creatione usque ad diluvium 1656 numerantur anni, et 427 a diluvio usque ad vocationem Abraham; in Samaritano, 1307 ante diluvium, et 1017 a diluvio usque ad vocationem Abraham; in Græco Septuaginta interpretum, 2242 ante diluvium, et 1307 inter diluvium et vocationem Abraham, Abraham itaque vocatus est anno mundi 2083 juxta textum Hebraicum et nostram Vulgatam ex illo conversam, 2324 juxta Samaritanum et 3549 secundum Græcum: at qui talis diversitas casui fortuito tribui non potest, ut ex lectione diversorum textuum patet; ergo Pentateuchus fuit adulteratus saltem in ea parte quoad substantiam, etc.

R. *Toto concesso argumento*, nihil adversum nos concludi potest; hæc quippe mutatio ut essentialis haberi non debet: in eo tantum consistit quod patriarchæ plus minusve vixerint antequam suum primogenitum haberent, et non impedit quin eadem sit doctrina, eadem sint miracu-

la, eadem leges et caeremoniae, eadem omnino personae et genealogiae; atqui talis mutatio reputari non debet essentialis; quinimo probat nullam factam esse mutationem essentialem; si qua enim essentialis facta esset mutatio, quoddam saltem illius remaneret vestigium; porro nullum talis mutationis existit vestigium, sed perfectissima inter diversos textus reperitur uniformitas quoad substantiam. Ergo.

De huiusmodi chronologiae discrepantia eodem modo iudicavit Ecclesia. Licet enim in concilio Tridentino, sess. 4, tanquam veram et authenticam probaverit Vulgatam translationem quae textui Hebraico conformis est, commemorat tamen in Martyrologio, vigilia Nativitatis Domini, supputationem Septuaginta interpretum. Ergo.

Quo autem tempore, qua ratione, quo motivo, a quibus personis facta fuerit ista mutatio? Omnes eruditi fatentur has questionem insolubiles esse; existimat tamen *Duguci*, in Gen. t. 2, textum Hebraicum aliis textibus anteponendum esse, tum quia Ecclesia illum approbasse videtur, quando Vulgatam approbavit, tum quia est antiquior, tum quia in Synagoga et in vera Christi Ecclesia semper fuit in usu.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VERITATE PENTATEUCHI.

Multum datur discrimen inter authenticitatem et veritatem alicujus libri. Liber enim potest esse authenticus et non verus; quia fieri potest ut scriptor sit deceptor vel deceptor, quod frequenter accidit. Itaque, authenticitate et integritate Pentateuchi demonstratis, nunc probandum est illum esse verum, id est, cuncta facta quae in eo continentur vere contigisse. Inter facta quae describit Moyses, alia ipsi erant coeva et alia respectu ipsius praeterita. Facta prioris generis referuntur in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio; alia vero describuntur in Genesi. Nobis examinandum est 1º an vera sint facta quae in quatuor posterioribus Pentateuchi libris narrantur; 2º an quae in Genesi referuntur.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera sunt facta quae in quatuor posterioribus Pentateuchi libris describuntur.

Prob. Vera sunt enim haec facta si Moyses non fuit deceptor nec deceptor: atqui utrumque certissimum est.

1º *Moyses non fuit deceptor.* Innumera enim Moyses describit facta publica, sensibus obvia, sibi personalia quorum dicit se fuisse non solum testem oculatum, sed operatorem: at impossibile est illum fuisse deceptum circa talia facta; circa huiusmodi facta enim decipi non potuit quin fuerit plus quam fanaticus et extraordinaria correptus dementia: attamen, nedum fuerit fanaticus aut dementia correptus, patet ex ipsius scriptis, doctrina, legibus, etc. illum fuisse virum prudentem et sapientissimum, ut ipsi adversarii fatentur. Ergo 1º.

2º *Non fuit deceptor.* Si enim fuisset deceptor et facta quae narrat finxisset, vel Hebraei cum illo in fraudem conspirassent, vel solus omnes decepisset: atqui neutrum dici potest.

1º Dicitur non potest Hebraeos in fraudem cum illo conspirasse; absurdum est enim supponere tot hominum milia simul conspirasse in fraudem sibi inutilem: atqui omnes Israelite simul conspirassent in fraudem sibi inutilem, imo sibi nocivam et odiosam; multa namque referuntur facta genti Hebraeae probrosa, ut vituli aurei adoratio, actus idololatriae in deserto, murmuraciones adversus Deum et Moysen, Moysis contra gentem objurgationes, etc.

Præterea, si Moyses et tota gens Hebraea simul in fraudem conspirassent, excogitassent facta antiquiora, obscura et vaga, non vero recentia, splendida, publica et circumstantibus gentibus tam nota ut fraus omnibus statim apparisset. Ergo 1º.

2º Dicitur non potest solum Moysen fuisse impostorem et Hebraeos decepisse. Nam 1º, secundum sanæ criticae regulas, non licet sinceritatem alicujus scriptoris historici, sine rationibus positivis in dubium revocare. 2º Ut impo-

la, eadem leges et caeremoniae, eadem omnino personae et genealogiae; atqui talis mutatio reputari non debet essentialis; quinimo probat nullam factam esse mutationem essentialem; si qua enim essentialis facta esset mutatio, quoddam saltem illius remaneret vestigium; porro nullum talis mutationis existit vestigium, sed perfectissima inter diversos textus reperitur uniformitas quoad substantiam. Ergo.

De huiusmodi chronologiae discrepantia eodem modo iudicavit Ecclesia. Licet enim in concilio Tridentino, sess. 4, tanquam veram et authenticam probaverit Vulgatam translationem quae textui Hebraico conformis est, commemorat tamen in Martyrologio, vigilia Nativitatis Domini, supputationem Septuaginta interpretum. Ergo.

Quo autem tempore, qua ratione, quo motivo, a quibus personis facta fuerit ista mutatio? Omnes eruditi fatentur has questionem insolubiles esse; existimat tamen *Duguci*, in Gen. t. 2, textum Hebraicum aliis textibus anteponendum esse, tum quia Ecclesia illum approbasse videtur, quando Vulgatam approbavit, tum quia est antiquior, tum quia in Synagoga et in vera Christi Ecclesia semper fuit in usu.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VERITATE PENTATEUCHI.

Multum datur discrimen inter authenticitatem et veritatem alicujus libri. Liber enim potest esse authenticus et non verus; quia fieri potest ut scriptor sit deceptor vel deceptor, quod frequenter accidit. Itaque, authenticitate et integritate Pentateuchi demonstratis, nunc probandum est illum esse verum, id est, cuncta facta quae in eo continentur vere contigisse. Inter facta quae describit Moyses, alia ipsi erant coeva et alia respectu ipsius praeterita. Facta prioris generis referuntur in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio; alia vero describuntur in Genesi. Nobis examinandum est 1º an vera sint facta quae in quatuor posterioribus Pentateuchi libris narrantur; 2º an quae in Genesi referuntur.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera sunt facta quae in quatuor posterioribus Pentateuchi libris describuntur.

Prob. Vera sunt enim haec facta si Moyses non fuit deceptor nec deceptor: atqui utrumque certissimum est.

1º *Moyes non fuit deceptor.* Innumera enim Moyses describit facta publica, sensibus obvia, sibi personalia quorum dicit se fuisse non solum testem oculatum, sed operatorem: at impossibile est illum fuisse deceptum circa talia facta; circa huiusmodi facta enim decipi non potuit quin fuerit plus quam fanaticus et extraordinaria correptus dementia: attamen, nedum fuerit fanaticus aut dementia correptus, patet ex ipsius scriptis, doctrina, legibus, etc. illum fuisse virum prudentem et sapientissimum, ut ipsi adversarii fatentur. Ergo 1º.

2º *Non fuit deceptor.* Si enim fuisset deceptor et facta quae narrat finxisset, vel Hebraei cum illo in fraudem conspirassent, vel solus omnes decepisset: atqui neutrum dici potest.

1º Dicitur non potest Hebraeos in fraudem cum illo conspirasse; absurdum est enim supponere tot hominum milia simul conspirasse in fraudem sibi inutilem: atqui omnes Israelite simul conspirassent in fraudem sibi inutilem, imo sibi nocivam et odiosam; multa namque referuntur facta genti Hebraeae probrosa, ut vituli aurei adoratio, actus idololatriae in deserto, murmurationes adversus Deum et Moysen, Moysis contra gentem objurgationes, etc.

Præterea, si Moyses et tota gens Hebraea simul in fraudem conspirassent, excogitassent facta antiquiora, obscura et vaga, non vero recentia, splendida, publica et circumstantibus gentibus tam nota ut fraus omnibus statim apparisset. Ergo 1º.

2º Dicitur non potest solum Moysen fuisse impostorem et Hebraeos decepisse. Nam 1º, secundum sanæ criticae regulas, non licet sinceritatem alicujus scriptoris historici, sine rationibus positivis in dubium revocare. 2º Ut impo-

stor haberi non potest qui manifestos præ se fert sinceritatis characteres; atqui Moyses manifestos præ se fert sinceritatis characteres; in omnibus enim scriptis suis non æquivoca præbet signa probitatis et pietatis; doctrina ejus est sublimis, præcepta sancta, leges sapientes; quidquid operatur ad bonum gentis dirigitur, proprii commodi semper est immemor; filios suos absque ullo splendore in gente sua relinquit: atqui hæc manifesti sunt sinceritatis characteres. 3^o Si Moyses decipere voluisset, incredibilia non excogitasset facta quorum unusquisque falsitatem primo intuitu conspexisset: in ea quippe hypothese, fingit aquas fluminis in sanguinem coram duabus gentibus versas esse, tenebras per plures dies integram cooperuisse regionem, mare divisum fuisse et totam gentem sicco pede inter aquas transisse, manna per quadraginta annos e celo pluisse, aquam e rupe percussa fluxisse atque ex ea homines et jumenta bibisse, legem a Deo super montem Sinai inter tonitrua et fulgura solemniter datam fuisse coram omni multitudine, et innumera ejusdem generis facta; impostor autem, vel minimo præditus judicio, aliter contextas excogitaret fabulas. 4^o Non semel Moyses splendida sua narrat miracula, sed continuo ea commemorat; exprobrat Hebræis quod sint duræ cervicis; aspere eos redarguit, transgressiones in specie levissimas pœna mortis plectit, multa hominum millia propter eorum rebellionem trucidat, etc. Porro non ita se gerit impostor qui benevolentiam populi sibi conciliare intendit. 5^o Impossibile fuisset Moysi suam gentem circa facta quæ narrat decipere; illa enim exhibet tanquam publica, præsentia et ante omnium oculos peracta, v. g. maris divisionem et multitudinis transgressum, columnam nubis et ignis, manna jugiter e celo decidens, vestes per quadraginta annos integre servatas, tonitrua et fulgura in monte Sinai, etc. Tota gens Hebræa tam firma persuasionem hæc admittit facta, ut sola eorum auctoritate patiatur jugum gravissimæ legis sibi imponi; tres solemnnes instituuntur festivitates, quæ in summo honore semper fuerunt, Pascha in memoriam egressus populi ex Ægypto, Pentecostes prop-

ter legem datam in monte Sinai, et Scenopegia seu festum Tabernaculorum in commemorationem mansionis populi in deserto sub tentoriis. Arca in deserto ex jussu Moysis confecta, virga Aaron, tabulæ Legis, manna, serpens æneus cultu religioso tanquam pretiosa monumenta servabantur: verum si facta quæ Moyses narrat totidem essent mendacia, hæc universo populo suaderi non potuissent, ut attendenti patebit. Ergo 2^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Moyses Terram Promissam exhibet ut præ abundantia melle et lacte fluentem: atqui constat illam esse aridam et sterilem: ergo.

R. Nego min. Multi enim viatores testantur regionem illam esse situ delectabilem et sua natura feracissimam; inconcussis autem argumentis constat illam fuisse olim omnis generis fructibus abundantissimam; solo igitur defectu culturæ facta est sterilis, sicut Græcia et multæ regiones Africæ. Ergo. Vide quatuor dissertationes D. Guénée, circa fertilitatem Palæstinæ, insertas in opere dicto, *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, et ad calcem sui operis *Lettres de quelques Juifs*, etc.

Obj. 2^o. Narrat Moyses Israelitas vitulum aureum fusibilem in deserto fecisse: at incredibile est Israelitas sufficiens habuisse aurum in deserto, necessaria possedisse instrumenta, et artem satis percaluisse ut talem conficerent vitulum: ergo.

R. Nego min. 1^o Sufficiens aurum facile haberi potuit, cum in aureas uxorum suarum, filiorum et filiarum obtulerint Israelitæ, Exod. xxxii, 3; 2^o forte ille vitulus modicæ erat molis; 3^o forte accurate et eleganter non fuit elaboratus; 4^o per unam aut per duas hebdomadas operi illi vacare potuerunt Israelitæ; incredibile autem non videtur inter tantam hominum multitudinem inventos fuisse nonnullos qui tale opus sic perficere potuerint; nihil enim facilius est, secundum communes chimiæ regulas, quam aurum liquefacere; ars vero liquefaciendi metalla,

et diversa ex illis faciendi opera, notissima erat in Ægypto. Non mirum ergo si Israelitæ artem illam sufficienter percaluerint ut conflabilem vitulum facerent. Pari ratione facile concipitur Moysen potuisse eundem vitulum in pulverem redigere, cum aqua miscere, et bibendum Israelitis porrigere. Vide *Lettres de quelques Juifs*, t. 1.

Obj. 3^a. Frequenter Israelitæ adversus Deum et Moysen murmuraverunt, et in idololatriam prolapsi sunt; atqui Deum et ipsius cultum non ita deseruissent, si ea vidissent miracula quæ a Moysè referuntur. Ergo.

R. Nego min. Nam, quidquid dicatur, certum est Israelitas legem Mosaicam admisisse et tenuisse tanquam divinam, licet graviter sibi onerosam et cupiditatum coercitivam: at nunquam illam sic admisissent, nec tanto zelo tenuissent, si miraculis a Moysè relatis non credidissent.

Illorum vero murmuraciones et idololatriæ sunt actus inconsequentæ, sicut multos quotidie inter nos videmus. Quot enim Christiani pœnarum æternitatem unico debitam esse peccato firmiter credunt, et in innumera tamen prolabantur scelera! Eadem facilitate in idololatriam prolabi potuerunt Israelitæ; nam ingenii eorum crassitudo, cæterarum gentium exempla, comessationes aliæque sensuum voluptates, quæ inseparabiles erant idololatriæ comites, tam fortiter eos in actus idololatriæ alliciebant quam consuetæ cupiditates inducunt Christianos in peccatum. Ergo.

Obj. 4^a. Facta quæ narrat Moyses tanta sunt et tam splendida, ut a vicinis nationibus ignorari non potuissent, et a scriptoribus profanis referri debuissent; attamen nihil de illis dicunt scriptores profani: ergo.

R. 1^o. Nego maj. Nam 1^o scriptores profani etiam antiquiores multo sunt Moysè posteriores, ut postea dicemus; facta igitur a Moysè relata, quamvis splendida, ignorare potuerunt, aut saltem non nisi confuse et obscure ea cognoscere debuerunt; si enim abhinc 600 aut 1000 annis quædam facta etiam lucidissima apud aliquam gentem nobis vicinam contigissent, et nihil de iis scriptum fuisset, quid circa illa nunc sciremus? Fere nihil præter quasdam forte eorum notiones vagas, confusas et incertas: porro

sic erant ad minus scriptores profani respectu factorum a Moysè scriptorum; nihil de illis cognoscere poterant, nisi per quasdam traditiones vagas, confusas et valde incertas, tum propter longiorem distantiam, tum quia Judæi nullum habere volebant commercium cum Gentilibus, tum quia lingua Hebraica cæteris gentibus erat ignota, et 300 annis tantum ante Christum libri Moysis fuerunt a Septuaginta interpretibus in linguam Græcam translati. Ergo.

R. 2^o. Nego min. Mentionem enim fecit Sanchoniaton de creatione mundi, Callimachus de homine ex luto facto, Berosus de diluvio, Artapanus de traiectione maris Rubri, Herodotus de præcipuis eventibus qui in Genesi describuntur; horum testimonia unusquisque videre potest apud Grotium, *De vera religione* et in toto opere citato *Guérin du Rocher*. Ergo.

Primitivæ populorum traditiones cum narratione Moysis concordant eamque confirmant, ut videre est in opere inscripto *Annales de philosophie chrétienne*, t. 2, p. 30, et in plurimis aliis articulis.

Præterea positivæ probationes non impugnantur per rationes negativas: atqui veritas historiæ Moysis positivis et firmis nititur argumentis; rationes autem ex silentio auctorum paganorum deductæ sunt tantum negativæ: nihil ergo probant. Si enim hæc argumentandi methodus valeret, multæ historiæ, de quarum veritate nemo dubitat, rejiciendæ essent, v. g. victoria Julii Cæsaris in Gallia; siquidem illarum testes habemus tantum ipsum Cæsarem et paucos ejusdem gentis scriptores, nec ulli proferuntur libri veterum Druidum, qui tamen de illis silere non debuissent. Ergo.

Manethos, Trogus Pompeius, Justinus et Tacitus referunt Israelitas ex Ægypto propter scabiem et lepram fuisse ejectos; addit Tacitus, Hist. l. 1, 2, 3 et 4, fontem in rupe ab iisdem Israelitis sitiensibus fuisse detectum, unde Moyses totum populum recreavit. Hæc iterum nihil aliud esse videntur quam mera historiæ Moysis corruptio; illius saltem auctoritatem labefactare non possunt. Nam 1^o illi scriptores Moysè sunt recentiores; 2^o nulla assignant mo-

numenta; 3^o multa referunt absurda, v. g. Tacitum non pudet asserere caput asini religioso cultu in templo Hierosolymitano servari propter fontem aquæ repertum; 4^o absurdum est totum Israeliticum populum scabie et lepra fuisse corruptum, alioquin tot leges non fuissent institutæ ad distinguendum eos qui tali genere morbi laborabant.

Obj. 5^o. Si prodigia quæ narrantur in Exodo essent divina, Pharaeo eis non restitisset. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1^o sæpe veritati cognitæ reluctatur, quando cupiditatibus est adversa: atqui prodigia quæ narrantur in Exodo cupiditatibus Pharaonis erant adversa. 2^o Ea admittere potuit ut certa, et eorum consequentias negare, illa videlicet tribuendo magiæ. 3^o Non semper illis restitit; ex historia enim Moysis pluries fidem illis adhibuit, et tandem, evidentia rei omnino victus, populum Israeliticum dimisit: ipsa ergo Pharaonis resistentia demonstrat prædicta prodigia fuisse divina. Ergo.

Inst. 1^o. Si mare in duas partes divisum fuisset, Egyptii hoc miraculo perterriti a persequendis Hebræis temperassent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1^o Pharaeo magis ac magis induratus, tam huic miraculo resistere potuit quam præcedentibus quæ in Egypto patrata erant. 2^o Columna luminis ex parte Hebræorum, erat nubis ex parte Egyptiorum: hoc posito, facile concipitur quomodo Egyptii, ira inflammanti, persecuti fuerint Hebræos, etiam inter fluctus maris hinc et inde pendentes; illos propter noctis et columnæ nubis tenebras non videbant: unde, quando audierunt Deum e columna nubis tonantem, et senserunt aquas in se ruentes, stupefacti exclamaverunt, Exod. xiv, 25: *Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*; ergo huic miraculo non viderant.

Inst. 2^o. Ipse Josephus, lib. 2 de Antiq. c. 7, dubitare videtur an transitus maris Rubri fuerit supernaturalis, an mere naturalis. Ergo.

R. 1^o Quicumque integrum Josephi textum legerit, clare percipiet illum de veritate miraculi non dubitasse. 2^o Etiam si de illa veritate dubitasset, nihil inde sequeretur;

apud omnes enim constat illum non semel ex humana prudentia suam dissimulasse fidem, ne Vespasiano et aliis magnatibus Romanis displiceret. Eo usque devenit ut inter leges Moysis hanc a se conflictam inseruerit: *Nemo blasphemet deos quos aliæ civitates deos testimant*: ipsius ergo testimonium contra testimonium Moysis prævalere non posset.

Obj. 6^o. Moyses, qui fuit eruditus in omni sapientia Egyptiorum, solertia erat præditus, et forte magnus fuit incantator: porro non repugnat talem hominem Hebræis per diabolica prodigia illusisse, vel per fraudes callide structas decepisse: ergo.

R. 1^o. Nego maj. Narratio quippe Moysis omnes præ se fert characteres gravitatis, ingenuitatis et omnimodæ sinceritatis, adeo ut nullus scriptor humanus majorem vel etiam æqualem mereatur fidem.

R. 2^o. Nego min. Etiam si admitteremus hypothese[m] nobis objectam, quæ repugnat, quisquis Pentateuchum attente legens sibi persuadere non posset illum ab impostore fuisse scriptum. Quis enim impostor, quantumvis solers vel diabolica potestate præditus supponatur, posset efficere vel simulare tanta prodigia, sensibilia, obvia, publica, sæpius iterata, ab ingenti multitudine visa, observata, firmiter credita, multiplicatis solemnibus monumentis ad posterum transmissa? Certe tale insanie exemplum, vel potius tale portentum, omnium prodigiorum esset maximum. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Vera sunt facta quæ in Genesi narrantur.

Prob. Illa historia vera est cujus scriptor non fuit deceptus nec voluit decipere, et quæ insuper confirmatur notis veracitatis et populorum traditionibus: atqui talia sunt facta in Genesi narrata.

1^o *Scriptor*, id est Moyses, non fuit deceptus. Nulla est difficultas circa facta Abrahamo posteriora, quia gens Hebræa in duodecim tribus divisa, secundum numerum filiorum Jacob, historiam avorum suorum in duodecim lineis

numenta; 3^o multa referunt absurda, v. g. Tacitum non pudet asserere caput asini religioso cultu in templo Hierosolymitano servari propter fontem aquæ repertum; 4^o absurdum est totum Israeliticum populum scabie et lepra fuisse corruptum, alioquin tot leges non fuissent institutæ ad distinguendum eos qui tali genere morbi laborabant.

Obj. 5^o. Si prodigia quæ narrantur in Exodo essent divina, Pharaeo eis non restitisset. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1^o sæpe veritati cognitæ reluctatur, quando cupiditatibus est adversa: atqui prodigia quæ narrantur in Exodo cupiditatibus Pharaonis erant adversa. 2^o Ea admittere potuit ut certa, et eorum consequentias negare, illa videlicet tribuendo magiæ. 3^o Non semper illis restitit; ex historia enim Moysis pluries fidem illis adhibuit, et tandem, evidentia rei omnino victus, populum Israeliticum dimisit: ipsa ergo Pharaonis resistentia demonstrat prædicta prodigia fuisse divina. Ergo.

Inst. 1^o. Si mare in duas partes divisum fuisset, Ægyptii hoc miraculo perterriti a persequendis Hebræis temperassent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1^o Pharaeo magis ac magis induratus, tam huic miraculo resistere potuit quam præcedentibus quæ in Ægypto patrata erant. 2^o Columna luminis ex parte Hebræorum, erat nubis ex parte Ægyptiorum: hoc posito, facile concipitur quomodo Ægyptii, ira inflammanti, persecuti fuerint Hebræos, etiam inter fluctus maris hinc et inde pendentes; illos propter noctis et columnæ nubis tenebras non videbant: unde, quando audierunt Deum e columna nubis tonantem, et senserunt aquas in se ruentes, stupefacti exclamaverunt, Exod. xiv, 25: *Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*; ergo huic miraculo non viderant.

Inst. 2^o. Ipse Josephus, lib. 2 de Antiq. c. 7, dubitare videtur an transitus maris Rubri fuerit supernaturalis, an mere naturalis. Ergo.

R. 1^o Quicumque integrum Josephi textum legerit, clare percipiet illum de veritate miraculi non dubitasse. 2^o Etiam si de illa veritate dubitasset, nihil inde sequeretur;

apud omnes enim constat illum non semel ex humana prudentia suam dissimulasse fidem, ne Vespasiano et aliis magnatibus Romanis displiceret. Eo usque devenit ut inter leges Moysis hanc a se conflictam inseruerit: *Nemo blasphemet deos quos aliæ civitates deos testimant*: ipsius ergo testimonium contra testimonium Moysis prævalere non posset.

Obj. 6^o. Moyses, qui fuit eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, solertia erat præditus, et forte magnus fuit incantator: porro non repugnat talem hominem Hebræis per diabolica prodigia illusisse, vel per fraudes callide structas decepisse: ergo.

R. 1^o. Nego maj. Narratio quippe Moysis omnes præ se fert characteres gravitatis, ingenuitatis et omnimodæ sinceritatis, adeo ut nullus scriptor humanus majorem vel etiam æqualem mereatur fidem.

R. 2^o. Nego min. Etiam si admitteremus hypothese[m] nobis objectam, quæ repugnat, quisquis Pentateuchum attente legens sibi persuadere non posset illum ab impostore fuisse scriptum. Quis enim impostor, quantumvis solers vel diabolica potestate præditus supponatur, posset efficere vel simulare tanta prodigia, sensibilia, obvia, publica, sæpius iterata, ab ingenti multitudine visa, observata, firmiter credita, multiplicatis solemnibus monumentis ad posterum transmissa? Certe tale insanie exemplum, vel potius tale portentum, omnium prodigiorum esset maximum. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Vera sunt facta quæ in Genesi narrantur.

Prob. Illa historia vera est cujus scriptor non fuit deceptus nec voluit decipere, et quæ insuper confirmatur notis veracitatis et populorum traditionibus: atqui talia sunt facta in Genesi narrata.

1^o *Scriptor*, id est Moyses, non fuit deceptus. Nulla est difficultas circa facta Abrahamo posteriora, quia gens Hebræa in duodecim tribus divisa, secundum numerum filiorum Jacob, historiam avorum suorum in duodecim lineis

parallelis conservabat; sic eam Moyses facile cognoscere potuit: sola igitur quæstio est an Moyses certe cognoscere potuerit facta quæ narrat ab origine mundi usque ad vocationem Abraham: atqui hæc facta certo cognoscere potuit; plurimæ enim sunt viæ quibus illorum veritas ad ipsum certo pervenire potuerit, scilicet traditio oralis, cautica, scriptura, monumenta et revelatio.

1° *Traditio oralis.* Quamvis enim a creatione usque ad Moysen 2513 numerentur anni, paucæ tamen interfuerunt generationes, ob longissimam primorum hominum vitam: fere trecentis annis vixit Adam cum Mathusala, Mathusala sexcentis annis cum Noe, Sem vidit Isaac, Isaac Levi, et Levi diu vixit cum Amram patre Moysis; sic quinque aut sex ad summum reperiuntur generationes ab Adam usque ad Moysen: veritas autem factorum quæ narrat Moyses, per generationes istas facile transmitti potuit integra; nam historia primævi illius temporis est brevissima, et quædam tantum graviora continet facta: porro graviora hæc facta per solam traditionem oralem certo cognosci potuerunt; patres enim diutissime cum filiis vivebant, laboribus parum incumbabant, sed ordinarie greges pascebant; artes nondum erant inventæ, nullæ aliæ existebant historiæ; continuo igitur de factis ad prædecessores pertinentibus, de mundi creatione, de diluvio, et præsertim de genealogiis loqui debebant. Ergo 1°.

2° Moyses potuit cognoscere facta quæ narrat per quædam *cantica* usu recepta; apud omnes gentes enim mos ab initio fuit, ut communiter tenetur, carmina et cantica componere quibus celebriores eventus passim decantarentur et memoriæ commendarentur: atqui mos ille apud primævos homines, aut saltem ante Moysen existere debuit, siquidem Moyses pluribus in locis illum supponit. v. g. Gen. xxxi, 27; Deuteron. xxxi, 19 et 21. Ergo 2°.

3° Certum est artem aliquo modo *scribendi* tempore Moysis exstitisse, sed non constat quando illa fuit inventa; a multo tempore forte jam existebat; non repugnat ergo Moysen quædam saltem facta per scripturam cognovisse. Ergo 3°.

4° Ea cognoscere potuit per publica quæ tunc existebant *monumenta*; in memoriam enim factorum alicujus momenti solebant hujus temporis homines altare ædificare, puteos fodere, lapides erigere, etc., ut legitur de Jacob, Isaac, Abraham, Noe, etc. Sola presentia hujusmodi monumentorum ea testabatur facta ob quæ fuerunt erecta, *ut patet.* Ergo 4°.

5° Illa denique per *revelationem* certo cognoscere potuit; ex prima enim propositione constat vera esse splendida quæ in Exodo referuntur miracula: porro ex illis patet Moysen mirabile cum Deo habuisse commercium: impie ergo diceretur illum cognoscere non potuisse facta quæ narrat circa mundi originem, et usque ad Abraham vocationem: ergo 5°, etc. aliunde, etc. insuper, etc. Ergo 1° Moyses non fuit deceptus.

2° *Noluit decipere.* Nam 1° Moysi tribuere non licet propositum a notissima ipsius indole alienum: attamen, in hypothesi adversariorum, tribueretur Moysi propositum, etc. In quatuor enim posterioribus Pentateuchi libris manifestos atque innumeros exhibet sinceritatis characteres. Ergo. 2° Juxta adversarios, Moyses solertissimus fuisse impostor: at solertissimus impostor non ita excogitasset facta quæ narrantur in Genesi, ut vocationem Abraham præcedentia; aut ea omisisset, aut ea referendo, nomina propria, epochas, genealogias prudenter tacuisset, et generalioribus verbis usus esset, ne arma contra se subministraret. 3° Indubiis signis ostendit Deum sibi frequenter loqui: repugnat autem Deum mendacia impostoris cælestibus signis confirmare. Ergo 2° Moyses noluit decipere.

3° *Historia Moysis notis veracitatis confirmatur.* Etenim circa originem mundi informia quædam nobis exhibet initia potentissimorum imperiorum quæ postea exstiterunt: vix Abraham ingressus est Ægyptum, et de adventu novi hospitis rex admonetur: idem legitur de Abimelech Gerrarum rege: in Palestina tot erant reges quot urbes; quinque ex eis devineit et in fugam vertit Abraham cum 318 vernaculis. Simples tunc fuisse omnium mores mirabiliter narrat idem Moyses, opes locupletissimorum hominum

ipsorumque regum representat in numero servorum et armentorum: juxta ipsius narrationem, patres-familias, uxores, filii et filiae quaecumque officia per seipsos implebant, greges ducebant, custodiebant, adaquabant; hospites benigne suscipiebant, aquam ad lavandos pedes eis praebebant: ipsa familiae domina cibos parabat. Vietus autem erat simplex et naturalis: in lacte, butyro, ovibus, hœdis, vitulis et panibus subcinericiis consistebat, etiam quando honoratioribus hospitio excipiebantur viri. Nulla fit mentio artium, scientiarum, legislationis, quales esse debuissent apud populos a multis sæculis jam existentes: porro hujusmodi narrationes apprimè congruunt infantiae mundi. Sic Homerus, 600 annis post Moysen scribens, mores et usus suæ ætatis depinxit, et libenter agnoscunt deistæ ipsius narrationem esse veram. Ergo 3^o.

4^o Hæc Moysis historia *traditionibus populorum confirmatur*. Ubique enim videmus plus minusve distincte chaos immensum, terram aquis involutam, spiritum Dei cumeta vivificantem, tenebras luce priores, hominem ex luto formatum, ipsius innocentiam, deinde ejusdem lapsum: hinc poeta auream finxerunt ætatem, postea ferream. Varii Indicæ populi nomen et historiam Adami, Evæ, arboris, serpentis, etc. servarunt. Deprehenduntur vestigia longævæ patriarcharum ætatis in historiis, quæ testantur primos homines mille circiter vixisse annis; turris Babel in historia gigantum qui bellum cælo inferre voluerunt, et aliorum Genesis factorum in mythologiâ deluviis, ut fuse exponit *Guérin du Rocher*, in opere cui titulus *Histoire véritable des temps fabuleux*. Multa variorum populorum testimonia et monumenta legi possunt apud Grotium, t. 1, c. 16, et in opere jam citato *Annales de philosophie chrétienne*. Ergo 4^o, etc. aliunde, etc. insuper, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Auctores profani multa referunt facta publica et magni momenti, quæ nullam merentur fidem, v. g. bellum inter Jovem et Titanos, diluvium Deucalionis et novam

formationem virorum ac mulierum ex projectione lapidum, aurei velleris ablationem, etc. Ergo.

Notandum antiquiores profanos scriptores multo recentiores esse Moysen. Homerus, v. g., qui ut antiquissimus exhibetur, 600 annis post Moysen, et 300 circiter post captam Trojam scripsit: multo igitur difficilium quam Moyses facta priorum temporum cognoscere potuerunt.

R. Nego consequ. Sæpe enim facta quæ narrant sunt absurda; aliunde epochas non determinant, circumstantias non describunt, seriem continuatam et accuratam non exhibent, nullos denique sinceritatis characteres præ se ferunt; ordinarie sunt poetæ, qui nihil aliud querere videntur, nisi ut per delectabiles fictiones versibus adornatas sensus demulceant et hominibus placeant. Insuper plures auctores sat probabiliter ostendunt plerasque paganorum fabulas aliquod habere fundamentum in factis a Moysen relatis, ac proinde illa confirmare: v. g. historia diluvii Deucalionis quamdam supponit ideam diluvii universalis; fabula gigantum qui cælum ascendere volunt, est ipsa turris Babel traditio, etc. Ergo. Vide *Hact. Démonst. évang.*

Inst. Ideo profani auctores nullam merentur fidem quoad prima tempora, quia multa referunt facta absurda vel impossibilia: atqui Moyses multa etiam hujusmodi refert facta in Genesi: ergo.

R. 1^o. Nego maj. Non enim tantum auctores profani non merentur fidem quia referunt facta absurda aut impossibilia, sed et quia narratio eorum sæpe nullo nititur fundamento.

R. 2^o. Nego min. et dico nullum ex iis factis quæ narrat Moyses in Genesi absurdum esse, nullumque demonstrari impossibile. Ergo.

Obj. 2^o. Narratio Moysis circa formationem terræ, diluvii existentiam, unitatem speciei humanæ et chronologiam cum vera scientia nunc existente conciliari non potest: ergo, etc.

R. Nego ant. quoad omnes partes, quæ singulatim expendendæ sunt.

I. *Narratio Moysis constitutioni terræ geologis recognita non adversatur.*

Plures hodierni in geologia periti volunt terram primitus in fusione exstitisse, paulatim refixisse, centrum ejus adhuc incandescens esse, primitus herbis et plantis ornatam atque a variis bestiis inhabitatam fuisse, violentes cataclysmos a longis intervallis subiisse; hasque assertiones probant, 1° ex inspectione variarum substantiarum superpositarum quæ actionem aquarum evidenter demonstrant; 2° ex multis fossilibus ubique sparsis, et diversis modis in sinu terræ positus, inter quæ plurimæ evidenter pertinentia ad species hominibus semper ignotas; 3° ex structura ingentium montium qui e profundo maris, per vehementes commotiones prodire debuerunt; 4° ex experientia qua constat internum globi calorem eo fieri majorem quo altius penetratur, etc.

Inter facta allegata quedam negari possunt, ut pote rationibus sufficienter probantibus destituta: sic D. *Godefroy* supponit totam materiam creatam fuisse in statu vaporis subtilissimi, globos ex refrigeratione formatos fuisse, eorumque centra prius esse frigida debuisse quam superficies. Aliunde, non nisi corticem admodum levem globi nostri cognoscimus: ergo merito concludere non possumus, ex observatis, ad realem centri ejus statum. Ad explicanda facta non dubia, ut variæ species substantiarum superpositarum, permulta vegetalium et animalium fragmenta, apertissima signa mare continentia et altissimos montes cooperuisse, etc., diversa excogitata sunt systemata.

1° Quidam dicunt globum terrestrem e manibus Creatoris prodixisse eum signis vetustatis in eo impressis. Certe hujusmodi creatio potestatem Dei non excedit, sed repugnat supremæ veracitati Dei qui homines positivis argumentis deducere videretur in errorem.

2° Alii non pauci crediderunt formationes terrenas presentiam maris et magnas commotiones attestantes, cunctaque fossilia per diluvium a Moysæ descriptum explicari posse. At communiter hoc systema a peritis nunc rejicitur

ut insufficiens, ruit enim in conspectu multorum geologie factorum nuper observatorum, sibi concordantium, et cataclysmos diluvio a Moysæ descripto longe anteriores supponentium. Insuper legibus physicæ et chymicæ notis adversatur, v. g. circa corporum dissolutionem, etc.

3° Alii dicunt per dies creationis a Moysæ numeratas, intelligendas esse epochas plus minusve longas. Non insolitum est, aiunt, apud Judæos, verbum *diem* sumi ad exprimendum *tempus indefinitum*, quod in casu presentis rationes intrinsecæ factum fuisse probant. Etenim, sol diem et noctem dividens non existebat ante diem quartum, juxta narrationem Moysis. Quinto die producta sunt reptilia, volatilia, cete grandia, omnis anima vivens et in aqua motibilis; deinde, bestię terræ, et tandem homo qui super omnem creationem dominaretur. Terra, inquiunt, longe ante creationem hominis exstitit: aquæ eam totam cooperuerunt; se postea dividentes, formaverunt maria, et apparuit arida. Arida produxit herbas virentes, plantas et ligna. Reptilia, volatilia, pisces, conchæ omnis generis ex aquis divina Creatoris actione prodierunt: *Fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo* (Gen. I, 15).

Globo terrestri sic formato et habitato, vi interna nobis ignota vehementissime commoto, montes e profundo maris fuerunt elevati, aquæ maris versus alia loca fortiter pulsæ, nova constituerunt maria, novas relinquendo plagas exuviis maris refertas. Bestię terræ et plantæ commotionibus turbatæ et avulsæ, aquis subito involutæ, præcipitatæ fuerunt, modo promiscue, modo separatim, juxta varias directiones. Hinc contigit quod in sinu terræ, sub diversis materialium speciebus, reperiantur fossilia concharum, piscium, reptilium, vegetalium, bestiarum, etiam specierum in terra et in mari non existentium: intra ea autem nulla inveniuntur humana vestigia, scilicet neque ossa, neque ulla humanæ industriæ objecta. Nonne talis absentia demonstrat longam globi nostri existentiam et violentas in eo destructiones ope aquarum, ante hominis creationem?

Pro eo systemate, a pluribus sanctis Patribus indicato

et a D. Frayssinous exposito, sunt Deluc, Cuvier, Néréc-Boubée, Marrel de Serres, etc.

4^o Sunt qui volunt facta geologiæ in sinu terræ observata et magnam antiquitatem supponentia, esse causarum naturalium effectus, regulares aut irregulares, qui, longis intervallis, ante creationem in Genesi descriptam sibi successerunt. Deus igitur, in hac hypothese, ante mundi præsentis existentiam, plures efformasset creationes, quæ, post durationem omnino ignotam, successive periissent. Ultima clade consummata, terram ad statum ingentis chaos redactam sumpsisset, et totam creationem in Genesi narratam effecisset. Hinc facta geologica, mundo nostro antiquiora, narrationi Moysis nullatenus opponi possunt. Systema istud, quod Perertus excogitavit, defenditur a DD. Bukland, Wiseman, Deslouis, etc.

Circa valorem absolutum aut respectivum hujus vel alterius systematis, aut alii cujuslibet excogitati vel excogitandi, pronuntiare non intendimus: sufficit ut ostendatur multiplicata geologiæ systemata, quæ, secretario academici dictæ Institut, anno 1806, referente, jam 80 numerabantur, narrationi Genesis non contradicere.

II. Diluvium in cap. VII Genesim descriptum novis geologorum observationibus non adversatur.

Existentia magni cataclysmi a Moyse narrati, traditionibus populorum et multis geologiæ factis confirmatur.

1^o Traditionibus populorum.

In fragmentis Berosi Chaldaei et Abydeni apud Eusebium (Præp. ev. l. 9, c. 11 et 12), et Syncellum servatis, reperitur historia diluvii evidentem habentis analogiam cum diluvio Genesis. In Mahrabarata, libro sacro Indorum, describitur diluvium, cujus existentia ultra quinque millia annorum non ascendit, et in multis simile est diluvio Moysis. In libris sacris Sinensium, præsertim in Chou-King, cap. 1, ejusdem generis narratur diluvium quod evenire debuit sub Yao, versus annum 2357 ante Christum. In opere dicto Les Annales de Philosophie chrétienne, t. XIII, p. 138,

referuntur vel indicantur testimonia in eundem sensum convergentia viginti et octo populorum. Qui antiquissima historiae nationum monumenta perscrutantur, quotidie alia inveniunt indicia generalis hominum persuasionis quoddam olim existisse diluvium universale. Ergo 1^o.

2^o Illius existentia multis geologiæ factis confirmatur. Passim enim inveniuntur in terra, super materias diversæ naturæ: 1^o notabilia deposita arenæ marinæ et lapillorum volutorum (*des bancs de cailloux roulés*), quæ non nisi per aquas pelagianas sic adduci et deponi potuerunt; 2^o conchæ aliæque piscium maris et aquæ dulcis exuviæ permixtæ, speciebus nunc existentibus correspondentes, modo sparsæ, modo cumulatae in substantiis mobilibus, non longe a superficie terræ, in vallibus et usque in summitate montium; 3^o fragmenta animalium animalibus nostris congenerum inter mobiles substantias (*terrains meubles*) coadunata, etiam in regionibus ubi talia animalia non vivunt; 4^o multæ cavernæ et in rupibus fissuræ, in quibus acervantur promiscue terræ alluvionis, reliquæ animalium et vegetalium diversarum specierum et regionum.

Multæ etiam reperiuntur moles minerales, quandoque ingentes, erraticæ (*blocs erratiques*), in plagis longe distantibus a massis ex quibus excisæ sunt et quarum observantur translationis vestigia, ordinarie du Nord-Est au Sud-Ouest. Inveniuntur etiam valles denudationis, *des vallées de dénudation creusées dans des plateaux élevés par l'action d'immenses courants, qui ont laissé à nu sur chacune de leurs parois les couches correspondantes du terrain violemment ouvert.*

Hæc aliæque ejusdem generis facta nullis tribui possunt causis naturalibus ordinariis: at, generali diluvio a Moyse descripto semel admissio, facile explicari queunt.

Si enim torrens abundanti pluvia subito inflatus, arbores eradicet, domos evertat, ingentes arbores secum trahat, lapides volvat, etc., quid accidere debuit tempore diluvii a Moyse descripti? Nam rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli apertæ sunt, et facta est pluvium super terram quadraginta diebus et quadraginta noc-

tibus... Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. (Gen. VII, 11 et seq.) Per centum et quinquaginta dies nou imminutæ sunt aquæ; vento agitata ibant et redibant; debuerunt terram profunde subvertere, arbores et plantas eradicare, saxa e montibus excidere, animalium corpora volvere, versus omnes plagas disperdere, promiscue cum luto, arenis, conchilis aliisque materiis infodere, modo per quemdam ordinem alias super alias ponendo, modo confuse et sine ordine. Cum nulla tunc existerent littora maris, pisces cujuslibet generis super terram ierunt, sicque exuvias passim reliquerunt. Unde peritiores in rebus physicis et naturalibus viri unanimiter nunc dicunt actualem globi nostri superficiem referendam esse ad epocham non longe distantem, et ad causam unicam, generalem, uniformem, violentam et subitam. Sic, inter alios, *Deluc, André de Giv, membre de l'Institut (Moniteur des 30 et 31 décembre 1806), Dolomieu, Cuvier, etc.* Sic se habet *Cuvier, Discours sur les révolutions de la surface du globe, p. 282*: « Je pense donc, avec MM. *Deluc et Dolomieu*, que s'il y a quelque chose de constaté en géologie, c'est que la surface de notre globe a été victime d'une grande et subite révolution dont la date ne peut remonter beaucoup au-delà de cinq ou six mille ans; que cette révolution a enfoncé et fait disparaître les pays qu'habitaient auparavant les hommes et les espèces d'animaux aujourd'hui les plus communes; qu'elle a, au contraire, mis à sec le fond de la dernière mer, et en a formé les pays aujourd'hui habités; que c'est depuis cette révolution que le petit nombre des individus épargnés par elle se sont répandus et propagés sur les terrains nouvellement mis à sec, et, par conséquent, que c'est depuis cette époque seulement que nos sociétés ont repris une marche progressive, qu'elles ont formé des établissements, relevé des monuments, recueilli des faits naturels et combiné des systèmes scientifiques. »

Artes, gubernia, populorum corumque annales, monu-

menta et traditiones, terræ ad vegetationem idoneæ, et glebarum palustrium augmentio, littorei arenarum tumuli et alluviones, montium depressio aliaque hujus generis manifesta exhibent novitatis indicia. Ergo, nedum recentiores celeberrimorum geologorum observationes narrationi Moysis circa diluvium contradicant, eam, e contra, ex omni parte confirmant.

Objicitur tamen 1° incredibile esse Noe arcam, qualis describitur, fabricare potuisse; 2° impossibile fuisse in ea, juxta mensuras assignatas fabricata, saltem duo cujuscumque speciei animalia, sive terrestria sive cœlestia, cum pabulis necessariis includere; 3° impossibile pariter fuisse cuncta animantia, fera et mansueta, quadrupedia, reptilia, volatilia accersere, in arcam introducere, collocare, nutrire, curare; 4° insufficientes fuisse aquas ut altissimi montes cooperirentur; 5° incredibile esse genus humanum in diluvio generali periisse, siquidem inter multa bestiarum et plantarum fossilia, nulla reperiuntur humana.

R. 1°. Quidquid blasphemando et irridendo juxta morem suum dixerit *Voltaire* (*Dict. philos. art. Déluge*), certum est Noe arcam a *Moyse* descriptam fabricare potuisse. Centum enim habuit annos ad opus istud perficiendum; absurde diceretur ipsi defuisse aut materias convenientes, aut operarios necessarios, aut instrumenta requisita, etc. Multo quippe tempore antea, *Tubalcain faber* fuerat in cuncta opera aris et ferri (*Gen. IV, 22*); ædificabantur domus et civitates (*ibid.*). Non minus insulsum esset contendere Noe ignorasse regulas ad stupendam hanc perficiendam machinam sequendas: ex hypothesis enim quod eas ignorasset, propria industria illas, durante tanto temporis spatio, advenire aut ab ipso Deo immediate discere potuisset. Ergo 1°, etc.

R. 2°. *Arca*, prout in cap. VI *Genesis* describitur, cuncta animalia cum pabulis et nutrimentis necessariis continere potuit; habebat enim 300 cubitos seu 500 pedes longitudinis (cubitus enim *Ægyptius*, quo probabiliter utebatur *Moyse*, erat 20 pollicum), 50 cubitos seu 83 pedes latitudinis et 30 cubitos seu 50 pedes altitudinis. Immensa

hæc capacitas per quatuor ordines (*étages*) divisa, abunde sufficere debuit ad continenda animalia et quæcumque includenda erant in arca. In primo enim ordine, id est in carena, poterat esse aqua sufficiens ad annum; in secundo, omnia pabula pro cunctis animalibus; in tertio, omnia animalia terrestria, quorum primigenæ species non sunt valde numerosæ, et pauca sunt ingentes. Supponamus in medio, per totam longitudinem, spatium 15 pedum vacuum, 34 pedes adhuc remanebant in utroque latere. Spatium illud poterat iterum per totam longitudinem separari in duas partes, quarum unaquæque 10 pedes habuisset, et 14 pedes adhuc superfuissent vacui. Quatuor igitur existissent longitudines 500 pedum cum 10 pedibus latitudinis. Si 500 pedes per 6 dividuntur, 83 habebuntur mansiacula seu stabula 6 pedes ex una parte et 10 ex altera habentia; 83 autem per 4 multiplicata, dabunt 332 stabula, certe multo vastiora pro plerisque bestiarum speciebus; duo vel tria coadunari potuerunt pro majoribus, v. g. pro elephantis, camelis, etc. In quarto autem ordine, aves et volatilia facillime collocari poterunt. Vide D. Calmet, *Disser. sur l'Arche de Noé*; Bergier, t. 5; Duclot, *Bible vengée*, t. 2; *de Genoude*, t. 1^{re}, etc.

Thévenard, vice-amiral, in commentariis, quæ tempore reipublicæ Gallicanæ scripsit (4 vol. in-8^o), speciebus animalium enumeratis, eorum pabulis æstimatis et ponderatis, demonstrat arcam a Noe descriptam omnia hæc facile continere potuisse. (*Tribune catholique du 1^{er} mai 1833*) Ergo 2^o.

R. 3^o. Noe forsitan non potuisset, solis mediis naturalibus, cuncta animalia congregare, in arcam introducere, collocare, nutrire, curare; sed, Deo omnium domino interveniente, nihil sub his respectibus æstimari potest impossibile nec difficile. An omnes strictè species collegerit Noe, non intendimus definire. Deus, pro rationibus sibi notis, permittere potuit ut quædam species extra arcam relictæ perierint ac penitus sint extinctæ; sed nihil inde contra nos inferri potest: non deerat spatium in arca. Ergo 3^o, etc.

R. 4^o. Deus exhibetur in Genesi ut causa efficiens diluvii: at certe Deus tale diluvium efficere potuit: ex hypothesis quod aquæ existentes non sufficissent, alias in quantitate requisita creare easque postea annihilare, vel in novos abyssus præcipitare potuisset. Verum non necesse est ad novam creationem aquarum recurrere: Deus enim potuit aquas existentes dilatare, vim gravitatis suspendere vel mutare, fundum maris sublevare, aquas ejus latissimas et profundas in terras pulsare, vehementer agitare, omnia cooperire et subvertere, etc. Ergo 4^o, etc.

R. 5^o. Homines ante diluvium nondum erant numerosi, saltem respectu animalium; insuper habitabant præcipue regiones in centro Asiæ, ubi pauca admodum hucusque factæ sunt investigationes geologica: non mirum ergo si inter alia vegetalium et animalium fragmenta apud nos in visceribus terræ inventa, non reperiuntur fossilia humana.

Insuper, plures hodierni sagacissimi observatores præ-tendunt se invenisse, non quidem fossilia humana in rupibus incrustata, sed humanas reliquias (*des débris humains*) in mobilibus substantiis, in antribus et cavernis cum aliis fragmentis jacentes. Vide præsertim *Huot*. Ergo 5^o, etc.

Nota. Quidam dixerunt diluvium fuisse locale, non vero universale. Sed hæc opinio adversatur, 1^o physicis legibus, vi quarum liquidi æqualitatem altitudinis servant; 2^o circumstantiis a Moyse descriptis: si enim aquæ totam cooperire non debuissent terram, ad quid constructio arce et in ea omnium animalium collectio? 3^o verbis expressis Genesis, VI, 7: *Delcbo, inquit Deus, hominem quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli: pænitet enim me fecisse eos*; et VII, 21: *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram, universi homines et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra mortua sunt*. Ergo, etc.

III. *Unitas speciei humanæ cum vera scientia conciliari potest.*

Ex narratione Genesis, unanimi fide Judæorum et Christianorum confirmata, omnes homines, sine ulla exceptione, sunt membra ejusdem familiæ, ut pote ex eodem patre et eadem matre, videlicet Adam et Eva, descendentes.

At plures qui non reputabantur scientiarum naturalium ignari, de auctoritate Genesis aliorumque librorum sacrorum parum solliciti, affirmarunt omnes homines ejusdem typi non esse, et varias inter eos distinxerunt stirpes, nempe stirpem alborum, stirpem nigroram, etc.

Narrationi autem Moysis circa unitatem speciei humanæ non contradicunt hypotheses gratuita; demonstrandum foret non tantum dari hominum varietates, sed species diversas. Porro adversarii non demonstrant diversas existere hominum species. Namque:

1^o Clare et præcise determinandum esset quid species constituat et unam ab alia separet: nullus vero lucusque clara et ab omnibus accepta hujusce specificationis principia dedisse videtur.

2^o *Blumenbach* et *Camper*, varias species hominum distinguunt, ut fundamenta distinctionis assignant colorem, calvariæ formam et faciei angulum. Verum, hi characteres non afficiunt organa hominis essentialia, ut patet: non raro reperiuntur in individuis ejusdem familiæ, in familiis ejusdem nationis, in populis ejusdem stirpis. Similes inveniuntur varietates inter familias animalium aut vegetalium ejusdem typi: imo illæ varietates, in accidentalibus tantum existentes, humana sagacitate servantur, quandoque industria procurantur. Cur inter homines causis naturalibus non fierent?

3^o Experientia constat varietates animalium et vegetalium secum mixtas, novas dare varietates, cum attributis constitutivis essentialibus; species vero mixtas aut nihil producere, aut dare monstra ad neutram duorum individuorum speciem pertinentia nec secunda, saltem indefinite. At viri

et mulieres omnium varietatum simul convenientes sunt fecundi: qui ex illis nascuntur in accidentalibus tantum discrepantes, fiunt et ipsi fecundi, et sic in infinitum. Discrepantia igitur non est in organis essentialibus, ac proinde non constituit species distinctas.

4^o In individuis, in familiis ac etiam in populis ejusdem stirpis notabiles observatæ sunt adulterationes, in aliis vero perfectiones semper crescentes, tum in physicis, tum in moralibus qualitatibus, et quidem permanentes, ratione prosperitatis aut miseriæ, climatis, aeris, habitationum plus minusve salubrium, alimentorum, vestium, educationis, professionis, etc.

Unde *D. Flourens*, in consessu Academiæ Scientiarum diei 17 augusti anni 1843, sic habuit:

« Lorsque nous comparons brusquement et sans inter-
» médiaire la peau de l'homme blanc à celle de l'homme
» noir ou à celle de l'homme rouge, nous sommes très-
» portés à supposer à chacune de ces races une origine dis-
» tincte. Mais si nous passons de l'homme blanc à l'homme
» noir par le Kabyle, par l'Arabe, par le Maure; si nous
» faisons seulement attention aux parties colorées dans
» l'homme de race blanche, ce n'est plus la différence,
» c'est l'analogie qui nous frappe. Ici l'anatomie comparée
» de la peau nous donne la preuve directe de l'origine com-
» mune des races humaines et de leur unité première.

» L'homme est donc essentiellement et primitivement
» un; l'étude de la peau le prouve.»

Sagaces observationes istæ circa variationes coloris, eadem methodo procedendo, aliis differentiis inter homines existentibus applicari possunt.

5^o In temporibus nostris immensæ factæ sunt investigationes *linguisticæ* circa verborum formationem eorumque radices, circa grammaticales regulas, circa linguarum analogias ac comparationes, et inventum est omnes linguas, quæ judicatæ fuerunt ut essentialiter distinctæ, ad tres primitivas revocandas esse, videlicet Indo-Europæanam, Semicam et Malayam (la Malaye ou Malaise), hasque primitivas esse quasi sorores, quæ nonnullis signis no-

scuntur, ita tamen ut subito ac inopinata violentia separatae videantur; quod narrationi Genesis apprime congruit.

Ipsa numerosissima ac valde intricata Americae idiomata ad dictas tres primitivas linguas deprehenduntur pertinere.

Hinc D. W. Schlegel, in opusculo, *Mémoire lu à la Société royale de littérature, le 20 nov. 1833, à Londres*, aiebat: «Ma conviction est que la filiation des langues justifie la conclusion que toutes les familles de peuples sont issues d'une même souche, et qu'elle la justifie d'autant plus qu'elle est plus examinée.»

Nunc omnes in scientia linguarum vere periti eodem sensu loquuntur.

Observatum est insuper populos diversi typi reputatos, v. g. Tartaros et Mogoles, linguis ejusdem familiae uti. Ergo, etc.

Allegatur a quibusdam praesentiam hominum in America explicari non posse si unica fuerit hominis creatio.

R. 1°. Demonstrari non posse nullos ex Europa in Americam ante saeculum xv transiisse; facta recenter detecta contrarium probare videntur.

R. 2°. Facilis existere potuit communicatio, in retro saeculis, inter Asiam et Americam, sive per boreales, sive per australes partes. Permultae similitudines observatae in traditionibus, in moribus, in consuetudinibus, in scripturis, in modo numerandi, in linguis, in zodiacis, in monumentis, etc., suadent, imo et evidenter probant sic factum esse. Ergo, etc.

Consulatur praecipue D. de Humboldt.

IV. *Chronologiae populorum bene intellectae, narrationi Moysis non adversantur.*

Sic enim generaliter ratiocinari licet: citantur annales qui cum historia a Moyse descripta conciliari non possunt; ergo rejiciendi sunt ut falsi; ingens namque est discrimen inter Moysis historiam et annales ei oppositos: omnes veritatis characteres, qui desiderari possunt, praese fert

Moyses, dum auctores annalium nobis objectorum nulla sinceritatis ac veritatis exhibent indicia. Eorum nativitas, status, vita, mors assignari nequeunt: illorum opera ex maxima parte destructa sunt, et quaedam tantum ex iis nobis remanserunt fragmenta, fere nullum exhibentia factum clare determinatum, suis circumstantiis vestitum, circa quod fraus existere non possit: narrant duntaxat infinitas deorum et regum genealogias nullo momento inmixtas. Numquid hujusmodi annales narrationi Moysis bona fide opponi possunt?

Antiquiores qui ab incredulis nobis objiciuntur annales sunt Chaldaeorum, Indorum, Sinensium et Aegyptiorum: porro annales quatuor populorum istorum narrationi Moysis non adversantur.

1º Non annales Chaldaeorum, licet a nonnullis exhibeantur ut ascendentes ultra 400,000 annos. Berosus enim, primus Chaldaeorum scriptor historicus, vivebat tempore Alexandri magni. Historia ejus, quae facta et eventus 180 annorum tantum continebat, juxta Plinium, periit; nonnisi fragmenta illius a Josepho et Polyhistore citata supersunt. Facta autem in his fragmentis contenta, quantum a fabulis separari possunt, cum factis biblicis concordant. Potius ergo narrationem Moysis confirmant quam labefactant. (*Bible vengée*, t. Ier.) Pauca etiam restant Abydeni fragmenta apud Eusebium, Cyrillum Alexandrinum, et Georgium Syncellum conservata; Scaliger ostendit illa nihil continere narrationi biblicae oppositum. Denique, si observationes astronomicae a Callistheno relatae, quae omnes in spatio annorum 1903 praecise determinato comprehenduntur, sedulo attendantur, per inductionem pervenitur ad facta evidentem habentia similitudinem cum factis biblicis. Ergo, etc.

Memorantur Sanchoniaton apud Phoenices et Zoroastres apud Persas. Verum Sanchoniaton, quem *Voltaire* asserit esse omnium antiquissimum et Moyse valde anteriorem, tempore belli Trojani vivebat, juxta Porphyrium, Eusebium et Theodoretum, proindeque 300 annis post Moysen: juxta plures alios, est adhuc multo recentior. Loquitur

enim de Tyro tanquam de urbe antiquissima: porro Tyrus centum annis et forsam amplius post captam Trojam fundata est.

Quidam existentiam Sanchoniati negant. Saltem opera ejus ante imperatorem Adrianum ignorata erant. Quaedam tantum eorum supersunt apud Porphyrium et Eusebium fragmenta, quæ fere nihil clarum et distinctum continent. (*Histoire universelle, par une société de gens de lettres, traduit de l'anglais, t. 3; Duclot, Bible vengée, t. 1.*)

Zoroastres, temporis Darii filii Hystaspis, 550 ante Christum vivebat. *Voltaire* affirmabat illum fuisse sapientissimum legislatorem, et libros ejus esse antiquissimos mundi. Cum autem illos in linguam nostram conversos viderit, dixit eos nihil fide dignum continere. *C'est, aiebat, un satras abominable dont on ne peut lire deux pages sans avoir pitié de la nature humaine.* (*Lettres de quelques Juifs; Duclot, t. 1.*)

2º Non Indorum. *Bailly*, ex Brahmanorum libris, astruxerat systema mundi præ sua antiquitate stupendum: *Delambre* et *Montucla* illud statim per solidissima argumenta exverterunt. *Laplace* astronomiam Indorum demonstravit, quoad antiquitatem, vanam et insulsam. Eruditus *Bentley*, ut antiquitatem Indorum tutius penetraret, in ipsa India illam perscrutari voluit. Ex maturis disquisitionibus ejus et aliorum, sequentes deducendæ videntur conclusiones: 1º librum astronomicum apud Indos celebrem, inscriptum *Surya-shiddanta*, ultra 800 annos non ascendere; 2º indicationes libri *Rayamana* apud eos venerati, respondere sitibus astrorum anni 961 ante Christum, et nihil demonstrat computationes non factas fuisse pro annis jam præteritis; 3º historiam cujusdam *Christina* vel *Kristhna* cum Christo similitudinem habentis, ab incredulis ex aviditate acceptam, informem esse totius Christianismi imitationem a Brahmanis contextam in septimo sæculo, ut veri christianismi institutionem apud Indos efficacius impedirent; 4º librum doctrinis christianis plenum ex *sanscrito* in linguam nostram conversum, ultimo sæculo in lucem editum, sub nomine *Ezour-*

Vedam seu veteris interpretationis libri sacri *Vedam*, a *Voltaire* exhibitum ut testimonium christianismum esse duntaxat imitationem antiquioris religionis Brahmanorum, fuisse compositum anno 1621, a doctissimo missionario, in favorem religionis christianæ; 5º tabulas astronomicas nihil probare, quia, ut ait *Klaproth*: *Les tables astronomiques des Hindous, auxquelles on avait attribué une antiquité prodigieuse, ont été construites dans le VII^e siècle de l'ère vulgaire, et ont été postérieurement reportées par des calculs à une époque antérieure* (*Wiseman, 7^e discours, 1^{re} partie*); 6º historiam eorum multis refertam esse fabulis et absurditatibus, continere regimina solis, lunæ, deorum, et nulla exhibere facta fide digna ante annum 2000 ante Christum. Ergo, etc.

Auctor recens operis de *Astronomia Indorum*, nondum editi, in omnibus tamen non idem sentit. Post attentas disquisitiones in ipsamet India juvenibusque monumentis authenticis factas, fidenter affirmat: 1º nullo modo chronologiam Indorum narrationi sacrorum Bibliorum officere, siquidem in antiquissimis libris non reperiuntur nisi signa astronomico-astrologica; 2º *Delambre*, *Montucla*, *Laplace*, merito et solide evertisse inventa *Bailly*, qui monumenta a se relata, et aliunde insignia, insulse plerique interpretatur, nihil vero proprie et positive astruisse; 3º *Bentley* in plurimis graviter errasse, nec circa res Indicas ut magni ponderis habendum; 4º certum esse *Surya-shiddanta* decurrente quarto æræ nostræ sæculo fuisse editum, quod probatur ex observationibus astronomicis in eo relatis, ex commentariis decimo sæculo exaratis, variis historiis ex Arabia et Persiæ scriptoribus, ex auctoritate doctissimi *Reynaud*, de illustri Academia dicta *l'Institut*, etc.

Has vero conclusiones et alias circa tempus celebris *Rayamana*, circa verum *Ezour-Vedam*, quod auctor citatus non confundendum esse asserit cum ejusdem tituli libro de quo diximus, et cujus aliam refert originem, indicare nobis satis est. Opere ipso in quo hæc traduntur edito, doctorum erit illius rationes discutere et pensare.

Scimus autem in eo præfatas incredulorum difficultates ita solvi ut chronologia biblica nihil omnino metuendum habeat, et fantasmata olim congesta penitus evanescent.

3° Non Sinensium. Confucius, qui in maxima veneratione est apud Sinenses, vivebat circiter 500 ante Christum, et 1000 post Moysen. Annales Sinensium ab Yao 2557 annos ante Christum regnante scripsisse dicitur. Quidam Sinenses, hac antiquitate non contenti, multos alios supposuerunt existisse imperatores ante Yao, sicque perveniunt usque ad 3,276,000 annos ante Christum. Notandum ducentis annis post Confucii mortem, imperatorem *Chi-Hoang-ti* jussisse omnia ejus opera destrui. Sub sequenti tantum dynastia annales philosophi fuerunt de novo scripti, dictante quodam sene, qui prætendebat eos memoriter retinuisse. Talis est origo omnis scientiæ historicæ apud Sinenses. *Klaproth* fidenter affirmat nullam reperiri posse, in vastissimo hoc imperio, certitudinem historicam quæ ultra 732 annos ante Christum ascendat. *Abel Rémusat*, e contra, credit veram Sinensium historiam annos 2200 ante Christum attingere, et traditiones probabiles annos 2600. (*Nouveaux mélanges asiatiques*, t. 1, p. 61, Paris, 1829.) Hæc autem antiquitas, licet non fundata, admitti potest, absque ulla doctriarum nostrarum læsione. Ergo 3°, etc.

4° Non Ægyptiorum. Testimonium Manethi, qui multas dynastias regum describens, historiam Ægypti usque ad 53,535 annos protrahit, visum fuerat magni momenti contra Moysis auctoritatem. Verum increduli illud allegantes considerare debuissent: 1° Manethum sub Ptolomæo Philadelpho 300 annis circiter ante æram nostram existisse; 2° illum nulla citare monumenta fide digna ex quibus veritatem factorum antiquorum a se scriptorum excerptisset; 3° epochas, circumstantias, aliaque veritatis historice indicia non assignare; 4° scriptorum ejus non superesse nisi portiunculas a Syncello ex Julio Africano citatas, ex quibus nihil ordinatum, clarum et solidum erui potest.

Ex quo, in recentioribus temporibus, vetera monumenta fuerunt lustrata et serio examini subjecta, adhibita hiero-

glyphorum intelligentia a *Champollion* feliciter detecta, et longa Ægyptiorum antiquitas evanuit: ostensum est dynastias a Manetho nominatas potius quam descriptas, non fuisse successivas, sed simultaneas in diversis provinciis.

Champollion in epist. diei 23 maii 1827, apud *Wiseman*, t. 2, p. 85, ait: « Je démontre qu'aucun monument égyptien n'est réellement antérieur à l'an 2200 avant notre ère. C'est certainement une très-haute antiquité, mais elle n'offre rien de contraire à nos traditions sacrées; et j'ose dire même qu'elle les confirme sur tous les points. C'est en effet en adoptant la chronologie et la succession des rois donnés par les monuments égyptiens, que l'histoire égyptienne concorde admirablement avec les livres saints.... Les rois d'Égypte nommés dans la Bible se trouvent sur les monuments égyptiens dans le même ordre de succession et aux époques précises où les livres saints les placent. »

Si Sesostris a Moysen non fuerit nominatus, id, ex observatis a doctissimis in ægyptiacis rebus, contigisse videtur quia regnabat dum populus israeliticus per 40 annos in deserto errans vivebat ab Ægyptiis omnino separatus.

Astronomi qui exercitum nostrum sub duce *Bonaparte* comitati sunt in Ægyptum, reperierunt in *Denderah* et *Hesneh* zodiacos, quos increduli magna alacritate suscipientes, proclamarunt antiquissimos et narrationem Moysis subvertentes. At viri scientia et ingenio conspicui clara luce demonstrarunt nihil ex illis contra historiam Moysis erui posse. Etenim *Testa* et *Visconti*, doctissimi Romani, argumentis archeologicis ostenderant existentiam dictorum zodiacorum ultra Ptolomæos non ascendere. *D. Letrouvé* in speciali dissertatione demonstravit ex inscriptionibus Græcis aliisque documentis illos sub imperatoribus Romanis in primo vel secundo æræ nostræ sæculo, confectos fuisse, et ex inspectione corporis servati (*nomie*) a viatore *Cailliaud* ex Ægypto asportati, inscriptionem et zodiacum zodiaco *Denderah* similem habentis depictum, hujusmodi zodiacos non fuisse astronomicos, sed astrologicos, ac proinde superstitionis signa.

Dupuis, sua solummodo impietate notus, ex nominibus quibus duodecim signa zodiaci nostri appellantur, probare intendit illum saltem a 15,000 annis inventum fuisse. Sed quantum illud systema sit obscurum, arbitrarium, solidis principiis destitutum, temerarium et falsum, non difficile periti ostendunt. Nemo ei nunc adhæret. Vide adhuc *la Bible vengée*, et præsertim *Annales de philosophie chrétienne*.

« En voilà sans doute autant qu'il en faut, ait Cuvier, p. 281, pour dégoûter un esprit bien fait de chercher dans l'astronomie des preuves de l'antiquité des peuples; mais quand ces prétendues preuves seraient aussi certaines qu'elles sont vagues et dénuées de résultat, qu'en pourrait-on conclure contre la grande catastrophe dont il nous reste des monuments bien autrement démonstratifs? Il faudrait seulement admettre, avec quelques modernes, que l'astronomie était au nombre des connaissances conservées par les hommes que cette catastrophe épargna (*Disc. sur les Révol. du globe*). »

Suspitari licet cum Cuvier fabulosos annales Chaldæorum, Indorum et Ægyptiorum communem habuisse originem, siquidem apud illos populos quædam observatur identitas quoad substantiam: fabulæ circa deorum et hominum existentiam præteritam semel contextæ, ab una regione in aliam cum novis erroribus transire potuerunt.

Obj. 2º. Ex Gen. IV, 14, dixit Cain: *Omnis qui invenerit me occidet me*. Unde sic: hæc verba supponunt Cainum tunc non fuisse solum cum Adam et Eva; atqui tamen ex narratione Moysis, Cain post mortem Abel erat solus in terra cum Adam et Eva; ergo.

R. 1º. *Nego maj.* Etiam si enim Cain tunc fuisset solus in terra cum Adam et Eva, hæc tamen verba proferre potuisset, tum respectu futurorum suorum fratrum, qui ex Adam et Eva forte nascituri erant, tum respectu priorum liberorum, tum etiam respectu bestiarum terræ, quæ illum occidere poterant.

R. 2º. *Nego min.* Scriptura quidem alias non designat personas præter Adam, Evam, Cain et Abel, sed perperam

inde concluderetur alias tunc non exstitisse; ordinarie enim Scriptura primogenitum duntaxat patriarcharum nominat, cæteros vero et filios et filias ad summum generali modo designat: possibile est ergo, imo et probabile, alios tunc exstitisse liberos ex Adam, et forte ex ipsismet Cain et Abel natos. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CÆTERIS VETERIS TESTAMENTI LIBRIS.

Præter quinque Moysis libros, de quibus sub nomine Pentateuchi tractavimus, quadraginta alios in Veteri Testamento numerant catholici, nempe libros *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duos Paralipomenon*, *duos Esdræ*, *libros Tobiaë*, *Judith*, *Ester*, *Job*, *Psalmorum*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastæ*, *Cantici canticorum*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *quatuor majores Prophetas*, *Baruch cum Lamentationibus Jeremiaë*, *duodecim minores Prophetas* et *duos priores libros Machabæorum*. In omnibus libris istis pretiosa reperiuntur monumenta in gratiam religionis Judaicæ; valde igitur nostra interest scire cujus sint auctoritatis. Itaque sit

PROPOSITIO.

Cæteri libri Veteris Testamenti omni fide sunt digni.

Prob. Illi enim libri omni fide sunt digni, si sint authentici, veri et integri: atqui cæteri libri Veteris Testamenti sunt authentici, veri et integri.

1º. *Sunt authentici.* Publica enim et constanti traditione semper habiti sunt ut authentici, id est, eorum auctorum quibus attribuuntur, et eo saltém tempore scripti ad quod referuntur; omnes plus minusve pertinent ad statum populi, sive religiosum, sive civilem et politicum, in summa veneratione semper custoditi sunt, et a diversis auctoribus exarati, diverso genere compositi; alii videlicet sunt historici, alii prophetici; alii continent sententias, alii cantica, alii vitam privatorum; alii ab aliis pendent, se invicem

Dupuis, sua solummodo impietate notus, ex nominibus quibus duodecim signa zodiaci nostri appellantur, probare intendit illum saltem a 15,000 annis inventum fuisse. Sed quantum illud systema sit obscurum, arbitrarium, solidis principiis destitutum, temerarium et falsum, non difficile periti ostendunt. Nemo ei nunc adhæret. Vide adhuc *la Bible vengée*, et præsertim *Annales de philosophie chrétienne*.

« En voilà sans doute autant qu'il en faut, ait *Cuvier*, p. 281, pour dégoûter un esprit bien fait de chercher dans l'astronomie des preuves de l'antiquité des peuples; mais quand ces prétendues preuves seraient aussi certaines qu'elles sont vagues et dénuées de résultat, qu'en pourrait-on conclure contre la grande catastrophe dont il nous reste des monuments bien autrement démonstratifs? Il faudrait seulement admettre, avec quelques modernes, que l'astronomie était au nombre des connaissances conservées par les hommes que cette catastrophe épargna (*Disc. sur les Révol. du globe*). »

Suspiciari licet cum *Cuvier* fabulosos annales Chaldæorum, Indorum et Ægyptiorum communem habuisse originem, siquidem apud illos populos quædam observatur identitas quoad substantiam: fabulæ circa deorum et hominum existentiam præteritam semel contextæ, ab una regione in aliam cum novis erroribus transire potuerunt.

Obj. 2º. Ex Gen. IV, 14, dixit Cain: *Omnis qui invenerit me occidet me*. Unde sic: hæc verba supponunt Cainum tunc non fuisse solum cum Adam et Eva; atqui tamen ex narratione Moysis, Cain post mortem Abel erat solus in terra cum Adam et Eva; ergo.

R. 1º. *Nego maj.* Etiam si enim Cain tunc fuisset solus in terra cum Adam et Eva, hæc tamen verba proferre potuisset, tum respectu futurorum suorum fratrum, qui ex Adam et Eva forte nascituri erant, tum respectu priorum liberorum, tum etiam respectu bestiarum terræ, quæ illum occidere poterant.

R. 2º. *Nego min.* Scriptura quidem alias non designat personas præter Adam, Evam, Cain et Abel, sed perperam

inde concluderetur alias tunc non exstitisse; ordinarie enim Scriptura primogenitum duntaxat patriarcharum nominat, cæteros vero et filios et filias ad summum generali modo designat: possibile est ergo, imo et probabile, alios tunc exstitisse liberos ex Adam, et forte ex ipsismet Cain et Abel natos. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CÆTERIS VETERIS TESTAMENTI LIBRIS.

Præter quinque Moysis libros, de quibus sub nomine Pentateuchi tractavimus, quadraginta alios in Veteri Testamento numerant catholici, nempe libros *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duos Paralipomenon*, *duos Esdræ*, *libros Tobiae*, *Judith*, *Ester*, *Job*, *Psalmorum*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastæ*, *Cantici canticorum*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *quatuor majores Prophetas*, *Baruch cum Lamentationibus Jeremiæ*, *duodecim minores Prophetas* et *duos priores libros Machabæorum*. In omnibus libris istis pretiosa reperiuntur monumenta in gratiam religionis Judaicæ; valde igitur nostra interest scire cujus sint auctoritatis. Itaque sit

PROPOSITIO.

Cæteri libri Veteris Testamenti omni fide sunt digni.

Prob. Illi enim libri omni fide sunt digni, si sint authentici, veri et integri: atqui cæteri libri Veteris Testamenti sunt authentici, veri et integri.

1º. *Sunt authentici.* Publica enim et constanti traditione semper habiti sunt ut authentici, id est, eorum auctorum quibus attribuantur, et eo saltém tempore scripti ad quod referuntur; omnes plus minusve pertinent ad statum populi, sive religiosum, sive civilem et politicum, in summa veneratione semper custoditi sunt, et a diversis auctoribus exarati, diverso genere compositi; alii videlicet sunt historici, alii prophetici; alii continent sententias, alii cantica, alii vitam privatorum; alii ab aliis pendent, se invicem

supponunt; et tamen, non obstantibus tot diversitatibus, perfecte sibi concordant. Porro tales libri nunquam supponi potuerunt, et, licet auctores aliquorum non noscantur, nihilominus certum est illos eo tempore ad quod referuntur fuisse scriptos, ac proinde sub eo respectu vere authenticos esse. Ergo 1^o.

2^o *Sunt integri.* Nam publici erant, cultu religioso servabantur, ubique erant sparsi, apud sacerdotes, magistratus et populum: impossibile est autem omnes hujusmodi libros fuisse simul et eodem modo adulteratos. Ergo 2^o.

3^o *Sunt veri.* Veri sunt enim, si eorum auctores non fuerint decepti nec deceptores: atqui non fuerunt decepti nec deceptores. 1^o Non fuerunt decepti; referunt enim facta publica, omnibus sensibus obvia; tradunt morum præcepta evidenter vera et sancta; edunt prophetias quæ suum semper apprime consequuntur effectum: atqui hæc omnia probant illos non fuisse deceptos. 2^o Non fuerunt deceptores. Nam 1^o omnes sinceritatis characteres præ se ferunt, *ut unicuique legenti patet.* 2^o Facta quæ narrant sunt publica et præsentia, sibi et cum præcedentibus concatenata: at impossibile est circa hujus generis facta decipere; qui enim talia facta impudenter supponeret, non nisi contemptum et derisum sibi acquireret: atqui prædictorum librorum auctores summam venerationem e contra sibi conciliaverunt: ergo 3^o, etc., aliunde, etc. Ergo.

Judæi non agnoscunt ut canonicos libros Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum, saltem illud controversitur; item protestantes duos Machabæorum libros rejiciunt. Has speciales controversias hic non aggredimur, quia his libris ad demonstrandam veritatem religionis Judaicæ non indigemus.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINITATE RELIGIONIS JUDAICÆ.

Religio Mosaica non potest esse vera quin eo ipso sit divina, quia exhibetur tanquam immediate et supernatu-

raliter a Deo proveniens: vel ergo supposita sunt facta quibus innitur, et tunc est falsa; vel certa sunt, et tunc vera est ac divina; sed *probavimus* verissima esse facta quibus innitur: ergo certum est illam esse divinam. Pro majori tamen hujus veritatis explicatione, sit

PROPOSITIO.

Divina est religio Mosaica.

Prob. Ex probatis in prima hujus tractatus parte, divina est illa doctrina quæ non est evidenter absurda aut falsa, et aliunde veris miraculis et prophetiis confirmatur: atqui talis est religio Mosaica.

1^o Non est evidenter absurda aut falsa, est e contra evidenter pura, sublimis et sancta. Moyses enim Deum exhibet unicum, æternum, immensum, infinite bonum, omnipotentem, purissimum spiritum, totius orbis conditorem et moderatorem, malos pœnis et bonos præmiis afficientem, quibuscumque perfectionibus exornatum, talem, uno verbo, qualem ipsa ratio demonstrat, et qualem ipsi deistæ eum esse profitentur. Dogmatibus istis sublimioribus eximia de moribus addit præcepta; docet namque Deum esse totis viribus diligendum, grates ipsi persolvendas, proximum esse amandum, et opem ei ferendam; furta, cædes, odia, avaritiam, fornicationem, adulterium, prava desideria et quæcumque sunt mala vel inhonesta prohibet. Denique decem Decalogi præcepta, quæ regulas morum summam complectuntur, et quæ, fatentibus deistis, eximia sunt et rationi conformia, tradit tanquam legem abbreviatam et omnium captui accommodatam: atqui talis doctrina, nedum sit evidenter absurda aut falsa, manifeste est pura, sublimis et sancta, imo eo ipso divina est; Moyses enim natus erat in Ægypto, fuit educatus inter Ægyptios, crocodilorum et plantarum adoratores; ea vivebat ætate qua tot apud varias gentes erant deorum monstra, tot acerbitates erga proximum et præsertim erga servos exercebantur, tot fedissima vitia publice et universim apparebant: his autem positis, tantum abest ut

supponunt; et tamen, non obstantibus tot diversitatibus, perfecte sibi concordant. Porro tales libri nunquam supponi potuerunt, et, licet auctores aliquorum non noscantur, nihilominus certum est illos eo tempore ad quod referuntur fuisse scriptos, ac proinde sub eo respectu vere authenticos esse. Ergo 1^o.

2^o *Sunt integri.* Nam publici erant, cultu religioso servabantur, ubique erant sparsi, apud sacerdotes, magistratus et populum: impossibile est autem omnes hujusmodi libros fuisse simul et eodem modo adulteratos. Ergo 2^o.

3^o *Sunt veri.* Veri sunt enim, si eorum auctores non fuerint decepti nec deceptores: atqui non fuerunt decepti nec deceptores. 1^o Non fuerunt decepti; referunt enim facta publica, omnibus sensibus obvia; tradunt morum præcepta evidenter vera et sancta; edunt prophetias quæ suum semper apprime consequuntur effectum: atqui hæc omnia probant illos non fuisse deceptos. 2^o Non fuerunt deceptores. Nam 1^o omnes sinceritatis characteres præ se ferunt, *ut unicuique legenti patet.* 2^o Facta quæ narrant sunt publica et præsentia, sibi et cum præcedentibus concatenata: at impossibile est circa hujus generis facta decipere; qui enim talia facta impudenter supponeret, non nisi contemptum et derisum sibi acquireret: atqui prædictorum librorum auctores summam venerationem e contra sibi conciliaverunt: ergo 3^o, etc., aliunde, etc. Ergo.

Judæi non agnoscunt ut canonicos libros Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum, saltem illud controvertitur; item protestantes duos Machabæorum libros rejiciunt. Has speciales controversias hic non aggredimur, quia his libris ad demonstrandam veritatem religionis Judaicæ non indigemus.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINITATE RELIGIONIS JUDAICÆ.

Religio Mosaica non potest esse vera quin eo ipso sit divina, quia exhibetur tanquam immediate et supernatu-

raliter a Deo proveniens: vel ergo supposita sunt facta quibus innitur, et tunc est falsa; vel certa sunt, et tunc vera est ac divina; sed *probavimus* verissima esse facta quibus innitur: ergo certum est illam esse divinam. Pro majori tamen hujus veritatis explicatione, sit

PROPOSITIO.

Divina est religio Mosaica.

Prob. Ex probatis in prima hujus tractatus parte, divina est illa doctrina quæ non est evidenter absurda aut falsa, et aliunde veris miraculis et prophetiis confirmatur: atqui talis est religio Mosaica.

1^o Non est evidenter absurda aut falsa, est e contra evidenter pura, sublimis et sancta. Moyses enim Deum exhibet unicum, æternum, immensum, infinite bonum, omnipotentem, purissimum spiritum, totius orbis conditorem et moderatorem, malos pœnis et bonos præmiis afficientem, quibuscumque perfectionibus exornatum, talem, uno verbo, qualem ipsa ratio demonstrat, et qualem ipsi deistæ eum esse profitentur. Dogmatibus istis sublimioribus eximia de moribus addit præcepta; docet namque Deum esse totis viribus diligendum, grates ipsi persolvendas, proximum esse amandum, et opem ei ferendam; furta, cædes, odia, avaritiam, fornicationem, adulterium, prava desideria et quæcumque sunt mala vel inhonesta prohibet. Denique decem Decalogi præcepta, quæ regulas morum summam complectuntur, et quæ, fatentibus deistis, eximia sunt et rationi conformia, tradit tanquam legem abbreviatam et omnium captui accommodatam: atqui talis doctrina, nedum sit evidenter absurda aut falsa, manifeste est pura, sublimis et sancta, imo eo ipso divina est; Moyses enim natus erat in Ægypto, fuit educatus inter Ægyptios, crocodilorum et plantarum adoratores; ea vivebat ætate qua tot apud varias gentes erant deorum monstra, tot acerbitates erga proximum et præsertim erga servos exercebantur, tot fedissima vitia publice et universim apparebant: his autem positis, tantum abest ut

doctrina Moysis sit absurda aut evidenter falsa, quod, e contra, non solum incredibile, sed impossibile sit eum, propriis viribus et absque speciali Dei assistentia, excogitasse doctrinam tam puram, tam sublinem, tam sanctam et tam perfectam; maximi enim philosophi et omnes mundi sapientes simul collecti nihil unquam simile docuerunt: ergo, etc. Ergo 1^o.

2^o Religio Mosaica veris confirmatur miraculis. Nam Pentateuchus est authenticus, integer et verus: atqui multa in Pentateucho referuntur facta quae evidenter sunt miraculosa, nempe mirabilia ministerio Moysis peracta: v. g. conversio virgæ in serpentem, decem plagæ Aegypti, transitus maris Rubri, columna nubis et ignis, fulgura et tonitrua in monte Sinai, manna e caelo decidens, aqua de rupe percussa fluens, terra deliiscens ut Core, Dathan et Abiron vivos absorbeat, etc. Porro hæc facta evidenter sunt miraculosa. Multa sunt alia ejusdem generis in cæteris Veteris Testamenti libris: v. g. transitus Jordanis, obsessio Jericho, immobilitas solis ad vocem Josue, victoria Gedeonis, fortitudo Samsonis, etc. Ergo 2^o.

3^o Religio Mosaica divinis confirmatur prophetiis. Refert enim Moyses predicationes a Deo factas Abraham, Isaac et Jacob de mirabili seminis illorum multiplicatione, Gen. xv, 5; xxii, 2; xxvi, 4 et 24; narrat diversas predicationes quas Jacob moriens fecit relative ad singulos filios suos, et præsertim ad summum principatum quem Juda habere debebat, licet quartus tantum esset in ordine, Gen. xlix. Dici autem non potest has predicationes, et in primis eam quæ ad Judam spectat, fuisse suppositam, longe namque post Moysen suum habuit effectum.

Ipsæ Moyses plures edidit prophetias quæ omnes obtulerunt suum effectum. Sic Numerorum xiv, 22, prædicit nomine Dei omnes qui divinam viderant majestatem in Aegypto et in solitudine, et viginti annos attigerant, ut ex c. xxvi, 2, concluditur; Terram Promissam non ingressuros esse, exceptis Caleb et Josue; et revera omnes in deserto mortui sunt, ut totis verbis legitur in cap. xxvi, 63 et 64 ejusdem libri. Annuntiaverat filios Israel quadra-

ginta annos in deserto mansuros esse, Num. xiv, 33 et 34: res autem ita evenit, ex cap. xxxii, 13. Prædixerat Israelitas sibi constituturos regem, sicut alias gentes, et officia illius ac jura determinat: porro regem de facto post quatuor sæcula sibi constituerunt, nempe Saül quem Deus ipsis postulantis concessit.

2^o Abias prædixit regnum Salomonis dividendum, et Jeroboam decem tribus habiturum, III Regum, xi, 31; quod duobus abhinc annis reipsa evenit. Regni Israel vastationem et destructionem prædixerunt Osce, cap. ix, et Amos, cap. v, quadraginta annis ante eventum.

3^o In diversis prophetis multa sunt oracula quæ ad regnum Juda spectant: sic, v. g., Isaias, xlii, 28, et xlv, 1, Cyrum proprio nomine appellat tanquam Judæorum liberatorem, et plus quam 200 annis ante eventum. Jeremias, xxxix, septuaginta annos quibus duratura erat captivitas Babylonica numerat, dicens: *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos et reducam vos ad locum istum.* Daniel, ix, accurate describit, fere 500 annis ante eventum, ultimam totius reipublicæ Judaicæ destructionem et finem.

4^o Innumere sunt aliæ prophetiæ claræ et splendide, ante eventum certo editæ, et eventu confirmatæ: aliæ spectant ad Assyrios, aliæ ad Babylonicos, aliæ ad Persas, aliæ ad Græcos, aliæ ad Romanos, aliæ ad Idumæos, aliæ ad Tyrios, aliæ ad Aegyptios, etc. Tam clare describit Daniel res sub Alexandro Magno et Antiocho Epiphane gestas, ut affirmaverit Porphyrius librum istum ab aliquo impostore post eventum fuisse fabricatum: ergo religio Mosaica veris innititur prophetis, serie non interrupta prophetiarum; aliunde, veris confirmatur miraculis; insuper doctrina ejus est pura, sublimis et sancta: ergo evidenter est divina.

Et vero, illa religio est divina in cujus gratiam specialis Dei assistentia perpetuo se manifestavit: atqui specialis Dei assistentia perpetuo in gratiam religionis Mosaicæ se manifestavit. Moyses enim in Deut. xxvii et xxix ingentes annuntiaverat calamitates superventuras populo, si

mandata Dei non custodiret; e contra, multas illi promittebat benedictiones, si constanter religiosum et fidelem se ostenderet: atqui revera Deus sæpius gravissimas induxit calamitates super populum prævaricatore, et easdem ab illo evertit aut eis finem attulit, ob ipsius gemitus et penitentiam. Sic, defuncto Josue et extincta generatione quæ mirabilia viderat in deserto et in ingressu Terræ Promissionis, *Fecerunt malum (filii Israel) in conspectu Domini, et oblitæ sunt Dei sui; servientes Baalim et Astaroth, Judic. III, 7*: tradidit illos Deus in manus Chusan, qui oppressit eos per octo annos: *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis liberatorem, videlicet Othoniel, fratrem Caleb, qui liberavit eos. Sic deinceps pluries in easdem aut in similes relapsi sunt prævaricationes, et fuerunt oppressi ab Eglon rege Moab decem et octo annis, a Jabin rege Chanaan viginti annis, a Madian et Amalec septem annis, a Philistiim et Ammonitis decem et octo annis; et clamantes ad Dominum ac misericordiam ejus implorantes, divinitus liberati sunt successive per Aod, Barac, Debboram, Gedeon, Jephthe. Porro in his factis manifesta est specialis Dei assistentia: ergo.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Illa religio non est divina, quæ prorsus Deo est indigna: atqui religio Mosaica prorsus Deo est indigna: ergo.

R. Nego min. Illa enim religio Deo non est indigna, ejus doctrina est pura, sublimis et sancta: atqui doctrina religionis Mosaicæ est pura, etc., ut ostendimus: ergo.

Inst. 1º. Illa religio Deo est indigna, quæ innumeras præscribit observationes vanas, inutiles et ridiculas: atqui religio Mosaica multas, etc. Tales sunt tot ritus circa diversa sacrificia, eorum tempus et modum, tot ablutiones ad immunditias nescio quas abstergendas, tot distinctiones inter cibos, tot præcepta circa figuram et formam vestium, circa modum arandi, serendi, domos ædificandi, et sexcenta hujusmodi. Ergo.

R. Nego min. Nam 1º quidquid a Deo venit, nunquam vanum, inutile aut ridiculum reputari debet, quantumvis tale nobis appareat: at certum est prædictas observationes a Deo venire, id est, ab ipso fuisse præscriptas: etiamsi ergo rationes ob quas institutæ sunt asserre non possemus, nihilominus eas deridere aut rejicere tanquam vanas aut inutiles non liceret.

2º Hæc rituum et observantiarum multitudo non fuit primario instituta quando Deus legem suam in monte Sinai promulgavit, sed secundario et post stupidam populi Israel in adoratione vituli aurei prævaricationem: consilium igitur Dei fuit, ut gentem idololatriæ ream plecteret, ut illam ab eo criminis genere, in quod tum naturali sua propensione, tum vicinorum exemplo, nimium proclivis erat, tutius averteret.

Insuper, necesse erat ut gravia illi præberentur motiva quibus contra imbecillitatem suam firmaretur, et media quibus ab omni commercio cum alienis gentibus retraheretur: atqui duplicem hunc finem Deus obtinuit, ritus et observantias legales instituendo.

1º Gravita præbuit Israelitis motiva quibus contra inclinationem vel imbecillitatem suam firmarentur; quæ enim graviora illis præbere poterat motiva, quam efficiendo ut ante oculos perpetuo haberent sanctissimam ipsius præsentiam, supremum ejus dominium in omnes creaturas, necessitatem eum adorandi, amandi, deprecandi, gratias ei agendi, obsequium præstandi, de peccatis dolendi, sordes mundandi, levissimas immunditias abstergendi, etc.? Porro multi instituti sunt ritus quibus hæc in memoriam populi perpetuo revocarentur, ut dies sabbati, celebriores festi, oblatio primitiarum, redemptio primogenitorum, vel eorum immolatio, solemnia et perpetua sacrificia, victimarum pro peccatis destructio, aspersiones et ablutiones. Ergo 1º.

2º Aptissima eis subministravit media quibus ab omni commercio cum alienis retraherentur; multa enim dedit præcepta consuetudinibus paganorum opposita: v. g. prohibuit ne lucus juxta altare Dei plantaretur, ne Deus

in excelsis adoraretur, Deut. XVI, 21, et Lev. XXIX, 30; ne Israelitæ comam in rotundum attonderent, ne super mortuo carnem suam inciderent, ne figuras aut stigmata in seipsis facerent, ne carnem cum sanguine comederent, etc. Lev. XIX, 26; ne hædum in lacte matris coquerent, ne lac de ovibus cum adipe agnorum manducarent, Deut. XXXIII, 14: hæc omnia faciebant gentes. Ut ab omnibus distinguerentur populis, præter circumcisionem qua insigniri tenebantur, alios instituit ritus speciales, v. g., formas vestium et ædificiorum, modum arandi et semen in terram fundendi, distinctionem inter cibos, quorundam animalium prohibitionem, etc. Inde factum est Judæos, licet tot calamitatibus afflictos et per orbem sparsos, a cunctis aliis gentibus semper remansisse separatos: ergo 2^o. Ergo, etc. Præterea omnes isti ritus figuræ erant rerum in nova lege adimplendarum, ac proinde non erant vanæ. Consule opus jam citatum, *Lettres de quelques Juifs*.

Inst. 2^o. Illa religio Deo est indigna, quæ immortalitatem animæ non agnoscit: atqui religio Mosaica immortalitatem animæ non agnoscit, nec ullam de beatitudine æterna mentionem facit: ergo.

R. 1^o. Pentateuchus est collectio legum ritualium et civilium ad regendum populum israeliticum destinatarum, non vero completa religionis expositio: religio enim a Deo primis hominibus tradita et decursu temporis magis explicata, ut supra p. 51 notavimus, Moysæ anterior erat.

R. 2^o. *Nego min.* Certum est enim Judæos hoc dogma nunc profiteri; illud tempore Christi et Apostolorum credebant, ut constat tum ex Josepho, tum ex aversione qua prosequerentur Sadducæos; illud tenebant tempore Machabeorum, curabant enim ut preces et sacrificia pro defunctis offerrentur, II Mach. XII, 43; *clarius patet* ex historia martyrii Eleazari, septem fratrum et matris eorum, ibidem, VI et VII. Eadem veritas sæpius et evidentissime continetur in libris Sap. præsertim III, V et XV, et Eccli. V, 8, et VII, 40. Expressius eam docent Dan. XII, 2; Ezech. XXXVII, 5; Isaias, XXVI, 19; Osee, XIII, 14; To-

bias, II, 18; Job, XIX, 23. Continuo eam cantat aut supponit David in Psalmis, in I Regum, XXIX, Saül evocat Samuelem per pythonissam et illum evocavit: illum autem evocare et consulere non cogitasset, si persuasum habuisset animam perire cum corpore: ergo dogma alterius vitæ constanti traditione creditum fuit apud Hebræos, saltem a tempore Saül. Atqui eo ipso concludendum est illud tempore Moysis et omnibus retro sæculis admissum fuisse; si enim non semper creditum fuisset, illius opinio ab aliquo fuisset introducta, et tunc quædam hujus introductionis vestigia inveniri possent: atqui nulla assignantur nec inveniuntur: ergo.

Præterea, latentibus *Voltaire* aliisque ejusdem scholæ pseudosapientibus, dogma alterius vitæ et immortalitatis animæ publice et universatim credebatur apud Persas, Chaldæos, Babylonios, Syrios, Cretenses, Phœnicæ, Arabes, Ægyptios et omnes Græcos; Hebræi autem suam habent originem ex Chaldæa, plus quam ducentis annis manserunt in Ægypto, vicini erant Arabum, Phœnicum et Græcorum: illud igitur dogma ignorare non potuerunt: ergo illud credebant. Si enim in hoc gravissimo puncto a cæteris gentibus discrepassent, certe aliquod talis discrepantiæ existeret indicium, et ipse Moyses hanc superstitionem prohibere debuisset; etiamsi ergo Moyses circa illud dogma omnino siluisset, non ideo concludere liceret ab Israelitis fuisse ignoratum.

Sed falsum est Moysen circa illud dogma siluisse; pluribus enim in locis evidenter illud ut certissimum supponit, v. g. 1^o in Gen. XXVII, 8, de Abraham dicitur: *Drificens mortuus est... congregatusque est ad populum suum*. Idem dicitur de Isaac, XXXV, 28; de Aaron et Moysæ, Deut. XXXII, 50; porro non apponebantur ad populum ratione corporis, nam in eodem loco non sepeliebantur. 2^o Jacob dicit in Gen. XXXVII, 35: *Descendam ad filium meum lucens in infernum*: non existimabat autem se descensurum ad filium suum in sepulcrum, siquidem persuasum habebat illum a bestia fuisse devoratum. 3^o In Exodo, III, 6, 15 et alibi, Deus vocatur Deus Abrahami, Deus Isaac et

Deus Jacob : atqui *non est Deus mortuorum, sed vivorum*, ut ait ipse Christus, Matt. XXII, 32. 4^o Moyses in Deut. XVIII, 11, prohibet ne veritas a mortuis quæretur : hæc prohibitio clare supponit tunc morem fuisse mortuos per pythones interrogare, sicut fecit Saül : atqui mos ille supponit communem esse persuasionem animas cum corporibus non interire, quod ipse sic agnovit *Freret* a *Guénée* citatus : « Ce passage, disait-il en parlant de cette loi, mérite beaucoup d'attention, parce qu'il prouve contre les Sadducéens modernes qu'au temps de Moïse les Hébreux croyaient communément les âmes immortelles ; sans cela ils ne se seraient pas avisés de les consulter : on n'interroge point ce que l'on ne croit point exister. Il est singulier que cette conséquence ait été si peu aperçue jusqu'à présent. » Ergo denique religio Mosaica docet vitam futuram et animæ immortalitatem.

Inst. 3^o. Moyses bona aut mala temporalia tantum prænuntiat populo Israelitico, prout mandata Dei custodiet vel non custodiet, ut videre est variis in textibus, præsertim Deuteronomii : ergo nec beatitudinem, nec pœnas alterius vitæ agnoscebat.

R. Distinguo ant. Moyses bona aut mala temporalia tantum prænuntiat populo Israelitico, quatenus est gens politica et corpus morale, *concedo*; quatenus Israelitæ sunt privati et individui, *nego ant.* Itaque sub duplici respectu considerari possunt et debent Israelitæ, scilicet, collective et privatim : sub duplici illo respectu Moyses fuit eorum legislator, ac proinde sanctionem dare debuit suis legibus prout ad gentem vel ad privatos spectabant.

1^o Prout ad gentem spectabant, dare illis debuit sanctionem temporalem, quæ sola possibilis erat; gens enim est totum morale in hac vitâ tantum existens; ergo leges ad eam spectantes, pro vitâ præsentî tantum existunt, sicque earum sanctio debet esse temporalis. Unde si gens Hebræa leges a Deo sibi præscriptas custodisset, pace, tranquillitate aliisque bonis promissis perfruita fuisset : mali cives iisdem bonis participassent, ut pars gentis. Contra vero, gente in prævaricationes labente et calamitates

annuntiatas incurrente, boni cives simul cum malis plecebantur, quia ad eandem gentem pertinebant.

Nulla sanctio spiritualis, in promissione alterius vitæ pro bonis et metu pœnarum pro malis consistens, apponi potest legibus ad gentem ut talem spectantibus; fieri enim potest ut tota gens moraliter leges custodiat, et quidam tamen eas coram Deo transgrediantur, nempe eas omitendo, vel exterius tantum observando; et, vice versa, contingere potest ut gens fiat rebellis, licet multi remaneant sanctissimi coram Deo : hos autem æternis addicere suppliciis, ob aliorum prævaricationem, iniquum foret, sicut et malos futuris præmiis propter aliorum virtutes donare. Ergo.

2^o Moyses sufficientem dare debuit sanctionem suis legibus, quatenus spectabant ad privatos, alioquin insulse egisset : atqui nullam vel insufficientem dedisset sanctionem, si ad spiritualem non attendisset; nam, juxta consuetum divinæ Providentiæ cursum, unusquisque æquiori modo remunerari vel puniri non potest, nisi in altera vitâ : ad eam igitur Moyses necessario attendere debuit, et ita semper intellexerunt Judæi. Unde legis doctori interroganti quodnam esset magnum in lege mandatum, respondit Christus : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc.; *hoc fac et vives*, Matth. XXII, 37. Ibi agitur de lege Mosaica : qui ergo illam observat, vivet. Porro hæc vitâ non est nec sane intellecta fuit alia quam vitâ æterna : ergo. Igitur Moyses expressius de vitâ æterna non loquitur, quia eam ut quid notissimum supponit : ergo 2^o; aliunde, etc. Ergo. *Hinc patet* quantum erraverint *Spencer*, auctor Anglicus, in suo tractatu, aliunde commendato, de Hebræorum legibus earumque motivis, et abbas *de Prades*, in sua thesi a Sorbona, anno 1751, proscripta; uterque enim docebat leges Hebræorum omni sanctione spirituali esse destitutas, et Moysen semper repræsentasse Deum tanquam principem civilem et politicum.

Inst. 4^o. Illa religio divina esse non potest, quæ humana approbat aut præscribit sacrificia : atqui religio Mosaica humana approbat aut præscribit sacrificia; nempe 1^o Abra-

ham laudatur, quia paratum se praeiuit unigenitum suum mactare, Gen. xxii, 16.

2^o In Lev. xxvii, 28, 29, haec leguntur verba: *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit; quicquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et omnis consecratio quae offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur.*

3^o In Exodo, xxxi, Moyses iubet ut quinquagesima pars eorum quae in bello capta sunt, ab homine usque ad pecus, in partem Domini cedat et Eleazar sacerdoti tribuantur, sane ut immoletur.

4^o Jephthe propriam suam filiam immolavit, Judic. xi, 29, et Samuel in frustra concidit coram Domino Agag regem Amalec, I Regum, xv, 33. Ergo.

R. Nego min. Nedum enim religio Mosaica humana praescribat sacrificia, ab eis e contra abhorret. Chanaanai solebant huiusmodi sacrificia diis suis offerre, et filios suos et filias in honorem Moloch comburere: propterea Moyses prohibet Israelitis ne similes faciant abominationes, *quas odersatur Dominus*, Deut. xii, 31. Idem habetur in Psal. cv, in quo gravissime increpantur Israelitae qui ita praevicari sunt, ut sicut gentes filios suos et filias immolarent: ergo religio Mosaica talia nunquam approbavit sacrificia. Itaque alio sensu necessario intelligendi sunt textus qui nobis obijciuntur.

1^o Abraham non se preparabat filium suum immolare, ex praeccepto legis Mosaicae, quae nondum existerat, sed ex mandato Dei, qui supremus est dominus vitae et mortis: ergo illud exemplum nihil probaret contra legem Moysis. Aliunde, Deus ipse brachium Abraham retinuit, aliam substituit victimam, sicque satis ostendit se humano sanguine non delectari: unde Abraham non laudatur ex eo quod filium suum immolaverit, sed quia prompte Deo obediit, nihil haesitans. Ergo.

2^o Verba Levitici citata sic intelligi debent: omne quod Domino consecratur, ea voti speciei quae dicitur anathema, redimi non poterit, sed morte morietur, subaudiendo, si

mori possit, et mors ejus non prohibeatur; nam in eodem loco et eodem ordine ponuntur agri, agri vero certe mcri non possunt; inter animalia quaedam sunt munda et alia immunda, immunda autem in sacrificium offerri non poterant: ergo illa verba, licet universaliter videantur necessario ad ea restringi debent quae immolari non prohibentur: atqui prohibetur in lege ne homines immolentur, *ut vidimus*. Ergo.

Sensus igitur illorum verborum est, quod homines Deo consecrati templi servitio mancipari deberent, sicut Samuel, nec eos redimere liceret. Vide *Bullet et Guénée*, t. 2. Ergo.

3^o In textu Exodi qui hic obijciitur, nulla fit mentio de immolatione hominum; agitur tantum de parte praedae in bello captae, quae sacerdotibus et levitis concedi debet: porro sacerdotes et levitae non accipiebant homines captos in bello ut eos immolarent, bene vero ut illis tanquam mancipiis uterentur. Ergo.

4^o Si revera Jephthe arbitratus est, ut plerique veteres tenuerunt, se ex voto obligatum esse filiam suam mactare, erravit; sed ipsius error ex lege Moysis originem non habuit, nisi per abusum. Multi autem, praesertim inter recentiores, putant Jephthe non credidisse se teneri filiam suam realiter immolare, nec de facto illam jugulasse; ignorare enim non poterat vota implenda esse modo ad naturam rei accommodato, unde si immundum quoddam animal sibi occurrisset, v. g. porcus, canis, certe illud non immolasset, quia lex tales prohibebat victimas; illud pretio redemisset: si vero animal mundum sibi occurrisset, illud reipsa immolasset: personam autem a se pendentem Deo consecrare debebat, id est, eam in perpetuum servitio templi devovere, non vero eam mactare. Hunc sensum clare exprimit textus Hebraicus, Jud. ii, 31: *Vel erit Dominum, vel erit in holocaustum*. Eundem sensum versus sequentes indicant; legitur enim filiam Jephthe duobus mensibus suam virginitatem (non suam mortem) flevisse, et v. 29: *Fecit ei sicut voverat quae ignorabat viram*. In Septuaginta legitur: *Quia propter viram non cognoverat*; nullibi vero le-

gitur eam in holocaustum revera fuisse oblatam. Ergo. Samuel occidit quidem Agag regem Amalec, quia Deus illum morti devoverat ob ipsius scelera; sed illum non obtulit in holocaustum: verba hæc, *coram Domino*, non significant altare, sed præsentiam Dei; Galgala enim in summa erat veneratione, quia ibi circumcisi fuerant Hebræi post transitum Jordanis, Josue, v, 7, ibi phase celebraverant, ibi castrametati et diu commorati erant, etc.: sensus igitur prædictorum verborum est, mortem Agag non fuisse dilatam, sed statim, ibi, in eodem loco, et respiciente Domino, eum occisum esse. Ergo.

Inst. 5^o. Illa religio Deo est indigna, quæ odium proximi et ultionem expresse permittit: atqui religio Mosaica odium proximi et ultionem expresse permittit. 1^o Odium proximi; dixit enim Christus, Matth. v, 43: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* 2^o Ultionem; nam in Deut. xix, 21, dicitur: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, exiges.* Ergo.

R. Nego min. quoad utramque partem. 1^o Religio Mosaica non approbat odium proximi: nam datur præceptum diligendi proximum sicut nosmetipsos, et insuper Deus per Moysen dicit in Lev. xix, 18: *Non queras ultionem nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et in Exod. xxiii, 4 et 5: *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevaris cum eo.* Hæc autem conciliari non possunt cum odio etiam inimici.

Verba autem ista, *odio habebis inimicum tuum*, nullibi leguntur in Pentateucho, nihil ergo contra legem Moysis probant. Plurimi contendunt ea legi addita fuisse per Phariseos; legebant enim: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, et inde sic concludebant: *et odio habebis inimicum tuum.* Hunc errorem reformat Christus, dicendo: *Diligite inimicos vestros*, Matth. v, 44. Alii volunt prædicta verba a Deo prolata fuisse, et per traditionem oralem transmissa; sed relativa erant tantum ad populos Chananæos qui, ex jussu Dei, sine misericordia exterminandi erant: at in ea hypothese nihil contra religionem Mosaicam inferri potest. Ergo.

2^o Pœna talionis, *animam pro anima, oculum pro oculo*, etc., a nomine adjectivo *talis* sic dicta, eo sensu intelligenda est ut a magistratibus, non vero a privatis infligenda sit. 1^o Enim Deus ultionem sibi reservat, Dent. xxxii, 35; at frustra ultionem sibi reservasset, si unusquisque jus habuisset pœnam talionis propria auctoritate infligendi.

2^o In tota serie librorum Veteris Testamenti non legimus privatos hanc exercuisse facultatem, nec eam nunc exercent Judæi. Ergo.

3^o Hæc pœna non est accipienda physice, quia reus talem semper de facto subiisset pœnam qualem intulisset, sed moraliter pro determinatione pœnæ quam iudices infligere tenebantur; sæpe enim impossibile erat pœnam omnino similem inferre, vulnus pro vulnere, fracturam pro fractura, præsertim habita ratione diversitatis sexus, ætatis, viriûm, complexionis, etc.; cum tamen expediret iudices communem habere regulam, ex qua per proportionem, ex æquo et bono, ut aiunt, determinarent pœnam infligendam, Moyses prædictas condiciones illis constituit. Ergo.

Inst. 6^o. Juxta hanc interpretationem, nulla in hoc esset oppositio inter doctrinam Moysis et doctrinam Christi: atqui tamen hoc falsum est, juxta hæc Christi verba: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis, non resistere malo*, Matth. v, 38. Ergo.

R. Nego maj. Non solum enim Christus tradit præceptum justitiæ, sicut fecerat Moyses, sed dat consilium perfectionis, *non resistere malo*, id est, tibi injuriam facienti: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.* Ergo.

Inst. 7^o. In decursu librorum Veteris Testamenti, frequenter leguntur desideria ultionis et gravissimæ imprecationes, v. g. in Ps. cviii. Ergo.

R. 1^o. Juxta multos Scripturæ interpretes, imprecationes quæ passim in libris sacris leguntur, sunt prædictiones

futurorum malorum quæ peccatoribus obventura erant : in Hebraica lingua præsens et futurum sæpe eodem modo exprimuntur. Sic B. Petrus testatur, Act. 1, 20, Deum per os David sub figura imprecationis apostasiam Judæ Iscariotis præauntiasse : *Episcopatum ejus accipiat alter*. Ergo.

R. 2^o. *Dist. ant.* Et illæ imprecationes ex odio peccati et zelo gloriæ Dei procedebant, *concedo*; ex odio personarum *nego mox*. Cum enim Lex odium et viadictam personalem prohibeat, si prædicti viri mala ex desiderio ultionis personalis imprecati essent, non laudarentur velut sancti : ergo ex odio peccati et zelo gloriæ Dei sic agebant : porro imprecationes sic intellectæ nihil habent inordinatum ; peccatores enim in peccato obdurati, veritatem impugnant, Deo oppositi ipsiusque inimici, gravissimis digni sunt pœnis : ergo.

Obj. 2^o. Lex Mosaica exigebat ut Israelitæ gentes sibi vicinas exterminarent : atqui lex hujusmodi Deo est indigna : ergo.

R. *Nego min.* Milites qui jussu regis malefactores interficiunt, non reputantur injusti : ergo a fortiori qui ex mandato Dei peccatores ad mortem juste damnatos exterminant, crudeles reputari non debent : at Israelitæ, ex mandato Dei et tanquam ipsius ministri, Chanaanæos exterminabant : Deus quippe septem illas gentes, propter abominanda earum flagitia, ad interuersionem damnaverat, ut nomen ejus *sanctum et terribile* glorificaretur, et populum suum tali severitatis exemplo ab idololatria efficacius deterreret. Ergo.

Cæterum, his gentibus exceptis, leges Judæorum nihil habebant juri gentium oppositum ; imo commendant præcipiantque humanitatis officia erga hospites et advenas : *Si habitaverit advena in terra vestra et moratus fuerit inter vos, non exprobratis ei : sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis et vos advenæ in terra Ægypti*, Lev. xix, 33. Ergo.

Obj. 3^o. Quidquid a Deo venit sapientissimum esse debet : atqui leges politicæ Moysis plures continent dispositiones consuetis sapientiæ regulis adversas, v. g. præ-

ceptum agros non serendi et vineas non putandi septimo anno, Lev. xxv, 4 ; condonationem omnium debitorum in annis Jubilei, ibidem, x, 10. Talia sunt etiam præcepta de alieno in civem non recipiendo, nisi dura circumcisionis legi se submitteret, de commercio cum extraneis non habendo : unde factum est gentem Hebræam aliarum gentium odia et arma in se concitavisse ; ergo illæ leges a Deo non veniunt.

R. *Nego min.* Nedum enim illæ leges sint absurdæ, ut placuit *Voltaire*, sapientia legibus Ægyptiorum, Assyriorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum et etiam Romanorum longe præstant ; sapientia enim legum politicarum in eo consistit, ut populus prosperitate fruatur, sit numerosus, robustus, ab extraneis nihil timeadum habeat, vera felicitate gaudeat, et in eo statu permaneat : at talis semper fuit populus Israeliticus, quandiu mandata Dei custodivit, ut ex historia ejus constat ; nullus namque fuit populus in antiquitate qui tanto tempore in eodem statu prosperitatis et felicitatis permanserit ; si gravissimas interdum passus est calamitates, eas non suis legibus, sed suis peccatis tribuere debet, divina testante auctoritate.

Exempla in objectione nobis opposita plus pro nobis quam contra nos probant.

1^o Inconcessis monumentis constat gentem Israeliticam semper fuisse numerosissimam, pro extensione regionis Palestinæ, et non plus expertam fuisse famem quam cæteræ gentes : septimus ergo annus reuersionis numero populi non nocebat. Moyses autem, nisi hoc futurum certo novisset, non ausus esset talem præcipere reuersionem, quia timeadum fuisset ne populus fame periret : perpetua igitur abundantia, quæ septimi anni sterilitatem supplevit, ut jure haberi debet miraculum. Ergo 1^o.

2^o Condonatio debitorum in anno Jubilei maximæ erat utilitatis ; inde enim fiebat ut ea terræ divisio, quæ primitus facta fuerat, eadem semper remaneret, familie debitis ultra modum crescentibus non gravarentur, et pauperes sublevarentur ; anno quippe Jubilei appropinquante, non minus tenebantur divites commodare pauperibus in quo in-

digebant. Deut. xix, 9; hinc radix cupiditatis resecebatur.

3^o Cum Israelitæ in peculiarem coalescere deberent populum, sua religione, suis moribus et legibus ab aliis populis segregatum, prohibuit Moyses ne cum alienigenis communicarent, eorum consuetudinibus idololatricis participando: at commercium, prout illud nunc intelligimus, nec prohibuit, nec præcepit, parum de illo curavit, quia nationi agricolæ et abundantem fructuum terræ copiam colligenti necessarium non erat.

4^o Præscripsit quidem Moyses ut advena non reciperetur in civem, nisi prius circumcideretur, et hoc non mirum; volebat enim gentem suam religiosam simul et politicam esse: ergo exigere debuit ut, qui membrum hujus societatis fieri vellet, legibus ejus religiosis et politicis se submitteret.

Si odia cæterarum gentium in se conceitaverint Judæi, inde concludere licet divinam esse eorum legem; 1^o quia tam firmiter ei adherere non potuerunt, nisi credendo vera esse facta quibus nititur; 2^o quia gens parva, cæteris odibilis, sola Dei assistentia per tot sæcula perseverare potuit. Ergo.

Obj. 4^o. Prodigia in Pentateucho narrata, via naturali explicari possunt: v. g. solerter Israelitæ trajecerunt mare Rubrum secus littus tempore fluxus, et Ægyptii eos persequentes a redeunte æstu correpti submersi sunt, etc. Ergo.

R. Nego ant. et ejus probationem. Circumstantiæ enim alienjus facti ab ipso separari non debent; at transitus maris Rubri, prout in Exodo describitur, via naturali explicari non potest, sed insigne fuit miraculum. 1^o Enim aquæ in duas partes hinc et inde divisæ sunt, et instar muri steterunt; fluxus maris aquas sic dividere non potuit.

2^o Æstum maris non ignorarunt Hebræi, nec igitur circa tale factum a Moyse decipi potuerunt: attamen constanter persuasum habuerunt transitum maris Rubri, cujus erant testes oculati, maximum fuisse miraculum. Ægyptii nec æstum maris nec ipsius horam ignorabant: quomodo ergo in viam adeo periculosam ausi fuissent se committere? quomodo sic omnes periissent? incredibile est æstum tam vehementer rediisse ut nullus fugere posset.

3^o Si Moyses et Israelitæ ope æstus mare naturaliter trajecissent, ut volunt adversarii, certe in extremitate, prope isthmum Suez: at ille transitus effici non potuit per spatium ibi ab aquis relictum; per sex enim horas aquæ paulatim decreseunt, et statim per alias sex horas paulatim redeunt, ita ut ad summum spatium ducentorum passuum latitudinis per sex horas maneat siccum: sed plus quam duo millia millium, inter sex horas, per tale spatium a littore ad littus transire non potuerunt eum curriculis, jumentis suis et omni suppellectili necessaria.

4^o In Josue, iv, 22, legitur: *Per arenam alveum transivit Israel Jordanem istum, siccante Domino vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis; sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus.* Eodem modo igitur Hebræi transierunt mare Rubrum quo postea Jordanem: atqui non transierunt Jordanem ope fluxus et refluxus: ergo.

Notandum est deistis non sufficere unum aut alterum Pentateuchi prodigium via naturali explicare; modo unum sit divinum, omnia sunt divina, quia Deus doctrinam impostorum aliquo miraculo confirmare non potest; porro multa sunt prodigia in Pentateucho descripta quæ ne tentarunt quidem deistæ via naturali explicare.

Præterea, non tantum substantia factorum, sed omnes illorum circumstantiæ explicandæ forent: v. g. quomodo decem plagæ subito et inter paucos dies afflixerint Ægyptum; quomodo hæc a Moyse prævisa et prædicta fuerint; quomodo illæ plagæ, dum cunctos afficiebant Ægyptios, Israelitas inter eos degentes non tangebant, etc.; evidens est has circumstantias modo naturali explicari non posse: ergo denique, etc. Vide dissertationem D. Calmet sur le passage de la mer Rouge; *Bullet.* t. 1; *Bergier*, t. 6.

Josephus, Strabo et Plutarchus narrant Alexandrum cum suo exercitu mare Pamphylæ pedibus trajecisse; an pedibus siccis? non affirmant, sed dicunt e contra Alexandrum secus littus iter fecisse et exercitum ejus aquam usque ad medietatem corporis habuisse: igitur transitus iste fuit naturalis, et nulla est paritas.

CAPUT TERTIUM.

DE DURATIONE RELIGIONIS MOSAICÆ.

Cum Judæis hucusque pugnavimus adversus incredulos, communes hostes nostros; nunc autem contra ipsos Judæos arma conversuri sumus, et examinabimus 1° an religio Mosaica abrogari debuerit; 2° an de facto sit abrogata.

ARTICULUS PRIMUS.

AN RELIGIO MOSAICA ABROGARI DEBUERIT.

Notandum in religione Mosaica duas distingui partes, unam naturalem et alteram positivam. Pars naturalis, quæ etiam moralis dicitur, ea continet dogmata et præcepta quæ sola ratione, prout eam habemus in præsentî statu, in essentiis rerum fundata deprehenduntur, v. g. unitatem Dei, cultum illi exhibendi necessitatem, animæ immortalitatem, præmia virtutis et penas vitii in altera vita, Decalogi præcepta, etc. Pars positiva, quæ et caremonialis seu ritualis vocatur, omnes complectitur leges et caremonias quæ ex libero Dei arbitrio fuerunt institutæ, v. g. tabernaculi exstructionem, levitarum distributionem, sacerdotum ordinem et consecrationem, diversa sacrificiorum genera, victimarum purificationem, festorum aliorumque hujusmodi instituta, formas et modos. Hæc religionem Mosaicam ut talem constituunt; in his enim præcise consistit peculiare fœdus quod Deus per ministerium Moysis cum Hebræis constituit. Pars namque altera, cum ab essentiis rerum pendeat, non fuit instituta, nec finem habitura est; necessario debet esse pars religionis veræ, quæcumque sit.

Itaque de abrogatione religionis Mosaicæ tractantes, quæstionem non movemus de parte ejus naturali, sed tantum de parte positiva et caremoniali.

PROPOSITIO PRIMA.

Religio Mosaica non erat in perpetuum duratura, sed in ordine divinatorum decretorum abrogari debuit.

Prob. 1° Religio Mosaica evidenter erat localis; nam in ea multæ erant leges quæ uni tantum genti et non valde numerosæ convenire poterant: talis erat obligatio sæpius eundi Jerusalem, ibi festa celebrandi, sacrificia et primitias offerendi, primogenitos præsentandi, coram sacerdotibus se sistendi, etc.: atqui locales illæ leges certo erant abrogandæ; centies enim in Prophetis clare prænuntiatur vocatio gentium, divisionis inter eas et Israellem existentis destructio, ut unus esset populus: ergo.

2° Ad essentiam religionis Mosaicæ pertinebat ut sacerdotes de familia essent Araon, et in solo templo Jerusalem offerrentur sacrificia: atqui ex pluribus Prophetarum oraculis hæc erant abroganda; in Isaia enim, LXVI, 21, legitur: *Et assumam ex eis (gentibus) in sacerdotes et levitas.*

In Daniel, IX, 26: *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.... et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Is. XIX, 19: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti..... clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos.*

Malachiæ I, 10: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Unde sic. Ex diversis illis textibus patet sacerdotes ex gentibus esse assumendos, templum, sanctuarium et urbem sanctam in perpetuum evertenda esse, sacrificium Deo in Aegypto et in omni loco offerendum: ergo religio Moysis abrogari debuit.

Obj. Lex Mosaica sæpissime dicitur in perpetuum, in sempiternum duratura, v. g. Exod. XXXI, 16; Lev. VI, 18; Num. XXXV, 29, et præsertim Deut. V, 29. Ergo.

R. Nego conseq. Nam 1^o lex Moysis, quatenus est figurativa, aliquo sensu non erat abroganda, sed potius adimplenda; figuræ enim adimplentur quando realitas ipsis substituitur; eo sensu Christus apud Matth. v, 17, dicit: *Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere.* 2^o Illæ voces in perpetuum, in sempiternum, non absolute, sed relative accipi debent pro tota duratione reipublicæ Judaicæ vel usque ad legitimam abrogationem: sæpe legislatores humani, summi Pontifices, v. g., decernunt sua statuta in perpetuum duratura: attamen non ignorant ea a successoribus suis mutari vel abrogari posse. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Legi per Moysen promulgatæ novum fœdus substituendum erat.

Prob. 1^o. Isaia XLII, 6: *Ego Dominus vocavi te in iustitia... et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Unde sic. Instituendum erat fœdus quo lumen daretur gentibus: atqui lex Mosaica jam existebat tempore hujus prophetiæ: ergo ibi agitur de alio fœdere. Aliunde, lex Mosaica non erat idonea, ut pote localis, ad cunctas gentes illuminandas: nova igitur lex ipsi substituenda erat, ac proinde novum fœdus.

Prob. 2^o. Ex Jeremia, XXXI, 31: *Eccc dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum... sed hoc erit pactum quod feriam enim domo Israel post dies illos... dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum... et omnes cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Ergo antiquo fœderi novum erat substituendum.

PROPOSITIO TERTIA.

Fœdus novum per aliquem mediatorem erat instituendum.

Prob. 1^o Ex Gen. XXII, 18: *Benedicentur in semine tuo*

omnes gentes terræ; et ibid. XLIX, 10: Et ipse erit cœspectatio gentium, vel, ut in Hebræo habetur: Ad ipsum erit congregatio gentium.

Deut. XVIII, 15: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Ibi agitur de propheta, numero singulari, de propheta Moysis simili, qui ergo, debet esse mediator inter Deum et homines, potentia miraculorum insignis, novæ doctrinæ novique fœderis institutor; his enim characteribus Moyses ab aliis prophetis discrepat. Ergo.

Is. XIX, 20. *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem qui liberet eos, et cognoscetur Dominus ab Ægypto...* Ibi agitur de novo fœdere cum Ægyptiis, ac proinde cum aliis gentibus, per salvatorem seu mediatorem ineundo. Et XLII, 1: *Eccc servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* Iudicium ergo per aliquem mediatorem gentibus est proferendum: at hujusmodi iudicium aliter intelligi non potest quam de novo fœdere cum gentibus per mediatorem ineundo, et de quo in versu 6 clarius agitur.

Innumera alia loca tam ex Prophetis quam ex aliis Scripturæ locis citari possent. Ipsi Judæi semper crediderunt et nunc credunt venturum esse mediatorem quem vocant Messiam. Ergo novum fœdus, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN RELIGIO MOSAICA DE FACTO SIT ABROGATA.

PROPOSITIO.

Jamdudum abrogatam esse religionem Mosaicam, ex ipso solo actuali Judæorum statu, evidenter demonstratur.

Abrogata est quippe, si fœdus inter Deum et Israelitas penitus sit rescissum: atqui fœdus olim existens Deum inter et Israelitas penitus rescissum est; illius namque conditiones a Deo non observantur nec ab Israelitis observari possent. 1^o A Deo non observantur; Deus enim tutelam

populi Judaici ipsiusque regimen in se susceperat : sed a diuturno tempore gentem Judaicam jam non tuetur, nec eam sicut antea regit ; prophetas in ea non suscitatur, ministros non constituit, miracula non patrat, silent oracula ; in dura captivitate a tot annis gementem, perpetuis calamitatibus obrutam non audit neque liberat ; stupendum illius excidium eventurum permisit, nullum ei solatium dedit : et hæc omnia tempore adventus Christi contigerunt. Ergo 1^o.

2^o Conditiones fœderis antiqui observare non possent Judæi, etiamsi vellent : ex lege enim variis in locis, et præsertim in Exodo, XXIX, 9, 44, etc., sola tribus Levi sacrificare poterat ; ad locum tabernaculi et deinde ad templum Hierosolymitanum omnes ter in anno ascendere tenebantur, Exod. XXIII, 17 ; XXIV, 17 ; Deut. XVI, 16. Tenebantur insuper quolibet septennio a cultura terræ abstinere, debita remittere, etc. : atqui hæc jamdudum impossibilia sunt Judæis ; genealogiæ distingui nequeunt ; templum non existit, et aliud ipsi substitutum non fuit ; etc. Ergo 2^o. Neque dici potest eadem facta tempore captivitatis Babylonice contigisse. Nam 1^o plures tunc exstiterunt prophetae, qui missionem suam miraculis confirmabant et restitutionem rerum præntiabant : unde suspensa tantum, non vero abrogata erat lex. 2^o Decem et octo sæcula septuaginta annis æquiparari nequeunt. 3^o Maxima pars Judæorum in Judæa tempore captivitatis remanserat. 4^o In ipsamet captivitate Judæi suos habebant principes, suos judices, et magna ex parte suas observabant leges ; at nihil horum ex multo tempore existit : ergo.

Ex pluribus autem famosissimis Prophetarum oraculis positiva deducuntur argumenta quæ eandem adstruunt veritatem, scilicet, religionem Mosaicam esse abrogatam ; religio enim Mosaica abrogata est, si Messias seu mediator per quem novum fœdus instituendum erat jam advenerit : atqui Messias jam a multo tempore venit, idque probatur ex quatuor præsertim celebrioribus Prophetiis, de quibus seorsim dicendum est.

§ I. — De prophetia Jacob.

Hæc prophetia sic habetur Gen. XLIX, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est ; et ipse erit expectatio gentium.* Plures dantur variantes circa hanc prophetiam in Hebræo, in Samaritano, et in diversis Græcis, Latinis aliarumque linguarum versionibus ; sed illæ variantes ad ista revocantur puncta : 1^o Loco *sceptri*, alibi legitur *vũga*, *regnum*, *principatus*, vel distinctio tribus, ducta metaphora a baculo quo caput familiæ uti solebat in signum suæ auctoritatis. 2^o Pro *duce*, in Hebræo habetur, *legislator*, *magistratus*. 3^o Pro *de femore ejus*, quidam ferunt, *de filiis ejus*, *de inter pedes ejus*, *de vexillis ejus*. 4^o *Qui mittendus est* alibi vertitur, *pacifcus*, *filius ejus*, vel *ille cui reservatur regnum*. 5^o *Et ipse erit expectatio gentium* ; in Hebræo legitur, *et ipse erit congregatio populorum*. In quibusdam versionibus habetur, *et ipsi erit obedientia populorum* vel *gentium*. Omnes illæ variantes colliguntur ex textibus Hebraico et Samaritano, ex versionibus Græcis Septuaginta interpretum, Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, ex Syriaca, Arabica et Persica, ex Latinis et ex ipsis paraphrasibus Chaldaicis ante Christum a Judæis exaratis ; unde certum est alias non existere variantes essentielles : atqui omnes variantes a nobis recensitæ ad eundem sensum substantialem evidenter redeunt : ergo lectio Vulgatæ nostræ admitti et retineri potest : examinandum est igitur an ex illa prophetia sic expressa probari possit Messiam jam advenisse.

PROPOSITIO.

Ex memorata Jacob prophetia clare probatur Messiam jam a multo tempore advenisse.

Prob. Ex illa Jacob prophetia probatur nostra propositio, si ille quem sanctus patriarcha sub eo nomine designat, *qui mittendus est*, sit Messias, et si jam dudum advenerit : atqui hæc duo certa sunt.

1° Ille quem designat, est Messias. Nam 1° ibi eum designat quem Deus ipsi prædicit, sicut antea Isaac et Abraham prædixerat, dicens, Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14: *Et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ*: atqui ille in quo benedicendæ erant cunctæ tribus vel nationes terræ, juxta omnes Judæos, erat Messias. 2° Designat eum qui *mittendus est*, qui est *expectatio gentium*, *desideratus cunctis gentibus*, ut ait Aggæus: verum solus Messias dici potest expectatio gentium, desideratus gentibus; solus merito dici potest simpliciter mittendus, pacificus, filius cui reservatur regnum. 3° Antiqui Judæi, ut Septuaginta interpretes, tres Chaldaici paraphrastæ ante Christum existentes, Aquila, Symmachus et Theodotio post Christum viventes, et plures rabbiini etiam recentiores, hunc textum de Messia interpretati sunt. Ergo 1°.

2° Ille quem Jacob hic designat, jam dudum venit; venire namque debuit antequam auferretur sceptrum seu potestas de Juda, priusquam cessaret dux, scriba, vel legislator de femore ejus, seu de inter pedes ejus, juxta textum Hebraicum, vel de vexillis ejus, ut fert Samaritanus, vel antequam cessaret tribus, ut alii volunt, intelligentes per *schebet* baculum præeminentiae in familia; atqui manifestum est omnem potestatem jam dudum ablatam esse de Juda; a decem enim et octo sæculis, tribus Juda nullam inter alias habet præeminentiam, nullum regem, nullum principem, nullum legislatorem, nec magistratum, imo non existit ut tribus; ubique terrarum est dispersa et durissima oppressa captivitate: ergo 3°, etc. aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Vox Hebraica *ssbt*, seu *schebet*, quam per *sceptrum* vertimus, significat etiam *virgam tribulationis*: sensus ergo hujus prophetiæ hic esse potest: Non auferetur virga tribulationis de Juda, donec, etc.

R. Dist. ant. Vox *schebet* significare potest *virgam tribulationis*, si per quædam adjuncta ad hunc sensum determinetur, *conc.*; sola et in se sumpta, *nego ant.*; equidem

vox illa significare potest *virgam tribulationis*; hæc enim vox hunc habet sensum in Ps. II, 9; sed jungitur cum *virgo*, *ferrum*, et vertitur in *virga ferrea*: at nunquam vox illa talem habet sensum nisi ad eum ex adjunctis determinetur. Porro in prophetia Jacob nulla sunt addita quibus ad sensum istum determinetur; statim enim subjungitur, *et dux de femore ejus*, etc. Præterea diversarum versionum auctores, antiqui Judæi, et plures etiam recentiores rabbiini eam sic intellexerunt. Ergo.

Plures etiam recentiores Judæi contendunt adverbium Hebraicum *ad chi*, quod per *donec* interpretatur, significare etiam *in æternum*, *postquam*, adeo ut sensus esset: Non recedet sceptrum de Juda in æternum, postquam advenit Messias. Sed illi Judæi prædictum sic interpretantur vocabulum ex punctis massoreticis: atqui illa puncta nullius sunt auctoritatis, ut pote valde recentia. Longe majorem merentur fidem auctores omnium versionum, et antiqui Judæi præsertim celebriores, qui præfatum adverbium sensu nostro intellexerunt, ut patet ex versione Septuaginta interpretum, ex paraphrasibus Chaldaicis, etc. Præterea multi contendunt quod, etiam auctoritate punctorum admissa, prædicta adverbii verba non sint disjungenda, et sensu nostro intelligi debeant. Ergo.

Obj. 2°. Vocabulum *SCHILOH*, qui *mittendus est*, applicari potest Moysi, Saüli, David vel Salomoni: non certum est ergo per illam vocem intelligendum esse Messiam.

R. Nego ant. Nam 1° Moyses non erat de tribu Juda; 2° post alios principes citatos sceptrum seu potestas de tribu Juda non recessit: non ergo nisi in desperatione causæ ad tales interpretationes confugerunt Judæi recentiores. Quidam huc usque insanire, ut arbitrati sint prædictam vocem de Nabuchodonosor vel de Cyro intelligendam esse, quasi illi vastatores terræ fuissent *expectatio gentium*. Ergo.

Obj. 3°. Illa Messiae prædictio forsitan fuit conditionata, et fidelitati Judæorum subordinata: ergo fieri potest ut propter Judæorum peccata adventus Messiae differatur, vel nunquam contingere debeat.

R. Nego ant. Nam 1° illa prædictio haberi non potest ut

conditionata, quæ verbis absolutis exprimitur, et neque per antecedentia neque per sequentia ad conditionem aliquam determinatur: atqui talis est Messiae promissio in prophetia Jacob. 2^o Messias non promittitur tantum pro Judæis, sed pro cunctis gentibus: promissio autem in gratiam cunctarum gentium facta, pendere non debebat a fidelitate Judæorum. 3^o Messias futurus erat expectatio gentium, omnes familiae terre in ipso benedicendæ erant, omnes in ipsius lumine ambulare, id est, Deum verum et unicum per ipsum cognoscere debebant: at cognitio unius veri Dei terram universam invasit: ergo.

Præterea, prophetia Jacob correspondet prophetiæ Danielis, de qua mox dicturi sumus: porro Daniel, ix, 26, formaliter prædicit Judæos, propter suam infidelitatem, a Messia, quem negaturi erant, reprobandos esse: ergo promissio Messiae per Jacob facta non erat conditionata.

Inst. Gen. xlix, 26, sic de tribu Joseph vaticinatur Jacob: *Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum.* Unde sic. Tam absolute hic prædicitur præ eminentia tribus Joseph usque dum veniat Messias, quam, y. 10, prædicta fuerat præ eminentia Juda: attamen hæc prædictio erat conditionata, siquidem de facto in tribu Joseph non fuit impleta: ergo a pari, etc.

R. Nego majorem et dico hæc verba, *desiderium collium æternorum*, de Messia non intelligenda esse. Nam 1^o verbum *venire* non reperitur in Hebraico textu, nec in ullis versionibus antiquis. 2^o Textus Hebraeus sic verti potest: *Benedictiones patris tui valuerunt præ benedictionibus montium perpetuorum, præ desideriis vallium æternorum*; eundem habent sensum Septuaginta interpretes, Paraphrasis Chaldaica, Versio Arabica; hanc interpretationem indicat Moyses, qui Deut. xxxiii, 13, 14, 15, de Joseph dicit: *De benedictione Domini terra ejus, de pomis cæli, et rose, atque abyssu subjacente. De pomis fructuum solis ac lunæ. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum*, etc. Hæc Moysis prædictio eadem est evidenter ac prædictio Jacob: atqui prædictio Moysis nul-

lam promittit præ eminentiam Joseph, usque dum Messias venerit, *ut patet*: ergo nec Jacob, in textu supra citato.

Obj. 4^o. Tempore captivitatis Babylonicæ ablatum est sceptrum de Juda, et tamen Messias non venit. Ergo.

R. Nego antecedens. Nam 1^o potestas tribus Juda fuit ad summum durante captivitate suspensa, non vero destructa; ipsi Judæi sciebant illam per septuaginta annos tantum duraturam esse, ut prædixerat Jeremias, xxv, 12. 2^o Suprema potestas non fuit stricto sensu suspensa; Judæi enim suas adhuc sequebantur leges, saltem in aliquibus; quosdam ex suis contribulibus habebant magistratus seu iudices, ut patet ex historia Susannæ, Dan. xiii. 3^o Si, ut plures volunt, per vocem *schebet* intelligenda sit tantum præ eminentia tribus Juda, nulla est difficultas; certum est quippe hanc tribum tempore captivitatis fuisse distinctam, ac proinde *schebet* in ea fuisse. Ergo.

Inst. Post captivitatem Babylonicam, Judæi summam non recuperaverunt auctoritatem, et duces eorum sæpe ex aliena erant tribu, v. g. Mathathias, qui erat de tribu Levi, Asmonæi pontifices, ab Asmonæo proavo Mathathia: sic dicti, Joseph, l. 12, c. 8, qui per 126 annos principatum obtinuerunt, et Herodes gentilis. Ergo.

R. Nego ant. Ut enim tribus Juda supremam obtinuerit potestatem, sufficit quod fuerit gens completa, ab omnibus aliis gentibus distincta; gens quippe completa necessario supremam habet potestatem: atqui tribus Juda revera fuit post captivitatem gens completa; Judæi enim usque ad Vespasianum semper habiti sunt ut natio; tribus Judæ præ eminentiam in ea natione habebat, imo totam nationem moraliter constituebat; decem enim tribus remanserant ultra Euphratem, pauci erant Benjamitæ et pauci Levitæ respectu Judæorum; aliunde Levitæ altaris servitio erant mancipati: ergo. Primus dux Judæorum post captivitatem fuit Zorobabel de tribu Juda; ignoramus ex qua tribu fuerint illius successores per 400 annos circiter; ex eadem tribu probabiliter ortum habuerunt: contrarium saltem probari non potest. Mathathias autem erat de familia Phinees, ex genere sacerdotum et tribu Levi; sed a Judæis

ob præclara facinora electus, eis benevolentibus præfuit, Josephus, de Bello Jud. l. 1, c. 1. Jonathas et Simon pariter fuerunt electi, I Mach. vii, 30, et xiii, 8. Idem præsumi potest de aliis. Etiam si non fuissent electi, eo ipso quod legitimi essent Mathathæ, Jonathæ et Simonis successores, ex libera Judæorum voluntate regnabant. Porro qui libere ducem eligunt, aut libere ei se submitunt, supremam habent potestatem.

Non inde concludendum est Judæos non habuisse ducem de femore Juda; nam gubernium eorum erat aristocraticum et magnates eorum magnam exercebant potestatem: epistolæ scribebantur nomine principis, seniorum, sacerdotum et totius populi, I Mach. xii, 6; suos habebant magistratus, sua tribunalia, et præsertim magnum *sanhédrin*, sicque veram exercebant potestatem. Ergo eo sensu genuino et naturali, revera semper fuit dux de femore Juda, vel de inter pedes ejus, ut fert textus Hebræus, et a fortiori inter vexilla, si anteposatur Samaritanus, qui certe magna est auctoritatis; vexilla enim Asmonæorum et ipsius Herodis erant vexilla Judæorum, siquidem illi principes unicum cum Judæis componebant gentem integram, ab illis independentem et proprio nomine designatam.

Romani illam, duce Pompeio, subjugarunt, tributa illi imposuerunt; Herodem gentilem pro rege in Galilæa constituerunt, Pontium Pilatum in Jerusalem gubernatorem præfecerunt: tunc potestas Judaica fuit imminuta, sed nondum penitus extincta; quædam illius umbra adhuc aliquo tempore perseveravit, et tandem in excidio Hierosolymitano, anno Christi septuagesimo, omnino evanuit. Ergo.

Si autem admittatur interpretatio eorum qui dicunt *schebet* hic non designare supremam auctoritatem, sed tantum præminentiam vel distinctionem tribus in Juda, donec veniat Messias, omnino evanescent præsens difficultas, ut patet.

§ II. — De prophetia Danielis.

Celeberrima Danielis prophetia sic legitur in Vulgata nostra, cap. ix. Versus finem captivitatis Babylonis, Daniel commemorans numerum annorum, de quo factus est

sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni, posuit faciem suam ad Dominum ut eum in jejuniiis, in sacco et cinere rogaret et deprecaretur, longam et ardentissimam effudit orationem. Tunc, adhuc eo loquente, venit Archangelus Gabriel, et dixit ad eum, v. 22:

Daniel, nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es: tu ergo animadvertes sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatee sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungetur Sanctus sanctorum. Seito ergo et animadvertite: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum duces, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duces erunt: et rursus ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

Juxta omnes, nulla datur discrepantia substantialis inter textum Hebraicum, Vulgatam nostram et cunctas alias versiones, licet plures sint variantes.

PROPOSITIO.

Ex prophetia Danielis demonstratur jam advenisse Messiam.

Prob. Ex prophetia Danielis probatur, etc., si ille qui annuntiatur, 1° sit Messias, et 2° jam advenerit: atqui hæc duo certa sunt.

1° Qui annuntiatur est Messias: dicitur enim Christus

venturus, Sanctus sanctorum, per quem consummanda est prævaricatio, abolendum peccatum, delenda iniquitas, adducenda justitia sempiterna, implenda visio et prophetia, instituendum et confirmandum novum pactum; atqui illi characteres soli conveniunt Messiae, et revera Messias sub his characteribus in aliis Prophetis designatur, v. g. Ps. XXI, 7; Is. XLV, 8; Jer. XXIII, 6. Plures rabbini celebriores hanc prophetiam de Messia intelligunt, plures antiqui Judæi eam sic intelligebant, referente S. Hieronymo in cap. IX Dan. Ergo 1^o.

2^o Jam dudum advenit. Post septuaginta hebdomades advenire debuit, juxta hæc verba prophetiæ: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*, id est, juxta alias versiones, decisæ, concisæ, vel determinatæ sunt, ut *ungatur Sanctus sanctorum, deleatur iniquitas, adducatur justitia sempiterna*, etc.; at illæ hebdomades jam dudum elapsæ sunt: duplicis enim generis erant hebdomades apud Judæos, aliæ videlicet dierum, ut apud nos, et aliæ annorum, juxta quod dicitur in Lev. cap. XXVI, 8: septuaginta autem hebdomades, de quibus loquitur Daniel, sunt hebdomades annorum: in capite enim septuaginti, v. 2 et 3, aliarum hebdomadarum: mentionem faciens, denotat eas esse dierum: ergo præcedentes erant annorum. Aliunde magni quos prænnuntiat eventus intra breve spatium 490 dierum contingere non poterant: manifestum est igitur quod ibi hebdomades annorum intellexerit. Porro septuaginta hebdomades annorum quæ 490 efficiunt annos, a multo tempore elapsæ sunt: initium enim earum differri non potest ultra centesimum annum post finem captivitatis, quo anno exiit sermo seu edictum Artaxercis Longimani ut iterum ædificaretur Jerusalem, II Esdr. II, 13: atqui plus quam 2200 effluerunt anni ab illo edicto: ergo.

Præterea, qui in ea prophetia annuntiatur, venire debuit antequam subverteretur templum post captivitatem ædificatum, dissiparetur civitas iterum extructa, deficeret hostia et cessaret sacrificium: sed a multis sæculis eversum est templum, dissipata est civitas, deficit hostia et cessavit sacrificium: ergo 2^o, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o cum quibusdam rabbinis: Christus, qui a Daniele prædicatur venturus, forsitan est Agrippa secundus qui tempore ultimi excidii Hierosolymitani occisus est, vel Zorobabel, vel Esdras, vel Cyrus: ergo non constat eum esse Messiam.

R. Neg. ant. Nam 1^o nullus ex illis principibus dici potest simpliciter et sine addito, *dux, Christus dux*. 2^o Nullus appellari potest *Sanctus sanctorum*. 3^o De nullo dici potest quod per illum adducta fuerit justitia sempiterna, finem acceperit peccatum, deleta fuerit iniquitas. 4^o Agrippa junior, ex Josepho, non erat rex Judæorum, et aliunde non constat illum fuisse occisum. 5^o Septuaginta hebdomades annorum non effluerunt a Daniele usque ad Zorobabel, Esdras aut Cyrus. Ergo illa rabbinorum interpretatio merum est figmentum.

Obj. 2^o. In prædicta prophetia duplex videtur esse Christus, scilicet, Christus dux post septem hebdomades et Christus qui occidetur post sexaginta duas hebdomades: ergo *probari non potest* ibi sermonem esse de Messia; aut si de illo agatur, non constat illum jam venisse.

R. Nego ant. Nam 1^o septem hebdomades et sexaginta due separatim accipiendæ non sunt, quasi duplicem efficerent numerum; unicum siquidem supra efficiunt numerum: *septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*. 2^o Christus qui occidetur, seu excindetur, ut fert Hebræus, idem est ac Christus dux prius designatus; evidens est enim secundam prophetiæ partem prioris partis esse continuationem et explicationem; in utraque parte iidem characteres, soli Messiae proprii, Christo venturo tribuuntur: ergo falsum est duplicem ibi annuntiarî Christum.

§ III. — De prophetiis Aggæi et Malachiæ.

Judæi qui de captivitate cum Zorobabel venerant, negligentius in ædificando templo laborabant, quia constituti erant in impossibilitate illud juxta priorem splendorem reædificandi: inde mœrore conficiebantur. Tunc

Deus misit ad eos prophetam Aggæum qui suis adhortationibus eos confortaret. Sic autem capite secundo locutus est, *ŷ. 4* :

Quis in vobis est derelictus qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus; et confortare, Jesu, fili Josedec, sacerdos magne; et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus Deus exercituum, et facite.... quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum, et terram, et mare, et aridam; et movebo omnes gentes: et veniet DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

Malachias autem, qui centum annis circiter post Aggæum, scilicet tempore Nehemiæ, prophetabat, hæc habet, cap. III, 1:

Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos queritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce veniet, dicit Dominus exercituum.

PROPOSITIO.

Ex duabus Aggæi et Malachiæ prophetiis constat præteritum esse tempus quo venire debuit Messias.

Prob. Certum est templum, a Zorobabel post captivitatem reedificatum, multis abhinc sæculis penitus esse destructum; factum istud a nemine in dubium revocari potest: unde si Messias templum istud visitare debuit, certum est illum jam dudum venisse: atqui, ex prophetiis Aggæi et Malachiæ probatur Messiam templum a Zorobabel ædificatum visitare debuisse; nam in his prophetiis agitur de templo a Zorobabel ædificato et de Messia venturo.

1^o De templo a Zorobabel ædificato agitur, non vero de tertio templo ab ipso Messia ædificando, ut quidam Judæi somniarunt. Nam 1^o Aggæus, ut confortaret Judæos merore confectos, eosque in construendo templo excitaret, prædicit gloriam illius futuram esse majorem gloria prioris templi: atqui hoc argumento finem intentum non obtinisset, si de alio templo post sæcula ædificando locutus fuisset. 2^o Dicit, *adhuc modicum*, etc.; at dicere non potuisset *adhuc modicum* si de templo futuro cogitasset. 3^o Aggæus his utitur vocibus, *domum istam, domus istius, loco isto*: illæ autem voces clare designant templum præ oculis positum, quod extruebant Judæi, et cujus exiguitatem in comparatione prioris flentes aspiciabant. 4^o Idem templum designat Malachias: nam ipsius prophetia cum prophetia Aggæi evidentem habet affinitatem; tempore secundi templi vaticinatur, et prædicit Dominum ejus ad illud brevi esse venturum: *Ecce ego mitto... et statim veniet*, etc. Porro hæc intelligi non possent de futuro templo a Judæis excogitato: ergo, etc. Ergo 1^o.

2^o De Messia venturo agitur. Nam 1^o ille de quo fit sermo vocatur *desideratus cunctis gentibus*, vel, ut in Hebraico textu habetur, *desideria cunctarum gentium*; at in aliis prophetiis sic vocatur Messias, *expectatio gentium*; in eo benedicentur gentes, etc. 2^o Dare debet pacem: porro Messias vocatur *princeps pacis*, apud Isaïam IX, 6; *Disciplina pacis nostræ super eum*, Isaïæ LIII, 5; *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis*, Ps. LXXI, 7. 3^o Ad ipsius præsentiam commovebuntur cælum et terra, mare et arida et omnes gentes: hæc autem intelligi non possunt nisi de Messia. 4^o Ad templum suum statim veniet; est dominator quem Judæi querunt, Angelus testamenti quem volunt: atqui magnæ illæ qualitates soli Messie competere possunt et simul probant quanta debeat esse ejus dignitas. 5^o Ex illius adventu et visitatione tantum honorem suscipiet templum Zorobabel, ut priori templo gloria præcellat: infinita tamen erat distantia inter utrumque templum, ratione structuræ, magnificentie, utensilium,

vascrum, ornamentorum sacrorumque monumentorum; in priori enim summa veneratione custodiebantur virga Aaron, tabulae legis, arca foederis, man divinitus datum et conservatum; cum sacra hæc objecta perierint in captivitate, nullum eorum fuit in secundo templo: porro nullus, præter Messiam, tantum honorem tantamque gloriam templo illi conferre potuit. 6º Denique plures rabbini, inter quos citantur Akiba, Aben-Esra, Maimonides, etc., has prophetias de Messia interpretati sunt. Ergo 2º.

Obj. Josephus, lib. 15 Antiq. cap. 11, testatur secundum templum majoribus sumptibus ab Herode fuisse exornatum quam a quovis alio antea: ergo sua magnificentia priori templo præcelluit.

R. Nego conseq. Josephus enim, dicendo Herodem majoribus sumptibus exornasse templum quam alii quilibet, loquitur tantum de principibus qui secundum templum a Zorobabel ædificatum decoraverant: non vero intendit magnificentiam hujus templi supra magnificentiam templi Salomonis extollere; narrant enim Herodem mille carros et decem millia peritissimorum opificum per octo annos ad templum reædificandum adhibuisse: atqui nulla est proportio inter hujusmodi sumptus et sumptus quibus exstructum est Salomonis templum; namque David, I Paral. xxii, centum millia talentorum auri, et millia millium talentorum argenti paraverat; Salomon vero, II Paral. ii, centum nonaginta millia virorum per septem annos adhibuit præter immensos labores quos jam fieri curaverat David, ad preparanda ligna, ferrum ad clavos, æs ad juncturas, ad lapides cædendos et poliendos. Ergo.

PARS TERTIA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

Quamvis religio Christiana vera esse non possit quin sit divina, nec divina quin sit vera, sub duplici hoc respectu tamen considerari potest: igitur duplex hujus partis erit caput: primum erit de veritate religionis Christianæ; secundum, de ejus divinitate.

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Religio Christiana est vera, si a Christo fuit instituta, et a discipulis ejus promulgata, prout in libris Novi Testamenti narratur. Licet igitur plurima et validissima aliunde afferri possint argumenta ad hujusmodi veritatem invicte demonstrandam, v. g. ex traditione, ex testimonio paganorum et Judæorum, sicut fecit *Bullet* in opere dicto: *Histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls auteurs juifs et païens*, sufficit tamen probare libros Novi Testamenti esse authenticos, integros et veros; quod in triplici articulo præstabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI AUTHENTICITATE.

Illi libri sunt numero viginti septem, nempe quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim B. Pauli Epistolæ, duæ B. Petri, una B. Jacobi, tres B. Joannis, una B. Judæ, et Apocalypsis B. Joannis. Quæstio est igitur an ab eis auctoribus quibus attribuuntur, et eo tempore ad quod referuntur, scripti fuerint.

vascrum, ornamentorum sacrorumque monumentorum; in priori enim summa veneratione custodiebantur virga Aaron, tabulae legis, arca foederis, man divinitus datum et conservatum; cum sacra hæc objecta perierint in captivitate, nullum eorum fuit in secundo templo: porro nullus, præter Messiam, tantum honorem tantamque gloriam templo illi conferre potuit. 6º Denique plures rabbini, inter quos citantur Akiba, Aben-Esra, Maimonides, etc., has prophetias de Messia interpretati sunt. Ergo 2º.

Obj. Josephus, lib. 15 Antiq. cap. 11, testatur secundum templum majoribus sumptibus ab Herode fuisse exornatum quam a quovis alio antea: ergo sua magnificentia priori templo præcelluit.

R. Nego conseq. Josephus enim, dicendo Herodem majoribus sumptibus exornasse templum quam alii quilibet, loquitur tantum de principibus qui secundum templum a Zorobabel ædificatum decoraverant: non vero intendit magnificentiam hujus templi supra magnificentiam templi Salomonis extollere; narrant enim Herodem mille carros et decem millia peritissimorum opificum per octo annos ad templum reædificandum adhibuisse: atqui nulla est proportio inter hujusmodi sumptus et sumptus quibus exstructum est Salomonis templum; namque David, I Paral. xxii, centum millia talentorum auri, et millia millium talentorum argenti paraverat; Salomon vero, II Paral. ii, centum nonaginta millia virorum per septem annos adhibuit præter immensos labores quos jam fieri curaverat David, ad preparanda ligna, ferrum ad clavos, æs ad juncturas, ad lapides cædendos et poliendos. Ergo.

PARS TERTIA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

Quamvis religio Christiana vera esse non possit quin sit divina, nec divina quin sit vera, sub duplici hoc respectu tamen considerari potest: igitur duplex hujus partis erit caput: primum erit de veritate religionis Christianæ; secundum, de ejus divinitate.

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Religio Christiana est vera, si a Christo fuit instituta, et a discipulis ejus promulgata, prout in libris Novi Testamenti narratur. Licet igitur plurima et validissima aliunde afferri possint argumenta ad hujusmodi veritatem invicte demonstrandam, v. g. ex traditione, ex testimonio paganorum et Judæorum, sicut fecit *Bullet* in opere dicto: *Histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls auteurs juifs et païens*, sufficit tamen probare libros Novi Testamenti esse authenticos, integros et veros; quod in triplici articulo præstabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI AUTHENTICITATE.

Illi libri sunt numero viginti septem, nempe quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim B. Pauli Epistolæ, duæ B. Petri, una B. Jacobi, tres B. Joannis, una B. Judæ, et Apocalypsis B. Joannis. Quæstio est igitur an ab eis auctoribus quibus attribuuntur, et eo tempore ad quod referuntur, scripti fuerint.

PROPOSITIO.

Libri Novi Testamenti ab eis scripti sunt auctoribus quibus attribuuntur, et eo tempore ad quod referuntur.

Prob. Illud factum ut certissimum haberi debet quod constantissima omnium sæculorum fides testatur, alioquin nihil esset certum in historia: at constantissima omnium sæculorum fides testatur libros Novi Testamenti eos habuisse auctores quibus tribuuntur; in eo quippe consentiunt omnes scriptores catholici, hæretici et pagani.

1^o *Catholici.* Increduli enim non negant eos in hac esse persuasione a tertio sæculo; atqui pariter constat eos in eadem persuasione semper fuisse; nam persuasio ista tam universalis esse non potuisset in tertio sæculo, si ab initio non exstitisset. Præterea, sancti Patres et omnes ecclesiastici auctores qui in hoc intervallo scripserunt, v. g. S. Clemens B. Petri discipulus et successor, S. Ignatius, S. Polycarpus B. Joannis auditor, S. Justinus, S. Irenæus, de diversis libris Novi Testamenti, præsertim de Evangeliiis, mentionem sæpe faciunt. Tertullianus, lib. de Præscript. c. 36: « Percurre, *inquit*, ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum (Apostolorum) recitantur, sonantes vocem, et representantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum...; si non longe es a Macedonia, habes Philippas, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, Romam.» Hæc Tertulliani verba indicant ipsa beati Pauli autographa tunc apud illas ecclesias adhuc servari, aut saltem Epistolas ejus in summa veneratione esse. Ergo 1^o.

2^o *Hæretici* catholicis unanimiter consentiunt in tribuendis libris Novi Testamenti eis auctoribus quorum nomine inscribuntur: quoad hæreticos tempore nostro existentes, nulla est difficultas; hos libros cultu religioso prosequuntur tanquam divinos, et iisdem ac nos tribuunt

auctoribus. Rejiciunt quidem Epistolam ad Hebræos, Epistolam B. Jacobi, secundam B. Petri, duas ultimas sancti Joannis et Apocalypsim: sed cum nihil illæ Epistolæ contineant quod non sit quoad substantiam in aliis libris, controversiam hic cum hæreticis non aggredimur; revera concludere possumus contra deistas, præsentibus hæreticos nobis esse concordēs circa librorum Novi Testamenti authenticitatem. Porro alii hæretici, etiam qui ad tempus Apostolorum magis approximabant, eandem constanter tenuerunt doctrinam, v. g. Ebionitæ, Marcionitæ, etc. Illorum intererat rejicere auctoritatem librorum quibus catholici eos refellebant: attamen illos tanquam suppositos non rejecerunt, nec ut dubios habuerunt; sed conabantur eorum sensum tum bene tum male in suas sententias detorquere. Ergo 2^o.

3^o Idem confessi sunt *pagani*. Plurimæ enim Celsi et Porphyrii reperiuntur objectiones apud Origenem contra religionem Christianam: noscuntur opera et dicta Juliani Apostatæ adversus eandem religionem; ea nobis transmisit S. Cyrillus Alexandrinus in suis libris contra huic apostatam: at illi auctores nihil arguunt contra authenticitatem librorum Novi Testamenti, imo eos sine ambiguitate eisdem ac nos tribuunt auctoribus, præsertim quatuor Evangelia. Sic Celsus multa ex Evangeliiis commemorat, quæ ex scriptis Apostolorum se decerpisse profitetur; sic Julianus, quando prohibuit ne Christiani humaniores edocerent litteras: « Satis ipsis fuerit, *inquit*, Lucam et Matthæum in Galilæorum cœtibus exponere.» Et iterum apud eundem Cyrill. t. 6: « Jesum quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus; sed bonus ille Joannes...» Ergo nullum habebant dubium circa authenticitatem prædictorum librorum. Ergo 3^o.

Et vero, libri Novi Testamenti ut authentici haberi debent, si constet nullo tempore illos supponi potuisse: atqui constat, etc. Certum est enim eos in primo et in secundo sæculo exstitisse, et tunc ut authenticos habitos fuisse: porro ante hoc tempus supponi non potuerunt;

nunquam enim omnes sibi persuadere potuissent eos ab Apostolis fuisse scriptos, hæretici et pagani illud non credidissent. Numquid Ecclesie Romanorum, Corinthiorum, etc., sibi persuadere potuissent se epistolas a B. Paulo accepisse, se eas retinere? quo pacto vel qua fascinatione adduci potuissent ad eas in tanto honore habendas, ut in publicis cætibus eas legerent? Ergo.

Solvantur objectiones.

Obj. 1^o. Plures libri diu habiti sunt ut authentici, qui postea deprehensi sunt suppositi: ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Nam 1^o hoc argumento similiter probaretur opera Virgilio, Horatio, Tacito, etc., fuisse supposita, et sic universalis admittendus esset pyrrhonismus: quod rationi evidenter repugnat.

2^o Libri qui diu habiti sunt ut authentici, vel erant obscuri et parvi momenti, vel diu post auctores quibus tribuebantur prodierunt, vel quosdam præ se ferebant suppositionis characteres: unde contigit quod, ubi applicatae sunt sanæ criticae regulæ, statim detecta sit eorum suppositio. At nihil horum existit respectu librorum Novi Testamenti: non sunt obscuri et parvi momenti, siquidem fundamentum religionis Christianæ continent; non diu post Apostolos quibus tribuuntur prodierunt, *ut probavimus*; nulla præ se ferunt suppositionis indicia, sed, e contra, eo magis apparent authentici quo severiori subiciuntur examini. Ergo.

Obj. 2^o. In primis Ecclesie sæculis falsæ prodierunt Apocalypses, falsæ Apostolorum Epistolæ, falsaque eorum Acta et spuria Evangelia, quæ ad minus quinquaginta numerat doctissimus Albertus Fabricius. Ergo.

R. Nego conseq. et paritatem. Scripta enim sub nominibus Apostolorum aliorumque auctorum supposita, nunquam habita sunt in Ecclesia ut authentica, sed constanter ut fictitia rejecta sunt: Christiani ergo cæteros pariter rejecissent libros quos ut authenticos habemus, si præbuisent suppositionis characteres; hæc igitur objectio propo-

sitionem nostram confirmat, nedum aliquid roboris ipsi detrahat: nam si falsi inveniantur nummi, merito concluditur alios esse veros quibus falsi non sunt conformes: ergo *a pari* libri apocryphi supponunt alios esse genuinos, alioquin fideles hos ab illis nunquam distinxissent.

Insuper notandum omnia quæ in libris apocryphis scripta sunt, non ideo semper esse falsa; fieri enim potest ut liber sub alterius nomine suppositus nihil nisi verum contineat; fieri etiam potest ut plurima habeat vera et quosdam simul adjunctos contineat errores: sic Evangelia apocrypha pluribus in punctis cum quatuor Evangeliiis nostris concordant: ergo sub eo respectu illa confirmant.

Denique refert Tertullianus, lib. de Bapt. c. 17, quemdam presbyterum qui, ex pia fraude, falsa supposuerat acta sub nomine B. Pauli Apostoli, ab Ecclesia damnatum et a sacerdotio depositum fuisse: factum istud probat quanta tunc esset sollicitudo Ecclesie circa vera et falsa Apostolorum scripta: ergo similiter proscripsisset libros Novi Testamenti quos nunc habemus, si non effulsissent in illis evidentiæ authenticitatis indicia.

Notandum tot non fuisse Evangelia apocrypha quot Fabricius numerat: nam, ut ipse observat, quædam sub diversis cognoscebantur titulis, prout ab hæreticis varia eis addita vel detracta erant: sic Evangelium secundum Matthæum dictum est Evangelium Matthæi, Evangelium Cerenthi, Evangelium Carpocratis, Evangelium duodecim Apostolorum, Evangelium secundum Hebræos, etc.

Inst. Sancti Patres Justino antiquiores pluries citant Evangelia apocrypha, et de quatuor Evangeliiis nostris nihil dicunt: ergo in primo et in secundo seculo quatuor Evangelia nostra non magis habebantur ut authentica quam Evangelia quæ nunc cognoscuntur apocrypha.

R. Nego ant. Nam 1^o Patres memorati quædam ex Evangeliiis apocryphis citare potuerunt, non quia in istis reperiebantur Evangeliiis, sed quia aliunde sciebant ea esse vera. 2^o Probabile est eos dicta quæ citant, per traditionem oralem ab Apostolis accepisse. 3^o Non multi sancti Patres, sed unus aut alter nonnulla et pauca citant

quæ ex Evangeliiis apocryphis excerpta esse videntur; *Freret enim, Examen des Apologistes de la religion*, t. 19, vel potius auctor pessimi hujus libri, duo tantum commemorat loca ex S. Clemente Romano et ex aliis Patribus; e contra tota series Patrum, saltem a S. Justino, quatuor Evangelia nostra agnoscit et laudat. 4^o Falsum est Patres Justino antiquiores de Evangeliiis nostris nihil dicere; multa namque citant quæ non solum quoad sensum, sed etiam quoad similitudinem verborum in Evangeliiis nostris leguntur: hæc igitur agnoscebant Evangelia. Papias, teste Eusebio, ipsos nominat Apostolos tanquam Evangeliorum nostrorum auctores. Plures quidem alii Patres eos non nominant; at non magis nominant Prophetas quorum sententias referunt: atqui tamen non dubitandum est quin eos agnoverint tanquam auctores prophetiarum quæ ipsis attribuuntur: ergo.

Obj. 3^o. Apud Matth. xxiii, 35, fit mentio Zachariæ prophete, filii Barachia, qui inter templum et altare fuit occisus: at ille Zacharias fuit occisus in obsidione Jerusalem post mortem S. Matthæi, ut constat ex Josepho, de Bello Judaico, l. 4, cap. 19: ergo Matthæus non est auctor Evangelii quod ipsi tribuitur.

R. 1^o. Nego min. Nam in II Paral. xxiv, 20, legitur quemdam Zachariam, spiritu Dei indutum, a Judæis in templo fuisse occisum; forte de illo Christus loquitur: erat quidem filius Joiadæ, sed Joiada poterat simul appellari Barachias: sæpius enim Judæi duo habebant nomina. Plures alii in scriptura Veteris Testamenti inveniuntur Zachariæ prophete; quamvis non legatur eos in templo fuisse occisos, non repugnat unum ex eis sic mortuum esse, et Judæos tale factum per traditionem agnovisse. Ergo.

R. 2^o. Negari potest consequentia. Nam S. Matthæus non loquitur a semetipso, simpliciter vero refert sententiam Christi: at Christus per anticipationem loqui potuit de futura occisione illius Zachariæ, filii Barachia, qui a Josepho representatur tanquam vir illustris, virtutis et libertatis suæ patriæ amantissimus, rectæ conscientie, et

multis affluens divitiis: propter eximias suas qualitates odibilis factus est Judæis qui occiderunt illum in medio templi. Ergo. Plures auctores hanc interpretationem admittunt. Vide Jans. in *Evang.*; D. *Calmet*; de *Tillemont*, t. 1 *des Empereurs*, etc.

Obj. 4^o. Soli Christiani authenticitatem librorum Novi Testamenti nobis testantur, sicque sunt testes in sua causa: atqui nullius testimonium in propria causa admittitur: ergo.

R. 1^o. Nego maj. Nam ipsi pagani authenticitatem librorum Novi Testamenti agnoverunt, quamvis ipsorum maximi interesset eos negare. Unde *Duvoisin*, in opere cui titulus: *Autorité des livres du Nouveau Testament*, ait:

« Chose étrange! les incrédules modernes osent contester un fait dont les apostats et les philosophes du quatrième siècle étaient obligés de convenir. Ont-ils donc recouvré quelque ancien titre inconnu à l'empereur Julien? peuvent-ils se flatter de connaître mieux que lui les monuments de l'histoire ecclésiastique? Non, sans doute; mais, nous le disons à regret, dans la manière dont Julien combattait le christianisme, on entrevoit encore un reste de pudeur et de bonne foi qu'on cherchait en vain dans les écrits de nos philosophes. »

R. 2^o. Nego min. Omnes enim populi terræ solent audiri in his quæ ad eorum regimen, constitutiones et leges pertinent; quia clare percipitur impossibile esse eunctos alienjus societatis homines simul ad hæc fingenda conspirasse: atqui libri Novi Testamenti ad regimen religionis Christianæ, ad illius constitutiones et leges pertinent; in his enim continentur dogmata fide credenda, sacramenta suscipienda et præcepta adimplenda, ut cœlestis obtineatur beatitudo, et summa vitetur miseria: ergo.

Præterea, antequam homines fierent Christiani, religioni pagana vel Judaica erant addicti, proindeque multis imbuti præjudiciis adversus facta Evangelica et omnes libros Novi Testamenti: ergo in sua causa non judicarunt quando eorum authenticitatem admiserunt. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI INTEGRITATE.

In memoriam hic revocanda sunt ea quæ diximus ubi de librorum Moysis integritate; quæstio non est utrum libri Novi Testamenti aliquam subierint mutationem quoad verba, puncta, etc., sed an usque ad nos ita pervenerint integri, ut nulla in eis contingerit mutatio substantialis.

PROPOSITIO.

Libri Novi Testamenti nullam subierunt mutationem essentialem ab Apostolis usque ad nos, quoad facta vel doctrinam.

Prob. Si libri Novi Testamenti essentialiter subiissent mutationem, vel ante, vel post mortem Apostolorum: atqui neutrum dici potest. 1^o *Non ante mortem Apostolorum;* Apostoli enim adhuc viventes, et fideles ab ipsis eruditi, statim reclamassent, et non permisissent fraudem ad posteros sine contradictione transmitti. Ergo 1^o.

2^o *Non post mortem Apostolorum;* quidam enim Apostoli, et nonnulli ex primis eorum discipulis, per diu vixerunt, ut S. Joannes, qui circa centesimum annum post natiuitatem Christi mortuus est, et S. Simeon, frater, id est consobrinus Domini et episcopus Hierosolymitanus, qui in persecutione Traiani, centum et viginti annis proventus, martyrio coronatus est. Verum post mortem huiusmodi sanctorum hominum nulla substantialis mutatio in libros Novi Testamenti introduci potuit; ad hoc enim necesse fuisset ut cuncta exemplaria tunc existentia simul corrupta fuissent, et nemo contra hanc corruptionem reclamasset: atqui utrumque erat prorsus impossibile.

1^o Impossibile erat cuncta exemplaria tunc existentia simul et eodem modo corrumpere. Nam ubique jam diffusi erant Christiani, in Judæa, in Syria, in tota Asia Minori, in Græcia, in multis insulis, in Alexandria, in Italia, etc., ubique eadem facta annuntiabantur, eadem doctrina prædicabatur, variæ ecclesiæ religiose servabant Epistolas

B. Pauli; dubitare non possumus quin innumera tunc existerent librorum Novi Testamenti et præsertim Evangeliorum exemplaria, in diversis regionibus sparsa, in varias linguas conversa: atqui nemo non videt prorsus impossibile fuisse cuncta exemplaria simul colligere et eodem modo corrumpere. Ergo 1^o.

2^o Non minus impossibile fuisset neminem contra talem corruptionem reclamasse; libri enim Novi Testamenti cunctis diebus dominicis per partes in publicis fidelium cœtibus legebantur; Tertullianus et S. Justinus testantur hoc ex antiqua consuetudine fieri, proindeque ab Apostolis: unde, si qua mutatio essentialis introducta fuisset, fideles novam doctrinam novaque miracula audissent in ecclesiis; pontifices et presbyteri aliique ministri, hos libros legentes et populo explanantes, fraudem advertissent et statim reclamassent: scimus quid contigerit quando Diocletianus sub pœna mortis iussit sacras tradi Scripturas: innumeri utriusque sexus fideles maluerunt mori, et traditores ab universa Ecclesia habiti sunt ut apostatæ. Porro supponi non licet homines doctrinæ catholice tam firmiter addictos patienter sustinuisse ut Scripturæ sacræ substantialiter corrumpere: ergo 2^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Insuper, si libri Novi Testamenti essentialiter corrupti fuissent, eodem sensu corrumpi debuissent sanctorum Patrum conciones et homiliæ; innumeri namque reperiuntur in eis textus ex Evangeliiis et Epistolis Apostolorum citati, qui, saltem quoad substantiam, omnino similes sunt Novo Testamento nunc existentia: at nemo dicet, nisi plane insaniat, possibile fuisse simul corrumpere omnia Novi Testamenti exemplaria, et cunctas Patrum conciones variis temporibus publice prolatas: ergo denique, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. SS. Patres plurima citant verba Christi que in Evangeliiis non leguntur: ergo ea nunc talia non habemus qualia ab initio erant.

R. Nego conseq. Nam 1° aliquando sancti Patres textus Evangelii in suis concionibus memoriter tantum citabant: itaque eos de verbo ad verbum in Evangeliiis nostris non invenimus, bene vero accurate quoad sensum. 2° Quaedam verba Christi ex traditione cognoscere et referre potuerunt, sicut beatus Lucas qui, in Act. xx, 35, hæc verba *Dominus Jesu* refert: *Beatius est magis dare quam accipere*, quæ tamen in Evangeliiis nostris nunquam existerunt, ut semper observatum est. 3° Nonnulla etiam verba Christi depromere potuerunt ex Evangeliiis apocryphis, quæ ut nullum errorem continentia agnoscebantur; multa enim dixit et fecit Christus quæ a quatuor Evangelistis nostris non fuerunt descripta; S. Joan. cap. xxi, v. 25.

Cæterum paucissimæ sunt hujusmodi sanctorum Patrum citationes, quæ in Evangeliiis, saltem quoad sensum, non reperiuntur. Ergo.

Inst. 1°. Sancti Patres pluribus in locis conqueruntur exemplaria Evangelii fuisse adulterata; idem objicit Celso apud Origenem. Ergo.

R. Nego conseq. Sancti Patres conqueruntur hæreticos exemplaria Evangelii adulterasse, ut suos facilius tuerentur errores: at corrumpere non potuissent exemplaria catholicorum. Origenes respondebat Celso, lib 3, contra dicta hujus philosophi: « Certe a nemine alio Evangelium » mutatum scio, præterquam a Marcionis, Valentini et » fortasse Lucani discipulis; quod crimen non est Evangelii, sed eorum qui depravare audent. » Hinc videtur quanta semper fuerit vigilantia circa Scripturarum sacram integritatem: ergo illæ objectiones clarius demonstrant impossibile fuisse substantialem mutationem in libros Novi Testamenti inducere.

Cerinthus solum Evangelium Matthæi admittebat, Cerdo et Marcio illud rejiciebant, Evangelium S. Lucae et plures ex Epistolis B. Pauli agnoscebant: at nihil inde contra integritatem et auctoritatem librorum Novi Testamenti inferri potest. 1° Enim illi auctores doctrinam Christi corrumpebant, et ideo rejiciebant libros ex quibus validiora adversus ipsos eruebantur argumenta. 2° Omnes

Christiani undique contra illos insurrexerunt, et velut hæreticos et impostores semper habuerunt. 3° Etiam si unicum admitteretur Evangelium ut authenticum, verum et integrum, sufficienter ex illo confutarentur deistæ, si quidem tunc revelationis existentia et veritas religionis Christianæ nihilominus demonstrarentur. Ergo.

Obj. 2°. In pluribus antiquis Novi Testamenti exemplaribus non reperiuntur, 1° duodecim ultimi versus capituli decimi sexti Evangelii S. Marci, in quibus describitur resurrectio Christi; 2° sudor sanguineus Christi in agonia, de quo S. Lucas, xxii, 44; 3° historia mulieris adulteræ quam refert S. Joan. viii; 4° ille versiculus I Epist. B. Joan. v. 7: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*: at quatuor illi textus maximi sunt momenti: ergo saltem probabile est substantialem contigisse mutationem in libris Novi Testamenti.

R. 1°. *Nego min.* Maximi enim momenti non sunt illi textus qui omitti possent absque ulla mutatione in doctrina Christiana: verum quatuor prædicti textus omitti possent absque ulla mutatione in doctrina Christiana: etiam si enim S. Marcus resurrectionem Christi non retulisset, non minus ex tribus aliis Evangelistis cæterisque Apostolis constaret illum a mortuis vere surrexisse; sudor sanguineus et mulieris adulteræ historia nihil faciunt ad doctrinam Christi; quamvis textus I Epist. B. Joan. non parum inserviat ad demonstrandam mysterii sanctissimæ Trinitatis existentiam, aliunde tamen certitudo illius mysterii eruitur, et ex Evangelio ejusdem S. Joan. Ergo illi textus omitti possent absque, etc. Ergo.

R. 2°. *Nego conseq.* Licet enim prædicti textus in pluribus antiquis exemplaribus non legantur, valde probabilius est illos genuinos esse et authenticos: ita saltem communiter sentiunt viri in antiquitate et in criticis materiis peritiores, ut videre est apud celebriores Scripturæ sacræ interpretes.

Obj. 3°. Millius, doctor Anglus, triginta millia varietatum inter diversa Novi Testamenti exemplaria nuneravit:

at liber qui tot passus est varietates, integer dici non potest : ergo.

R. Nego min. Si enim illæ variantes quoad litteras vel interpunctiones omissas, additas aut transmissas tantum se teneant, et substantiam factorum ac doctrinæ non afficiant, nihilominus liber ille est integer, prout supra exposuimus : atqui tales sunt omnes variantes quas doctor Millius notavit; iis enim non obstantibus, in quolibet exemplari et in quacumque lingua eadem leguntur facta, eadem miracula, eadem fidei dogmata, eadem morum præcepta, eadem denique doctrina : ergo.

Et vero, Millius innumera secum contulit exemplaria, innumeras versiones, innumeras ejusdem versionis editiones, innumeros codices manuscriptos, et quascumque etiam accentuum dissimilitudines minutatim recensuit : sed mirum videri non debet si in tanto diversorum exemplarium numero, tot hujus generis repertæ fuerint varietates : contrarium sine grandi miraculo advenire non potuisset, omnes enim libri, cujuscumque sint momenti et auctoritatis, tales subeunt mutationes, quæ eo frequentius contingere debuerunt quod per multa sæcula sola ope manuscriptorum multiplicari poterant exemplaria.

Unde doctissimus *Bentley*, qui præclaram Terentii dedit editionem, viginti millia varietatum observavit in diversis hujus poetæ editionibus et exemplaribus, paucis, in comparatione Millii, respectu Novi Testamenti : sic igitur concludere non dubitat : « Je suis moralement assuré que, » même sur la moitié moins d'exemplaires (que n'en a » comparé M. Mill), les variantes de ce poète monteraient » à cinquante mille. »

Nedum ingens varietatum numerus substantialia alicujus libri integritatem afficiat, illam potius confirmat; eo namque difficilior est aliquem librum substantialiter corrumpi quo in majori numero sunt ipsius exemplaria, versiones et editiones : atqui multæ varietates lectionum, versionum et editionum multitudinem exemplarium ostendunt; ubi enim unicum est exemplar, ibi nullâ esse potest lectionum diversitas : ergo.

Inst. Illæ varietates, licet ad substantiam factorum et doctrinæ non pertineant, libros divinos tamen dedecent : ergo Deus eas impedire debuisset, si prædicti libri essent divini.

R. 1º. Divinitatem librorum Novi Testamenti demonstrare hic non intendimus, illos enim consideramus velut libros historicos et humanos; veritatem monumentorum quæ in ipsis continentur duntaxat inquirimus, ut ex illis noscamus principia, dogmata et præcepta religionis Christianæ, atque valida instituere possimus argumenta ad illius veritatem et divinitatem demonstrandam : ad hæc autem necesse non est ut libri Novi Testamenti divina inspiratione fuerint scripti : merito igitur a consideratione illorum divinitate hic abstinemus.

R. 2º. Nego ant., et dico supradictas varietates libros divinos non dedecere, quia repugnat Deum eas impedire teneri; repugnat enim Deum teneri perpetuum et inutile operari miraculum : at in ea hypothesis teneretur, etc. 1º Perpetuum; hujusmodi namque varietates præcaveri non possunt absque perpetuo miraculo, præsertim cum tot exemplarium millia per multa sæcula non nisi manu fuerint scripta. 2º Illud miraculum prorsus inutile esset, siquidem varietates istæ non impediunt quin religio maneat integra. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI VERITATE.

Hic spectamus Apostolos solummodo velut scriptores humanos : humani autem scriptores majorem vel minorem mereantur fidem, pro indole aliisve qualitatibus, pro narrandi modo, natura factorum et variis circumstantiis in quibus constituuntur : quæstio est igitur an auctores librorum Novi Testamenti, horum habita ratione, omnimodam mereantur fidem in eis quæ narrant, adeo ut libri Novi Testamenti sint veri.

at liber qui tot passus est varietates, integer dici non potest : ergo.

R. Nego min. Si enim illæ variantes quoad litteras vel interpunctiones omissas, additas aut transmissas tantum se teneant, et substantiam factorum ac doctrinæ non afficiant, nihilominus liber ille est integer, prout supra exposuimus : atqui tales sunt omnes variantes quas doctor Millius notavit; iis enim non obstantibus, in quolibet exemplari et in quacumque lingua eadem leguntur facta, eadem miracula, eadem fidei dogmata, eadem morum præcepta, eadem denique doctrina : ergo.

Et vero, Millius innumera secum contulit exemplaria, innumeras versiones, innumeras ejusdem versionis editiones, innumeros codices manuscriptos, et quascumque etiam accentuum dissimilitudines minutatim recensuit : sed mirum videri non debet si in tanto diversorum exemplarium numero, tot hujus generis repertæ fuerint varietates : contrarium sine grandi miraculo advenire non potuisset, omnes enim libri, cujuscumque sint momenti et auctoritatis, tales subeunt mutationes, quæ eo frequentius contingere debuerunt quod per multa sæcula sola ope manuscriptorum multiplicari poterant exemplaria.

Unde doctissimus *Bentley*, qui præclaram Terentii dedit editionem, viginti millia varietatum observavit in diversis hujus poetæ editionibus et exemplaribus, paucis, in comparatione Millii, respectu Novi Testamenti : sic igitur concludere non dubitat : « Je suis moralement assuré que, » même sur la moitié moins d'exemplaires (que n'en a » comparé M. Mill), les variantes de ce poète monteraient » à cinquante mille. »

Nedum ingens varietatum numerus substantialia alicujus libri integritatem afficiat, illam potius confirmat; eo namque difficilior est aliquem librum substantialiter corrumpi quo in majori numero sunt ipsius exemplaria, versiones et editiones : atqui multæ varietates lectionum, versionum et editionum multitudinem exemplarium ostendunt; ubi enim unicum est exemplar, ibi nullâ esse potest lectionum diversitas : ergo.

Inst. Illæ varietates, licet ad substantiam factorum et doctrinæ non pertineant, libros divinos tamen dedecent : ergo Deus eas impedire debuisset, si prædicti libri essent divini.

R. 1º. Divinitatem librorum Novi Testamenti demonstrare hic non intendimus, illos enim consideramus velut libros historicos et humanos; veritatem monumentorum quæ in ipsis continentur duntaxat inquirimus, ut ex illis noscamus principia, dogmata et præcepta religionis Christianæ, atque valida instituere possimus argumenta ad illius veritatem et divinitatem demonstrandam : ad hæc autem necesse non est ut libri Novi Testamenti divina inspiratione fuerint scripti : merito igitur a consideratione illorum divinitate hic abstinemus.

R. 2º. Nego ant., et dico supradictas varietates libros divinos non dedecere, quia repugnat Deum eas impedire teneri; repugnat enim Deum teneri perpetuum et inutile operari miraculum : at in ea hypothesis teneretur, etc. 1º Perpetuum; hujusmodi namque varietates præcaveri non possunt absque perpetuo miraculo, præsertim cum tot exemplarium millia per multa sæcula non nisi manu fuerint scripta. 2º Illud miraculum prorsus inutile esset, siquidem varietates istæ non impediunt quin religio maneat integra. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI VERITATE.

Hic spectamus Apostolos solummodo velut scriptores humanos : humani autem scriptores majorem vel minorem mereantur fidem, pro indole aliisve qualitatibus, pro narrandi modo, natura factorum et variis circumstantiis in quibus constituuntur : quæstio est igitur an auctores librorum Novi Testamenti, horum habita ratione, omnimodam mereantur fidem in eis quæ narrant, adeo ut libri Novi Testamenti sint veri.

PROPOSITIO.

Libri Novi Testamenti sunt veri.

Prob. Illi libri sunt veri quorum auctores decepti non fuerunt, decipere noluerunt, nec decipere potuissent etiamsi voluissent: atqui librorum Novi Testamenti auctores decepti non fuerunt, decipere noluerunt, etc.

1^o *Decepti non fuerunt.* Plurimi enim homines sensati decipi non possunt circa facta sensibilia, publica et gravissimi momenti, quorum fuerunt testes saltem coevi: atqui auctores librorum Novi Testamenti sunt plurimi, nempe octo; erant valde sensati, ut constat ex ipsorum scriptis; referunt facta sensibilia, publica et gravissimi momenti, videlicet resurrectionem mortuorum, curationem aegrotorum, expulsionem daemonum, multiplicationem panum, et sexcenta hujusmodi: horum fuerunt non solum testes coevi, sed plures fuerunt testes oculati, scilicet Matthaeus, Joannes, Petrus, Jacobus, et Judas frater ejus; tres alii, Marcus, Lucas et Paulus, erant Christo coevi, millesimos viderunt discipulos et cum illis locuti sunt: porro hujusmodi testes circa talia facta decipi non potuerunt: ergo 1^o.

2^o *Decipere noluerunt.* Necessario enim fateandum est auctores qui manifestos prae se ferunt sinceritatis characteres, decipere noluisse: atqui auctores librorum Novi Testamenti manifestos, etc.; erant enim pauperes, rudes, illitterati, inculti, tardioris ingenii: non nisi ergo ridicule consilium tribueretur illis universum decipiendi orbem: morum integritate ita erant conspicui, ut nullum in eis vitium deprehendere potuerint Celsus, Porphyrius et Julianus, licet religionis Christianae hostes infensissimi; in ipsis maxima eminet modestia et singularis animi candor; suos naevos ingenue confitentur, suam animi imbecillitatem, ambitiosas contentiones olim inter eos exortas, incredulitatem a Christo sibi exprobratam: haec simpliciter referunt; innumera facta sensibus obvia, publica, gravissimi momenti, coram ingenti hominum multitudine peracta narrant; nefandam Christi mortem placido sedatoque ani-

mo scribunt; et ibi, inquit, *crucifixerunt eum*. In eos a quibus gravissime vexati fuerant, nulla jactant convicia, nihil querimoniae sibi permittunt; sed omnia nude et placide commemorant, sicut res omnino indifferentes et ad se non pertinentes.

Circumstantias locorum, temporis et personarum, fraudi detegendae, si qua fuisset, aptissimas, fideliter describunt; designant vicos, urbes, annum, mensem, diem et horam; appellant testes adhuc viventes coram quibus res quas referunt gestae sunt, nominant imperatores, reges, proconsules, praesides et pontifices sub quibus haec contigerunt: atqui evidentissime patet hujusmodi homines consilium decipiendi non inuisse.

Præterea, sanam prædicant doctrinam quam omnes semper demirati sunt: sublimia proponunt fidei dogmata quae, licet impenetrabilia, perfecte tamen sibi consentiunt, et in quibus acutissimi viri ne levissimum quidem unquam deprehendere potuerunt contradictionis indicium; perfectissimas cunctarum virtutum tradunt regulas: atqui evidenter repugnat homines rudes, incultos et illitteratos tam sublimem, perfectam, sapientem et demiramandam excogitasse doctrinam: ergo, etc. Ergo 2^o.

3^o *Decipere non potuissent etiamsi voluissent.* Impossibile est enim decipere homines coevos circa facta quae stricto subjiciuntur examini, et circa quae fraus, si qua existeret, facile detegeretur: atqui facta quae in libris Novi Testamenti referuntur stricto subjecta sunt examini, et fraus, si qua exstitisset, facile detecta fuisset.

1^o *Stricto subjecta sunt examini.* Agitur enim de factis gravissimi momenti, nempe de nova religione instituenda, quae mysteria rationi impervia, et morum præcepta cupiditatibus adversa proponit; agitur de abroganda religione Judaica, de convellenda superstitione ethnica; agitur de innumeris prodigiis stupendis, de caecis videntibus, de claudis ambulantibus, de surdis audientibus, de mutis loquentibus, de daemonibus ejectis, de mortuis ad vitam revocatis; agitur de doctrina quae nihil in praesenti vita promittit præter jejunia, fletus, carnis afflictationes, odium et ludibria

mundi, persecutiones tyrannorum, flagella, carceres, tormenta et mortem; multi tamen et Judæi et pagani hanc admiserunt doctrinam illicque tam firmiter adhererunt, ut pro ejus defensione mortem subire non dubitaverint; illam certe non admiserunt quin prius stricto examini subjecerint facta quibus veritas ejus innitebatur. Ergo 1^o.

2^o *Fraus* circa hujusmodi facta *facillime detegi potuisset*. Facillimum quippe esset detegere fraudem, si qua esset, circa facta gravissimi momenti, non in angulo vel in obscuritate peracta, sed splendida et publica; non praterita, sed coeva, et quodam modo presentia; non quedam tantum et pauca, sed innumera; non semel aut iterum acta et quasi per transennam, sed diu perseverantia, sæpius repetita coram multis testibus adhuc viventibus: atqui talia sunt facta Novi Testamenti: ergo si Apostoli ea supposuissent, statim fraus patens fuisset, et nemo ea admisisset ut vera: ergo 2^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Unde *Rousseau*, civis Genevensis, *Emile*, libr. 4: « J'avoue que la majesté des Écritures m'étonne, la sainteté de l'Évangile parle à mon cœur. Voyez les livres des philosophes, avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes? se peut-il que celui dont il fait l'histoire ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses mœurs! quelle grâce touchante dans ses instructions! quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! Ou est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire (*de Rep. Dial. 1*), couvert de tout l'opprobre du crime et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ: la ressemblance est si frappante, que tous les Pères l'ont sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quel préjugé et quel aveuglement ne faut-il pas avoir pour oser comparer le fils

de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son personnage, et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout son esprit, fut autre chose qu'un sophiste.

Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'avaient mise en pratique; il ne fit que dire ce qu'ils avaient fait; il ne fit que mettre en leçons leurs exemples. Aristide avait été juste avant que Socrate eût dit ce que c'était que la justice; Léonidas était mort pour son pays avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer la patrie; Sparte était sobre avant que Socrate eût loné la sobriété; avant qu'il eût défini la vertu, la Grèce abondait en hommes vertueux. Mais où Jésus avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure, dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus furieux fanatisme, la plus haute sagesse se fit entendre, et la simplicité des plus héroïques vertus honora le plus vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer; celle de Jésus expirant dans les tourments, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate, prenant la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jésus, au milieu d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu.

Disons-nous que l'histoire de l'Évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente; et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ. Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire, il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs Juifs n'eussent trouvé ni ce ton ni cette morale, et l'Évangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros. »

Hæc eloquens confessio viri sua impietate contra omnem revelationem notissimi, digna est ut ab omnibus memoria retineatur; ideo eam integram citare volui, licet cum illo fateri non debeamus populum Judaicum omnium populorum fuisse vilissimum. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Nulla fides adhibenda est scriptoribus qui aperte sibi contradicunt: atqui scriptores Novi Testamenti in pluribus aperte sibi contradicunt, v. g. Matthæus et Lucas suo modo referunt genealogiam Christi omnino dissimilem, et alia hujusmodi quæ interpretes secum conciliare non possunt. Ergo.

R. Nego min. Nonnullæ quidem inter Evangelistas reperiuntur discrepantiæ, difficultates et obscuritates, sicut inter diversos historiarum profanarum scriptores: hujusmodi autem discrepantiæ sinceritatem Apostolorum attestantur; si enim facta quæ narrat supposuissent, vel ex mutuo consilio, vel non: si prius, non reperirentur inter eos discrepantiæ quæ aptæ fuissent ad fraudem manifestandam; si posterius, tam perfecte secum in substantia convenire non potuissent. Ergo.

Auctores librorum Novi Testamenti facta, prout memoriae occurrunt, in magna simplicitate narrant, in temporibus diversis scripserunt: S. Matthæus, anno sexto post mortem Christi; S. Marcus, anno decimo; S. Lucas, anno decimo nono; S. Joannes, anno sexagesimo tertio, ut communiter tenetur. Unusquisque in narrando suum ordinem sequitur, suum styli, suum scribendi modum; unus has omittit circumstantias, alter eas describit; hic tale factum non refert, iste non vult illud prætergredi. His autem positis, naturaliter plures inter quatuor Evangelia existere debent discrepationes, et etiam contradictiones apparentes, quæ eo difficilius sibi conciliari possunt, quo magis ab Apostolis sumus remoti, et alieni a cognitione locorum, personarum, consuetudinum aliorumque hujusmodi, quæ ad intelligentiam narrationis factorum publicorum presentium aut cœvorum non parum

inserviebant: istiusmodi ergo difficultates nos movere non debent, sed e contra auctoritatem Evangeliorum confirmant; demonstrant enim nullam exstitisse collusionem inter Evangelistas.

Cæterum de apparentibus contradictionibus istis singulatim hic agere non debemus; pro eis recurrendum est ad Scripturæ sacræ interpretes, qui eas saltem plausible conjectura solvunt. Vide *Malidonat*, Jansenium in *Evang.*, *Calmet*, *Mauduit*, *Vence*.

Quoad duas Christi genealogias, quæ primo visu sibi oppositæ videntur, notandum S. Lucam pluribus annis post S. Matthæum scripsisse, et Evangelium ejus ignorare non potuisse; nihil ergo ipsi facilius erat quam eandem texere genealogiam; aliam tamen valde diversam ordinat: ergo contradictio est duntaxat in apparentia. Unde nec Judæi, nec pagani, nec hæretici eam in primis Ecclesiæ sæculis, ante Julianum Apostatam, objecerunt.

Juxta communiorem sententiam, S. Matthæus genealogiam Joseph descripsit, et S. Lucas genealogiam Mariæ, sicque omnis contradictionis species evanescit. Constabat Mariam de eadem tribu esse ac Joseph: unde duo Evangelistæ, utriusque genealogiam texendo, pariter ostendebant Jesum ex tribu Juda et semine David descendere. Vide dissert. *Calmet*, *Mauduit*, t. 1, et *Bullet*, *Réponses critiques*, t. 2.

Inst. Apostoli et Evangelistæ simplicitatem narrationis et apparentes contradictiones consulto fluxerunt, ut fabulas tutius persuaderent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1^o idem dici posset de omnibus aliis auctoribus historicis, sicque pyrrhonismus admittendus esset. 2^o Quicumque Evangelia aliosque Novi Testamenti libros attente legit, clare videt et quasi sentit illorum auctores styli simplicitatem et apparentes contradictiones non affectasse, ut fucum facerent; impostores enim non ita scribere solent, ut ipse *Rousseau* supra citatus asserit. 3^o Deistæ non cessant clamare Apostolos fuisse rudes et tardioris ingenii; at viri hujusmodi, in multis operibus, diversis temporibus peractis, veritatem tam solerter simu-

lare non potuissent, ut ne unum quidem fraudis indicium ipsis excidisset. 4^o Non finxissent facta publica, coetanea, coram testibus adhuc viventibus patrata. 5^o Non tam alacriter mortem subiissent pro asserendis factis quorum falsitas ipsis notissima fuisset. Ergo.

Obj. 2^o. Omnes librorum Novi Testamenti scriptores Christi erant sectatores : verum hujusmodi scriptores valde sunt suspecti. Ergo.

R. Nego min. Si enim librorum Novi Testamenti auctores ideo essent suspecti, quia Christi erant sectatores, a fortiori suspecti essent Caesar, Josephus et plures alii qui propria referunt facta ; pari ratione suspecti forent omnes auctores qui leges, consuetudines et res præclare gestas suæ gentis describunt, ac proinde nulli fere historiae profanae adhibenda esset fides : id autem non admittunt increduli : ergo.

Testimonium igitur alienius scriptoris non ideo rejiciendum est, quia ea quæ narrat ad ipsius gentem, principem, dominum aut magistrum spectant : at sedulo perpendenda sunt momenta quæ illius testimonii veritatem ostendunt : porro, si perpendatur testimonium Apostolorum, plurima statim occurrunt momenta quæ illius veritatem invincibiliter construunt ; testes enim qui in magna ingenuitate referunt facta sibi nociva, et in eorum confirmationem libenter moriuntur, fide sunt dignissimi : atqui tales sunt Apostoli, *ex supradictis*. Pariter si falsum narrassent, nemini illusissent ; attamen facta quæ narrant innumeris Judæis et paganis persuaserunt : ergo.

Obj. 3^o. Christiani non semel falsa narrarunt miracula in gratiam suæ religionis : ergo et Apostoli fingere potuerunt ea quæ narrant.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod falsa miracula quæ identidem nonnulli Christiani ex ignorantia vel ex pia fraude narraverunt, semper quædam præ se ferant suppositionis indicia, unde statim ut serio examini subjiciuntur, tanquam falsa agnoscuntur, aut saltem in legitimam falsitatis suspicionem veniunt : at nihil simile præ se ferunt miracula quæ in libris Novi

Testamenti referuntur ; contra vero, quo strictiori subjiciuntur examini, eo magis apparent vera, *ut jam diximus*. Ergo.

Aliunde falsa miracula a Christianis ex nimia credulitate quandoque narrata, sunt facta particularia ad confirmationem doctrinæ non pertinentia : error igitur in Deum refundi non potest : ergo.

Obj. 4^o. Judæi Christum persecuti sunt, illumque tanquam impostorem et malefactorem contumeliis affecerunt, ac per gravissima tormenta mortem illi intulerunt : porro, si cuncta miracula quæ in Evangeliiis narrantur essent vera, nunquam Judæi habuissent Christum ut malefactorem, nec eum tantis suppliciis affecissent, sed e contra omnes illi fidem adhibere debuissent : ergo.

R. Nego min. Constat enim homines ita constitutos esse, ut etiam apertissimas sæpe rejiciant veritates ipsorum cupiditatibus et præjudiciis adversas : atqui facta quæ in libris Novi Testamenti referuntur, cupiditatibus Judæorum eorumque præjudiciis valde adversabantur ; illi enim sibi fingebant Messiam tanquam principem potentissimum qui eos potentes redderet, suamque gentem florentissimam et super alias gentes dominantem efficeret : unum autem tale inveniebant in Christo. Arbitrabantur non licere morbos curare die sabbati : hinc habuerunt Christum ut impostorem, impium et blasphematorem ; prodigia ejus diabolo tribuebant. Pontifices, odio erga eum semel imbuti, veritatem non inquirebant, nec ad eam attendebant, et vehementi zelo populum docebant nullam illi adhibendam esse fidem : non mirum ergo si Judæi obstinatos sese monstraverint.

Idem contigerat tempore Moysis. Quamvis enim Israelitæ testes oculati fuissent miraculorum ministerio ejus patratorum, et Deum coram ipsis alloquentem audiissent, paucis tamen interjectis diebus ita facti sunt stolidi, ut vitulum aureum adorarent. Nonne nunc multi videntur homines persuasum habentes unicum peccatum mortale horrendam pœnarum aternitatem mereri, qui tamen multis hujusmodi peccatis se inquinant ? Ergo.

Præterea, multi Judæi Christum ut verum habuerunt Messiam. Nam, præter Apostolos et discipulos non paucos, qui omnes erant Judæi, tria millia una vice, et quinque altera die ad prædicationem B. Petri conversi sunt, Act. II, 41 et IV, 4 : at testimonium eorum qui crediderunt plus valet quam testimonium eorum qui non crediderunt; qui enim credebant, omnia sua præjudicia deponere tenebantur, novam religionem admittebant, obligationem cupiditates coercendi sibi imponebant : qui vero non credebant, præjudicia sua sequebantur. Ergo.

Obj. 5^o. Philo et Josephus Apostolis erant coætanei, ac proinde facta quæ in Novo Testamento referuntur non ignorassent : attamen nihil certum de illis dicunt, siquidem textus Josephi, qui profertur, a multis in dubium revocatur : ergo.

R. 1^o. Philo prædicta facta ignorare potuit. Nam 1^o sub Augusto probabilius scribebat : at verisimile est famam Christi usque ad Alexandriam, ubi Philo demorabatur, tempore Augusti non pervenisse. 2^o Omnia fere ipsius opera versantur circa explicationem Veteris Testamenti et præcepta moralia : in hujusmodi vero operibus naturaliter locus non erat de miraculis Christi et Apostolorum loquendi; hæc enim miracula imperfecte ipsi primo innotescere debuerunt cum longe abesset, et probabiliter ex mendacibus Judæorum relationibus ea didicisset : ergo in ipsa hypothesis quod post Tiberium scripserit, non mirum est si de factis quæ in Novo Testamento referuntur nihil dixerit. Aliunde ipsius silentium esset argumentum negativum : porro argumentum negativum contra rationes positivas prævalere non potest : ergo.

R. 2^o. *Nego min.* Sic enim se habet celebris Josephi textus, qui ut testimonium de miraculis Christi profertur, Antiq. lib. 18, cap. 4 : « Fuit autem hoc tempore Jesus, » vir sapiens, si tamen virum illum dicere deceat; erat » enim stupendorum operum effector et magister eorum » qui vera libenter excipiunt, ac multos quidem Judæos, » plurimos etiam Græcos ad se adduxit. Hic erat Christus; » cumque eum a primorum e nobis virorum accusatione

» cruci addixisset Pilatus, non tamen destiterunt qui ab » initio ipsum dilexerant. Apparuit enim eis tertia die re- » divivus, sicut propheta hæc aliaque quam plurima ad- » miranda de eo predixerant. Neque ad hanc usque diem » defecit denominatum ab eo Christianorum genus. » Unde sic. Authenticus est ille textus si decursu temporis operi Josephi insertus non fuerit : at rationabiliter dici non potest illum operi Josephi fuisse insertum, nam in omnibus reperitur exemplaribus etiam antiquissimis, sive impressis, sive manu scriptis; integer citatur, tanquam Josephi, ab Eusebio, a S. Hieronymo, Sophronio, Rufiniano, Sozomeno, Cedreno aliisque gravis ponderis auctoribus qui in diversis locis diversis utebantur exemplaribus, et eodem modo tamen prædictum textum legerunt : impossibile est autem in cunctis exemplaribus eum fuisse insertum, et nullum tamen suppositionis indicium unquam apparuisse : ergo. Vide longam hujus textus discussionem apud *Houtteville*, t. 2, et apud *Bailly*, de Vera Relig., t. 2.

Præterea, etiamsi concederetur hunc textum non esse authenticum, nihil contra nos sequeretur, sed, e contra, Josephi silentium facta Evangelica confirmaret, nam ignorare non potuit numerosam existere sectam hominum qui profitebantur se cujusdam Christi Jesu esse discipulos, illum ut Messiam a prophetis annuntiatum et a Judæis expectatum habebant, et miraculosa ejus opera ubique prædicabant : certe hæc naturaliter omittere non debuit, loquitur enim de Joanne Baptista ab Herode decollato, Antiq. lib. 18, cap. 7, et de Jacobo quem vocat fratrem Jesu qui dicitur Christus, lib. 20, cap. 8; eo ipso supponit se jam de Jesu locutum esse, et illum Jacobo fuisse celeberrim; loquitur etiam de variis pseudomessias qui hoc tempore prodierunt, ortum eorum, facta et finem describit : prorsus incredibile est casu fortuito Jesum sic prætermisisse, ut ne quidem verbum de operibus et discipulis ejus dixisset; silentium ejus evidenter affectatum esset. Ergo.

Inst. Eodem tempore plures auctores profani scripserunt et altum pariter servant silentium circa miracula Christi, licet aliquando de Christianis loquantur : at si miracula

Christi essent vera, ea non ignorassent, nec tacuissent: ergo.

R. 1°. Illud argumentum est negativum: ergo nullius est roboris adversus rationes positivas.

R. 2°. *Nego maj.* et dico, auctores profanos non omnino siluisse circa facta Evangelica; apud eos enim plurima leguntur quæ hæc facta mirum in modum confirmant. Sic 1° Suetonius, in Vita Vespasiani, cap. 4, testatur tempore Christi in toto orbe percrebuisse famam de proximo Messie adventu. « Percrebuerat Oriente toto, inquit, vetus et constans opinio esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. » Idem sermo habetur apud Tacitum, Hist. lib. 5, c. 13. Philosophus Chalcidius, Commentario in Timæum Platonis, extraordinariam commemorat stellam quæ in nativitate Jesu Christi visa est a Magis; Tertullianus, in Apol. ad senatum Romanum, cap. 21, declarat stupendam solis eclipsim quæ moriente Christo accidit, paganis fuisse notissimam et in publicis archivis tunc esse consignatam: « Eum mundi casum re- latum in arcanis vestris habetis. » Idem asserit Lucianus, apud Euseb., Hist. eccl. lib. 8. Celsus, Porphyrius, et præsertim Julianus Apostata, miracula Christi magicis artibus tribuunt: ergo illa saltem indirecte agnoscunt. Hæc et alia auctorum profanorum testimonia fusius legi possunt apud *Bullet, Hist. de l'établissement du Christianisme, tirée des seuls auteurs juifs et païens, et apud Houtteville, t. 2.*

Præterea, auctores profani facta Evangelica ignorare non potuerunt, siquidem fama eorum per orbem universum divulgabatur, innumeri homines ubique Christo nomen dabant, et ex Judæis vel paganis Christiani fiebant: at præfati auctores silentium non servassent circa talem errorem, quotidie latius serpentem et mundum universum inficientem, si ad illum confutandum rationes peremptorias habuissent: ergo silentium eorum facta Evangelica confirmaret.

Inst. Auctorum profanorum opera maxima ex parte perierunt: at in eis quæ perierunt forte peremptoria erant argumenta contra miracula Christi: ergo.

R. 1°. Modo objiciebant increduli auctores profanos omnino siluisse circa miracula Christi et Apostolorum; hæc dicunt periisse opera in quibus hæc facta refellebantur, sicque, pro more suo, sibi concordant religionis adversarii.

R. 2°. *Nego min.* Nam 1° cum hæc opera penitus sint ignota, nihil de illis affirmari potest; imo quo jure affirmant increduli argumenta in eis exstitisse contra miracula Christi et Apostolorum, dicere possumus splendida in illis fuisse testimonia in gratiam eorundem factorum. 2° Sancti Patres, et præsertim Origenes et Clemens Alex. plurima nobis transmiserunt fragmenta operum Celsi, Porphyrii et Juliani: in his fragmentis tam solidæ sunt quædam objectiones adversus religionem Christianam, ut nullas validiores impii adinvenire potuerint. Sancti Patres eas non dissimulant, sed illis ingenue et simpliciter expositis solide respondent: atqui non magis dissimulassent argumenta factis Evangelicis opposita, si quæ fuissent; opera enim quæ refellebant erant tunc publica et in manibus adversariorum: ea igitur truncare aut graviora eorum argumenta declinare ausi non fuissent. 3° Si in dictis operibus peremptoria exstissent argumenta contra facta Evangelica, errore sic detecto, universus mundus ea velut fabulosa abjecisset: atqui mundus ea magis ac magis admisit et credidit, non obstantibus scriptis auctorum profanorum: nihil ergo erat in illis peremptorium adversus facta Evangelica. Unde concludendum est nihil solidum contra hæc facta dici potuisse. Ex diversis igitur objectionibus istis magis elucidatur propositionis nostræ veritas: constat igitur facta Evangelica omnimoda fide digna esse.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Specialiter probaturi sumus religionem Christianam esse divinam, primum adversus Judæos, deinde adversus cæteros incredulos, quamvis utriusque generis probatio-

Christi essent vera, ea non ignorassent, nec tacuissent: ergo.

R. 1°. Illud argumentum est negativum: ergo nullius est roboris adversus rationes positivas.

R. 2°. *Nego maj.* et dico, auctores profanos non omnino siluisse circa facta Evangelica; apud eos enim plurima leguntur quæ hæc facta mirum in modum confirmant. Sic 1° Suetonius, in Vita Vespasiani, cap. 4, testatur tempore Christi in toto orbe percrebuisse famam de proximo Messie adventu. « Percrebuerat Oriente toto, inquit, vetus et constans opinio esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. » Idem sermo habetur apud Tacitum, Hist. lib. 5, c. 13. Philosophus Chalcidius, Commentario in Timæum Platonis, extraordinariam commemorat stellam quæ in nativitate Jesu Christi visa est a Magis; Tertullianus, in Apol. ad senatum Romanum, cap. 21, declarat stupendam solis eclipsim quæ moriente Christo accidit, paganis fuisse notissimam et in publicis archivis tunc esse consignatam: « Eum mundi casum re-latum in arcanis vestris habetis. » Idem asserit Lucianus, apud Euseb., Hist. eccl. lib. 8. Celsus, Porphyrius, et præsertim Julianus Apostata, miracula Christi magicis artibus tribuunt: ergo illa saltem indirecte agnoscunt. Hæc et alia auctorum profanorum testimonia fusius legi possunt apud *Bullet, Hist. de l'établissement du Christianisme, tirée des seuls auteurs juifs et païens, et apud Houtteville, t. 2.*

Præterea, auctores profani facta Evangelica ignorare non potuerunt, siquidem fama eorum per orbem universum divulgabatur, innumeri homines ubique Christo nomen dabant, et ex Judæis vel paganis Christiani fiebant: at præfati auctores silentium non servassent circa talem errorem, quotidie latius serpentem et mundum universum inficientem, si ad illum confutandum rationes peremptorias habuissent: ergo silentium eorum facta Evangelica confirmaret.

Inst. Auctorum profanorum opera maxima ex parte perierunt: at in eis quæ perierunt forte peremptoria erant argumenta contra miracula Christi: ergo.

R. 1°. Modo objiciebant increduli auctores profanos omnino siluisse circa miracula Christi et Apostolorum; hæc dicunt periisse opera in quibus hæc facta refellebantur, sicque, pro more suo, sibi concordant religionis adversarii.

R. 2°. *Nego min.* Nam 1° cum hæc opera penitus sint ignota, nihil de illis affirmari potest; imo quo jure affirmant increduli argumenta in eis exstitisse contra miracula Christi et Apostolorum, dicere possumus splendida in illis fuisse testimonia in gratiam eorundem factorum. 2° Sancti Patres, et præsertim Origenes et Clemens Alex. plurima nobis transmiserunt fragmenta operum Celsi, Porphyrii et Juliani: in his fragmentis tam solidæ sunt quædam objectiones adversus religionem Christianam, ut nullas validiores impii adinvenire potuerint. Sancti Patres eas non dissimulant, sed illis ingenue et simpliciter expositis solide respondent: atqui non magis dissimulassent argumenta factis Evangelicis opposita, si quæ fuissent; opera enim quæ refellebant erant tunc publica et in manibus adversariorum: ea igitur truncare aut graviora eorum argumenta declinare ausi non fuissent. 3° Si in dictis operibus peremptoria exstissent argumenta contra facta Evangelica, errore sic detecto, universus mundus ea velut fabulosa abjecisset: atqui mundus ea magis ac magis admisit et credidit, non obstantibus scriptis auctorum profanorum: nihil ergo erat in illis peremptorium adversus facta Evangelica. Unde concludendum est nihil solidum contra hæc facta dici potuisse. Ex diversis igitur objectionibus istis magis elucidatur propositionis nostræ veritas: constat igitur facta Evangelica omnimoda fide digna esse.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Specialiter probaturi sumus religionem Christianam esse divinam, primum adversus Judæos, deinde adversus cæteros incredulos, quamvis utriusque generis probatio-

nes eandem veritatem respectu omnium demonstrent; religio enim non est vera relative, sed absolute.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS JUDÆOS.

Præcipuæ religionis nostræ probationes quibus uti possumus adversus Judæos, deducuntur 1^o ex oraculis Prophetarum quos agnoscunt et venerantur; 2^o ex comparatione inter miracula Christi et miracula Moysis; 3^o ex connexionione religionis Christianæ cum religione Judaica; 4^o ex ultima clade Judæorum et presenti eorum statu.

§ I. — De oraculis Prophetarum Veteris Testamenti, quos agnoscunt et venerantur Judæi.

Ex Veteris Testamenti prophetiis ostendimus legem Moysis fuisse abrogandam, et novum fœdus illi substituendum per ministerium alienius mediatoris: si ergo demonstretur Jesum Christum esse mediatorem a Prophetis annuntiatum, eo ipso constabit religionem ab eo fundatam esse novum fœdus olim promissum, proindeque divinam: at pluribus argumentis, ex oraculis Prophetarum deductis, probatur Jesum Christum esse mediatorem seu Messiam annuntiatum.

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex oraculis Jacob, Danielis, Aggæi et Malachie.*

In oraculis quatuor illorum Prophetarum Messias prænuntiatur, et tempus adventus ejus describitur, *ut supra probavimus*. Messias autem in his oraculis prænuntiatus, est Jesus Christus, si cuncti characteres quibus designatur Christo et soli Christo competant: at cuncti characteres quibus in prædictis oraculis designatur Messias, Christo et soli Christo competunt; quod paucis verbis ostensuri sumus.

De prophetia Jacob.

Ex celebri illa sancti Patriarchæ prophetia, Messias venire debuit antequam sceptrum vel præ eminentia tribus

auferretur de Juda, vel eo circiter tempore quo omnis præ eminentia hujus tribus cessare debebat, vel saltem hæc præ eminentia diu cessare non debuit antequam Messias veniret; in Messia venturo omnes benedicendæ vel ad ipsum congregandæ sunt nationes: porro insignes hujusmodi characteres in Christo reperiuntur; certum est enim circa illius adventum omnem potestatem omnemque præcellentiam tribus Judæ cessasse, sceptrum proprie dictum jam cessaverat quando Judæa sub Pompeio facta fuerat provincia Romana, versus annum 63 ante Christum, aut saltem quando Herodes Magnus, Idumæus, hujus regionis principatum cum nomine regis, anno 40 ante Christum, obtinuit, Ant. Jud. l. 14, c. 26; hanc veritatem ipsi publice confessi sunt Judæi, cum exclamaverunt, dicentes: *Non habemus regem nisi Cæsarem*, Joan. XIX, 15: *Nobis non licet interficere quemquam*, ibid. XVIII, 31. Attamen, uti supra diximus, tunc etiam erant gens completa et distincta, ideo suprema potestate gaudens. Verum, quidquid sit, omnis præ eminentia tribus Judæ penitus evanuit in excidio Hierosolymitano, sub Vespasiano; tunc quippe templum fuit combustum, urbs eversa et tota gens destructa. Mediante Christo, omnes gentes e densissimis idololatriæ tenebris exsurgentes, ad ipsum conversæ sunt, in ipso speraverunt, in ipso benedictæ sunt: nullus autem alius profertur in quo illi Messie characteres reperiri queant. Ergo.

De prophetia Danielis.

Juxta Danielis prophetiam, Messias futurus est *Sanctus sanctorum, Christus dux*; per ipsum consummanda est *prævaricatio*, finem accepturum est *peccatum*, adducenda est *justitia sempiterna*: in ipso implendæ sunt *visio et prophetia*; *occidendus est, et non erit populus ejus qui negaturus est*; vel, ut fert textus Hebraicus, *occidendus est non sibi*; confirmare debet pactum multis hebdomada una; in medio hebdomadis deficere debent hostia et sacrificium; *et ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*, septuaginta numerandæ sunt hebdomades. Porro cuncti Messie characteres optime in Christo et in solo Chri-

sto inveniuntur; præcipua enim difficultas est circa septuaginta hebdomades, quæ ab exitu sermonis, etc., usque ad Messiam impleri debent: atqui septuaginta hebdomades facile numerari possunt ab exitu sermonis, etc., usque ad Christum. Per illum sermonem intelligendum est edictum a rege Persarum emissum, ut iterum ædificaretur Jerusalem, sub Nabuchodonosor destructa, Quatuor autem munerantur regum Persarum edicta de templi et urbis Jerusalem exstructione, scilicet: primum Cyri, de quo fit mentio I Esdræ, I, anno ante baptismum Christi 566; secundum Darii Hystaspidis, quod ibidem, cap. VI, describitur, ante baptismum Christi anno 549; tertium est Artaxerxis Longimani, anno regni ejus septimo, ante Christum 457, et ibidem, c. VII, refertur; quartum ab eodem Artaxerce editum fuit anno regni ejus vigesimo, II Esdr. II, ante baptismum Christi, ex probatissimis chronologiæ calculis, 475, ante æram vulgarem 445.

Investigandum est igitur quodnam ex quatuor illis edictis sit sermo de quo propheta Daniel loquitur. Non est primum; solius enim templi restorationem permittit, et nihil dicit de urbe et mœnibus ejus. Secundum est tantummodo primi confirmatio, ut videre est in capite VI libri I Esdræ. Tertium optime quadrat cum septuaginta hebdomadis Danielis propheta; septimus enim regni Artaxerxis annus respondet anno 457 ante nativitatem Christi: si huic numero 53 addantur anni quibus vixisse communiter creditur Christus, habetur 490, numerus septuaginta hebdomadam annorum. Verum in illo edicto nulla etiam fit mentio de urbe et mœnibus ejus, sed tantum de libertate concessa Esdræ redeundi in Jerusalem, et secum eos ducendi de populo Israel et de sacerdotibus quibus in placuerit, de sacrificiis Deo cœli offerendis, de auro, argento et vasis necessariis, etc. Non videtur igitur sermo ut iterum ædificetur Jerusalem. Quartum ejusdem regis edictum ipsam urbis exstructionem, portas et muros habet pro objecto, II Esdr. II: probabilius ergo hoc est edictum a Daniele annuntiatum, ut multo communius censent eruditi: at illud prodit anno vigesimo Artaxerxis, et 445

ante Christum: si huic numero triginta tres adjiciantur anni, 478 erunt anni inter exitum hujus edicti seu sermonis et mortem Christi: 490 autem requiruntur ut septuaginta compleantur hebdomades; eum Christus occidi debuit in medio ultimæ hebdomadis, tres, quatuor aut quinque anni numero 478 addi possunt, septem igitur vel octo supersunt anni qui impediunt ne adamussim computati 490 reperiantur anni, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad mortem Christi. Porro error tam parvus in obscura chronologiæ materia pro nihilo reputari debet, ut illust. ait Bossuet, Hist. univ. part. 2, c. 9: « Il n'y » aurait rien de surprenant quand il se trouverait quelque » incertitude dans les dates des rois de Perse; et le peu » d'années dont on pourrait disputer sur un compte de » 490 ans, ne feront jamais une importante question. Mais » pourquoi discourir davantage? Dieu a tranché la difficulté, s'il y en avait, par une décision sans réplique. Un » événement manifeste nous met au-dessus de tous les » raffinements des chronologistes; et la ruine totale des » Juifs, qui a suivi de si près la mort de notre Seigneur, » fait entendre aux moins clairvoyants l'accomplissement » de la prophétie. »

Aliunde non sibi consentiunt chronographi circa initium regni Artaxerxis, nec circa annum nativitatis Christi, nec circa tempus quo in terra vixit. Hinc idem Bossuet, 1^{re} part. 10^e époque, ibid.: « On n'aurait pas besoin » de tant de justesse, et rien ne force à prendre dans cette » extrême rigueur le milieu marqué par Daniel: les plus » difficiles se contenteraient de le trouver en quelque point » que ce fût entre les deux extrémités; ce que je dis, afin » que ceux qui croiraient avoir des raisons pour mettre » un peu plus haut ou un plus bas le commencement » d'Artaxerce, ou la mort de notre Seigneur, ne se gênent » pas dans leur calcul, et que ceux qui voudraient embar- » rasser une chose claire par des chicanes de chronologie, » se défassent de leur inutile subtilité. » Accurate igitur numerantur septuaginta hebdomades ab exitu sermonis, etc., usque ad mortem Christi.

Cæteri vero Messiae characteres a Daniele depicti, eadem perfectione competunt Christo, qui dicitur et ex operibus suis ostenditur *Sanctus sanctorum*: destruxit prævaricationem et peccatum, adduxit justitiam sempiternam, in ipso impletæ sunt visio et prophetiæ; occisus pro populo, ab illo negatus est: pactum pro multis confirmavit, deseruerunt hostia et sacrificium legis, etc. Ergo.

De Aggæi et Malachiæ prophetiis.

Juxta Aggæi et Malachiæ prophetias, Messias visitare et illustrare debet templum a Zorobabel ædificatum, præcursor ante faciem ejus ibit et viam præparabit; in ipsius adventu commovenda sunt cælum et terra, mare et arida; cunctis gentibus futurus est *desideratus et pax*, etc. Atqui hæc impleta sunt in Christo: præcursorem enim habuit Joannem Baptistam; in ipsius adventu, commota sunt cælum et terra, mare et arida, tum per ejusdem miracula, tum per idolorum eversionem et omnium populorum conversionem. Secundum visitavit templum, illudque sua presentia illustravit et sanctificandum jussit, tum verbis, tum actionibus; novum instituit sacrificium quod in omni loco nomini Dei offertur, Malachiæ 1, 11; *est pax et desideratus cunctis gentibus*, siquidem eas de tenebris eduxit, suo lumine recreavit, sua gratia sanctificavit: stupendam enim operatus est in mundo conversionem: omnes igitur characteres qui in dictis prophetiis de Messia prædicantur, apprimè Christo competunt. Illi autem soli competunt, Judæi namque et celebriores rabbini frustra desudarunt ut aliquem invenirent hominem, a Christo diversum, cui hos Messiae characteres applicare possent; in varias abierunt sententias variasque finxerunt hypotheses ex adverso pugnantes et se invicem destruentes. Ergo.

Dices: Herodes templum a Zorobabel ædificatum demolivit, et aliud multo majus et perfectius, intra quadraginta sex annos, Joan. 11, 20, summis impensis extruxit, Joseph. Antiq. Jud. l. 15, c. 14: ergo Christus visitare non potuit templum a Zorobabel ædificatum.

R. Nego conseq. Quamvis enim legatur apud Josephum, loco citato, Herodem vetus templum usque ad fundamenta demoliri jussisse, ut aliud multo splendidiore modo exstrueretur, non censetur tamen novum reipsa ædificasse: ita saltem judicaverunt Judæi, qui in historiis suis illud vocant secundum, et aliud quod fingunt a Messia ædificandum appellant tertium; deberent tamen illud vocare quartum. Ipse Josephus, de Bello Judaico, l. 6, cap. 18, destructionem ingentis et exornatissimi hujus ædificii narrans, dicit illud ab Aggæo 639 annis et 45 diebus antea fuisse constructum: æstimat ergo ille scriptor templum ab Herode instauratum, a templo Zorobabel non fuisse diversum: ergo Christus templum Zorobabel visitavit et gloria presentiae sue illustravit. Ergo.

ARGUMENTUM SECUNDUM. — *Ex prophetiis quæ Messiae originem et nativitatem respiciunt.*

1^o Messias ex Abraham, Isaac et Jacob, ex tribu Juda, e familia David, descendere debebat, ut pluribus in locis prædicitur et ipsi Judæi confitentur: atqui constat Christum ex tribu Juda, ex David, Jacob, Isaac et Abraham descendere, nempe ex utraque ejus genealogia a S. Matthæo et S. Luca descripta, et nunquam a Judæis in dubium revocata.

2^o Messias in Bethleem Juda nasciturus erat, ex Michææ 5, 2: *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.... Et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini.... et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax.* In illa enim prophetia Messias designatur, siquidem ille solus sub his characteribus designari potest, ut ipsi olim confessi sunt Judæi, Matth. 2, 6 et 16: atqui Christus natus est in Bethleem Juda, ut Apostoli et Evangelistæ scripserunt, Judæis non contradicentibus; fuit pax in populis, magnificatus est usque ad terminos terræ, ad ipsum conversæ sunt

gentes, stat et pascit in fortitudine Domini, etc. Ergo.

3^o Ex virgine ortum Messias mirabiliter habere debebat, Isai. vii, 14: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Constat autem Christum de virgine mirabiliter et absque concursu hominis natum esse: id testatur Maria quæ asserit, Luc. i, 34, se virum non cognoscere, et Josephi, qui nolens eam velut adulteram traducere, voluit occulte dimittere eam, Matth. i, 19, idem expresse testantur Evangelistæ, v. g. S. Matth. i, 18 et 25. Sola igitur difficultas est, utrum in illo textu Isaia, *Ecce virgo concipiet, etc.*, vere de Messia agatur; at in illo textu de Messia vere agitur. Nam 1^o S. Matth. i, 22 et 23, illum sic interpretatur. 2^o Filius de virgine conceptus et natus vocatur Emmanuel, et infra, cap. ix, 6, dicitur de illo quod sit Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi et Princeps pacis, quod super humerum ejus sit principatus: atqui hæc attributa proprie convenire non possunt nisi Messia. 3^o Conceptio et nati- vitas pueri hic promissi annuntiatur tanquam signum divinum et extraordinarium: nullum vero esset signum nec prodigium in eo quod adolescentula viro conjuncta ^{etiam per viam naturalem conciperet et pareret.} 4^o Vox Hebræa *alma* virginem puram, integram, a viris abscon- sam significat, illamque sic verterunt Septuaginta inter- pretes et Chaldæi: ergo in ea prophetia prædicatur Messias.

Attamen Judæi communiter arbitrantur vocem He- bræam esse ambiguum, et tam juvenulam quam virginem significare posse; illam per juvenulam interpretantur Symmachus, Aquila et Theodotio, in suis versionibus Græcis; hodierni rabbini pertinaciter negant in illo textu de Messia sermonem haberi. Quamvis in illo puncto illis subscribere non debeamus, cum difficile vincantur, et per tempus nobis non liceat cum illis contendere, pro ista controversia remittimus ad dissert. D. Calmet, ad Bossuet, Duguet, Berthier et alios Scripturæ sacræ commentatores qui in caput vii Isaia scripserunt. Vide etiam P. Perrone, de Incarn.

ARGUMENTUM TERTIUM. — Ex prophetiis quæ ad vitam, passionem et mortem Messia spectant.

1^o Messias habere debuit præcursorem ad vias ejus præparandas: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, Is. xl, 3; et Malach. iii, 1: *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam*: porro Christus tam splendidum habuit præcursorem in persona Joannis Baptistæ, ut legationem miserint Judæi ad eum interrogandum an esset Messias, Matth. iii, 3; Luc. iii, 4; Joan. i, 23.

2^o Totum caput liii Isaia de Messia intelligendum est, et Judæi, qui in alium sensum illud detorquere voluerunt, nihil nisi intricatum, tenebrosum et absurdum dicere potuerunt: at in illo capite historia passionum Christi describitur, Matth. viii, 17; Act. viii, 32, etc.

3^o Zacharias de Messia sic habet, ix, 9: *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae.* Matth. xxi, 5; Joan. xii, etc. et xi, 12: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appreciatus sum ab eis*: hæc autem in Christo litteraliter adimpleta sunt, Matth. xxvii, 9.

4^o Sic loquitur Messias apud David, Ps. xxi, 7: *Ego sum vermis, et non homo.... Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput; et ꝑ. 18: Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem; Ps. lxxviii, 22: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*: atqui de verbo ad verbum hæc in passione Christi contigerunt, Matth. xxvii, Joan. xix, et nullus designari potest homo cui similiter conveniant: ergo.

ARGUMENTUM QUARTUM. — Ex prophetiis quæ Messiam resurrectionem, triumphum et gentium conversionem prænuntiant.

1^o Si passio, ignominia et mors Messia prænuntiata

fuerant, non minus clare annuntiata fuerat ipsius resurrectionis. Isaïæ xi, 10 : *Ipsam gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum*; Ps. xv, 10, et Act. ii, 13 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

2^o Ascensio pariter annuntiata fuerat. Ps. lxxvii, 17 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*, Eph. iv, 8; et Ps. cix : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis*. Porro diversæ illæ prophetiæ naturaliter de Christo explicantur; de nullo vero alio recte explicari possunt : ergo. Vid. Matth. xxii, 43; Luc. xx, 42.

3^o Deus per Ezechielem, xxxvi, 26, prædixerat, dicens : *Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri....* Et per Joel, ii, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae..... Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum*. Atqui duæ illæ prophetiæ accurate complete sunt in die Pentecostes, quando Spiritus sanctus corporali specie in Apostolos descendit, et in aliis circumstantiis in quibus ipsius effectus modo sensibili apparuerunt, Act. ii, 17.

4^o Juxta diversos Prophetas, Messias futurus erat desideratus, expectatio, dux, salvator gentium; gentes in eo benedicendæ erant, et in lumine ejus ambulare debebant; ipse autem earum legislator esse debebat, Is. lxy, 4, et lx, 3 : verum omnes illæ qualitates Christo et soli Christo perfecte conveniunt; ipsius enim ministerio Dei notitia universam inundavit terram, et omnes gentes in eo benedictionem acceperunt : ergo.

Multæ adhuc sunt aliæ prophetiæ plus minusve claræ, quæ similem applicationem habent in Christo : eas unusquisque videre potest apud D. Huet, *prop. 7*, vel apud varios Scripturæ sacræ interpretes : porro impossibile est tot prophetas adeo punctualiter casu fortuito in Christo fuisse impletas : non minus impossibile est aliquem impostorem ita se gessisse, ut cunctis divinatorum oraculorum dispositionibus se conformaverit : ex diversis ergo prophe-

tiis constat Christum esse Messiam, ac proinde ipsius religionem esse divinam.

§ II.—De comparatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis.

Religionem Mosaicam admittunt Judæi ut divinam, quia persuasum habent divina esse miracula a Moysè patrata et in Pentateucho descripta : similiter igitur confiteri debent divinam esse religionem Christianam, si clare ipsis ostendantur miracula Christi eandem mereri fidem quam miracula Moysis : porro clare ostendere possumus miracula Christi eandem mereri fidem quam miracula Moysis.

PROPOSITIO.

Miracula Christi non minus sunt certa quam miracula Moysis.

Prob. 1^o Miracula Christi non minus certa sunt quam miracula Moysis, si dubium æque sit impossibile : atqui dubium æque impossibile est circa miracula Christi quam circa miracula Moysis; si quædam enim essent motiva dubitandi, repeterentur vel ex parte auctoris, vel ex parte testium, vel ex parte traditionis; at sub triplici hoc respectu tam impossibile est de miraculis Christi dubitare quam de miraculis Moysis.

1^o *Ex parte auctoris*. Moyses enim manifestos quidem sinceritatis et veritatis characteres præbet, ut ostendimus : at Christus, in paupertate natus, externo habitu despectus, in officina patris vitam degens, per triginta annos ut filius fabri reputatus, non minores sinceritatis et veracitatis characteres præbet : nulla quippe suspicio fraudis magis in hujusmodi hominem quam in Moysen cadere potest.

Imo, Moyses pluribus beneficiis affectionem Judæorum sibi conciliaverat, eos a dura servitute liberaverat, bona temporalia eis promittebat, gravissimas minabatur pœnas easque interdum infligebat : Christus vero apparet pauper, humilis, abjectus, omni ope et favore destitutus, sacerdotibus et magistratibus invisus; mercedem quidem annuntiât, sed in cœlo percipiendam; in præsentī vero vita nihil

fuerant, non minus clare annuntiata fuerat ipsius resurrectionis. Isaïæ xi, 10 : *Ipsam gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum*; Ps. xv, 10, et Act. ii, 13 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

2^o Ascensio pariter annuntiata fuerat. Ps. lxxvii, 17 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*, Eph. iv, 8; et Ps. cix : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis*. Porro diversæ illæ prophetiæ naturaliter de Christo explicantur; de nullo vero alio recte explicari possunt : ergo. Vid. Matth. xxii, 43; Luc. xx, 42.

3^o Deus per Ezechielem, xxxvi, 26, prædixerat, dicens : *Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri....* Et per Joel, ii, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae..... Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum*. Atqui duæ illæ prophetiæ accurate complete sunt in die Pentecostes, quando Spiritus sanctus corporali specie in Apostolos descendit, et in aliis circumstantiis in quibus ipsius effectus modo sensibili apparuerunt, Act. ii, 17.

4^o Juxta diversos Prophetas, Messias futurus erat desideratus, expectatio, dux, salvator gentium; gentes in eo benedicendæ erant, et in lumine ejus ambulare debebant; ipse autem earum legislator esse debebat, Is. lxy, 4, et lx, 3 : verum omnes illæ qualitates Christo et soli Christo perfecte conveniunt; ipsius enim ministerio Dei notitia universam inundavit terram, et omnes gentes in eo benedictionem acceperunt : ergo.

Multæ adhuc sunt aliæ prophetiæ plus minusve claræ, quæ similem applicationem habent in Christo : eas unusquisque videre potest apud D. Huet, *prop. 7*, vel apud varios Scripturæ sacræ interpretes : porro impossibile est tot prophetas adeo punctualiter casu fortuito in Christo fuisse impletas : non minus impossibile est aliquem impostorem ita se gessisse, ut cunctis divinatorum oraculorum dispositionibus se conformaverit : ex diversis ergo prophe-

tiis constat Christum esse Messiam, ac proinde ipsius religionem esse divinam.

§ II.—De comparatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis.

Religionem Mosaicam admittunt Judæi ut divinam, quia persuasum habent divina esse miracula a Moysè patrata et in Pentateucho descripta : similiter igitur confiteri debent divinam esse religionem Christianam, si clare ipsis ostendantur miracula Christi eandem mereri fidem quam miracula Moysis : porro clare ostendere possumus miracula Christi eandem mereri fidem quam miracula Moysis.

PROPOSITIO.

Miracula Christi non minus sunt certa quam miracula Moysis.

Prob. 1^o. Miracula Christi non minus certa sunt quam miracula Moysis, si dubium æque sit impossibile : atqui dubium æque impossibile est circa miracula Christi quam circa miracula Moysis; si quædam enim essent motiva dubitandi, repeterentur vel ex parte auctoris, vel ex parte testium, vel ex parte traditionis; at sub triplici hoc respectu tam impossibile est de miraculis Christi dubitare quam de miraculis Moysis.

1^o *Ex parte auctoris*. Moyses enim manifestos quidem sinceritatis et veritatis characteres præbet, ut ostendimus : at Christus, in paupertate natus, externo habitu despectus, in officina patris vitam degens, per triginta annos ut filius fabri reputatus, non minores sinceritatis et veracitatis characteres præbet : nulla quippe suspicio fraudis magis in hujusmodi hominem quam in Moysen cadere potest.

Imo, Moyses pluribus beneficiis affectionem Judæorum sibi conciliaverat, eos a dura servitute liberaverat, bona temporalia eis promittebat, gravissimas minabatur pœnas easque interdum infligebat : Christus vero apparet pauper, humilis, abjectus, omni ope et favore destitutus, sacerdotibus et magistratibus invisus; mercedem quidem annuntiât, sed in cœlo percipiendam; in præsentī vero vita nihil

sectatoribus suis promittit, nisi probra, ignominias, odia, persecutiones, supplicia, mortem. Ergo.

2^o *Ex parte testium.* Testes enim miraculorum Moyses fuerunt Judæi, Ægyptii et Idumæi, qui omnes decipi non potuerunt, decipere noluerunt, nec decipere potuissent etiamsi voluissent: sed testes miraculorum Christi, qui fuerunt Judæi et Gentiles, non magis decepti aut deceptores esse potuerunt: non solum facta miraculosa testati sunt, sed in eorum confirmationem omnes suppliciis et morti se devoverunt: porro nulli testes majorem merentur fidem. Ergo.

3^o *Ex parte traditionis.* Nam 1^o Pentateuchi unicus fuit auctor: octo sunt auctores librorum Novi Testamenti. 2^o Ex Judæorum adversariis soli Samaritani Pentateuchum admittebant: innumera secta, tum a se invicem, tum a catholicis dissentientes, circa veritatem et integritatem librorum Novi Testamenti secum et nobis consentiunt. 3^o Quando scripsit Moyses, rudes adhuc et illitterati erant homines: quando vero scripserunt Apostoli, scientiæ et artes ubique vigebant. Ergo, etc.

Prob. 2^a. Illa miracula eandem saltem merentur fidem quæ numero, splendore, communicatione, modo, universalitate et effectibus, aliis licet veris præstant, aut saltem æquivalent: atqui talia sunt miracula Christi respectu miraculorum Moysis.

1^o *Numero.* Quamvis enim Moyses multa patrauerit miracula, plura tamen patrauit Christus, ut ex Pentateuchi et Evangelii lectione patet.

2^o *Splendore.* Christus enim omne genus morborum curavit, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum restituit, supra mare ambulavit, panes multiplicavit, ventis imperavit, mortuos suscitavit, et, quod majus est, propria virtute tertia die post mortem suam revixit: atqui Moyses certe non majora fecit miracula.

3^o *Communicatione.* Non tantum enim Christus miracula patrauit, sed facultatem alia similiter patrandi Apostolis et discipulis suis communicavit. *Infermos curate*, inquit apud Matth. x, 8, *mortuos suscite, leprosos mundate,*

dæmones ejicite; ex libro Actuum Apostolorum constat hanc promissionem non fuisse vanam: Moyses autem multa ipse patrauit miracula, sed nemini facultatem alia patrandi communicavit.

4^o *Modo.* Quoties namque volebat Christus et quomodo volebat miracula operabatur, sive præsens, sive absens, sive verbo, sive signo, sive solo voluntatis nutu: Moyses vero nulla unquam operatus est miracula nisi præsens, aliquo signo externo, et ordinarie ab ipso Deo determinato!

5^o *Universalitate.* Christus enim in omnem naturam supremam exercuit potestatem, in mare, in terram, in arbores, in elementa, in morbos, in vitam, in mortem; non in corpora tantum, sed in animas; non in homines duntaxat, sed in dæmones qui ad illius præsentiam supplices erant et tremebundi, quosque reluctantes et invitos et corporibus obsessis ejiciebat et in profunda detrucebat tartara, ut ipsi confitebantur: *Venisti ante tempus torquere nos*, Matth. viii, 29: tam varia autem non fuerunt miracula a Moysse patrata.

6^o *Denique effectibus.* Licet enim splendida et publica fuerint Moysis miracula, nulla tamen gens ethnica ope illorum ad religionem Judaicam fuit adducta: contra vero tam efficacia fuerunt Christi miracula, ut idololatriam ubique penitus everterint, et universum orbem, reluctantibus cunctis cupiditatibus et frementibus terrenis atque infernis potestatibus, ad Christianam religionem adduxerint. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Miracula Moysis a Judæis et a Christianis admittuntur: miracula vero Christi a solis Christianis: ergo.

R. Nego conseq. Quamvis enim inter Judæos et Christianos de miraculis Moysis non disputetur et lis circa miracula Christi moveatur, non sequitur hæc prioribus minus esse certa: nam fieri potest ut inter litigantes res aliqua ab utraque parte admittatur, licet magis non sit certa quam ea de qua litigatur, nempe quando utriusque partis interest ut admittatur: porro Christianorum sicut et Judæorum interest ut miracula Moysis admittantur, Judæorum vero

refert quod miracula Christi sint falsa : non mirum ergo si, prioribus ab utraque parte admissis, de posterioribus licet non minus certis disputetur. Itaque non quærendum est an hæc vel illa miracula a pluribus vel a paucioribus hominibus admittantur, ut merito de illorum certitudine judicetur, sed attendendum ad vera eorum motiva : at *probavimus* miracula Christi miraculis Moysis sub omni respectu saltem æquivalere. Ergo.

Obj. 2º. Numquam admittenda sunt miracula aliis veris miraculis opposita : at miracula Christi miraculis Moysis opponuntur : ergo.

R. Nego min. Miracula enim Christi miraculis Moysis non sunt opposita, si doctrina Christi nullo modo doctrinæ Moysis opponatur : at doctrina Christi nullo modo doctrinæ Moysis opponitur, sed illam perficit, implet et confirmat ; mirabilis namque inter utriusque Testamenti doctrinam percipitur harmonia et concordia : ergo.

§ III. — De mira connexionione religionis Christianæ cum religione Mosaica.

Probavimus multas Veteris Testamenti prophetias accuratissime in Christo fuisse impletas ; certum est illam consensionem casui fortuito aut male fidei tribui non posse. Sed pluribus in aliis punctis mirabilis deprehenditur connexio inter utrumque Testamentum ; in utroque enim pura, sancta et perfecta est doctrina, minus tamen perfecta in Veteri et perfectior in Novo ; in multis figuris Christus adumbratur et mysteria ejus depinguntur. Sic 1º Isaac ex muliere sterili per miraculum concipitur, Christus ex virgine ; in Isaac omnes gentes benedicendæ sunt, in Christo ab Isaac descendente omnes de facto benedicuntur ; Isaac immolandus lignum sacrificii sui in montem Moria super humeris portat, Christus ad mortem damnatus crucem bajulat in Calvariæ locum, qui est mons Moria : Joseph a fratribus venditur, et illorum omnisque terræ fit salvator ; Christus a contribulibus damnatur, occiditur, et fit omnium salvator : Melchisedech, sacerdos Domini, oblationem panis et vini præsentat ; Christus corporis et

sanguinis sui sacrificium sub speciebus panis et vini instituit. Sic 2º Agnus paschalis mactatur, sed nullum os ejus comminuitur : ita Christus a B. Joanne Baptista vocatur *Agnus* ; velut agnus in paschate immolatur, et nullum os ejus confringitur : manna e coelo divinitus immissa populum mirabiliter nutrit in deserto ; Christus de coelo descendens mirabilis corpus et sanguinem suum in sacramento vere et realiter nobis præstat in cibum : serpens æneus in deserto exaltatus sanat Hebræos illum aspicientes ; Christus in cruce affixus gratia sua mundat eos qui viva fide ipsum aspiciunt ; rupes percussa largas emittit aquas ; Christus in latere percussus sanguinem et aquam dedit in remissionem peccatorum : varia offeruntur sacrificia, agnorum, hircorum, vaccæ rufæ, etc. ; in expiationem peccatorum multæ præcipiuntur corporeæ mundationes : sanguis autem et agnorum et hircorum auferre non poterat peccata ; corporeæ mundationes animæ sortes non diluebant ; ergo hæc erant figuræ. At illæ aliæque figuræ numero infinitæ apprime completæ sunt in Christo ; nonnullas tantum ex hujusmodi figuris quasi per transennam notavimus ; totum enim Vetus Testamentum sive in personis, siye in rebus, sive in eventibus et factis est velut ingens tabella in qua omnes Christi actiones, omnia ipsius facta, omnia sacramenta evidenter depinguntur : porro insanæ mentis esset dicere hæc casu fortuito contigisse ; solus enim Deus potuit ea sic coordinare, disponere, adducere et perficere ; ergo religio Christiana necessarium est religionis Mosaicæ complementum : ergo est divina.

Qui mirabilem hunc inter utramque religionem concentum fusius evolutum legere intenderit, exquisitum adeat opus D. *Huet*, Abrincensis episc., vel etiam ornatisimum opus gallicum *le Comte de Valmont*, etc.

§ IV. — De ultima clade Judæorum et præsentis eorum statu.

PROPOSITIO.

Ex ultima clade Judæorum et præsentis eorum statu probatur divinam esse religionem Christianam.

Prob. Populus Israeliticus erat dilectus Deo et specialis

ipsius hæreditas : promissæ illi fuerant pax, tranquillitas sempiterna, terræ Chanaan possessio, victoria de hostibus perfecta, denique temporalis felicitas, si fidelis erga Deum permaneret : hæc passim in Pentateucho leguntur, præsertim in Deu teronomio et in Prophetis, nec a Judæis negantur. Nunc autem ille populus omnis generis calamitatibus et miseriis a decem et octo sæculis subjacet; e patria ejectus, per orbem universum dispersus, in servitutem redactus, cunctis gentibus opprobrium et derisio factus est. *Unde sic argumentari licet* : Vel promissiones divinæ falsæ sint necesse est, vel Judæi propter grande aliquod scelus affliguntur : at prius dici non potest, et ipsi Judæi illud velut impietatem rejiciunt : ergo propter grande aliquod scelus affliguntur : porro grande hoc scelus aliud esse nequit præter rejectionem et occisionem Messie in persona Christi; æquitas enim exigit ut pœna delicto sit proportionata; pœna igitur omnium gravissima gravissimum supponit delictum : at nullum in Judæis inveniri potest hujusmodi delictum præter rejectionem et occisionem Messie in persona Christi; hoc enim aliud delictum esset vel idololatria, vel gravis altera legis Mosaicæ infractio : atqui neutrum dici potest.

1^o *Non idololatria*; nec enim in Scripturis, nec in historia profana legitur gentem Judaicam in idololatriam prolapsam fuisse a reditu ex captivitate Babylonis. 2^o *Non gravis alia legis Mosaicæ infractio*; nam ab illo tempore multo accuratius quam antea legem Mosaicam observaverunt, et etiam nunc plurimi, quantum fieri potest, illam observant; his autem nostris temporibus multi inter eos nonnisi origine et nomine Judæi sunt et cum rationalistis sapiunt. Ergo.

Aliunde, quoties Judæi in idololatriam vel in gravia alterius generis crimina prolapsi sunt, nunquam tam graves et tam longas subierunt pœnas. Nam 1^o ipsa Babylonis captivitas nonnisi septuaginta fuit annorum. 2^o Quoties sub manu Domini se humiliabant et ad ipsum suppliciter clamabant, statim a pœnis misericorditer eximebantur. 3^o Frequenter Deus mittebat Prophetas qui eos in afflic-

tionibus consolarentur, ut constat ex Scripturis : Judæi vero a tot sæculis sunt captivi et omni spe redeundi in patriam destituti, in miseria sua ingemiscunt, clamant ad Dominum, legem ejus observant, nec tamen exaudiuntur : ergo crimen eorum non est idololatria, nec alia legis infractio. Ergo. Hinc Prophetæ futuram Judæorum cladem soli Messie rejectioni et ejus occisioni tribuebant, præsertim Daniel, cap. ix, 26.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o Non ex odio, sed ex ignorantia Judæi occiderunt Christum, ut ipse testatur, Luc. xxiii, 34 : *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciant*; et B. Paulus, I Cor. ii, 8 : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. At culpa ex ignorantia commissa non tantam meretur pœnam. Ergo.

R. Nego maj., et dico Judæos Christum occidisse non tantum ex ignorantia vincibili, quæ tamen a culpa non excusat, sed etiam ex invidia et odio; id enim testantur Evangelistæ : v. g. Matth. xxvii, 18; Marc. xv, 10; et Christus pro eis rogans, quando dicit : *Non enim sciunt quid faciunt*, solummodo intendit Deo Patri suo aliquod allegare motivum quo efficacius eum impellat ad veniam eis concedendam; quicumque enim officium mediatoris pro delinquentibus suscipiunt, eos quantum pōssunt solent excusare : sic Christus se gerit, Deum ut homo pro persecutoribus enixe rogans : ipsius autem persecutores, licet gravissimæ culpæ rei, aliquo modo tamen excusabiles erant; culpa namque eorum ex eo minuebatur quod actualiter Christum et Filium Dei non agnoscerent, quia furore et malitia erant obcæcati. Eodem sensu intelligenda sunt B. Pauli verba : *Si cognovissent*, etc., et ista I ad Thimot. i, 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*. Ergo.

Inst. 1^o. Repugnat Deum per tot sæcula universam Judæorum gentem punire propter quorundam privatorum scelus : atqui mors Christi fuit opus quorundam privatorum, non vero totius gentis : ergo.

R. Nego min. Illud enim crimen opus quorundam privatorem dici non potest, sed merito toti tribuitur genti, quod nomine totius gentis illud approbantis fuit patratum: atqui Christus in nomine totius gentis Judaicae approbantis fuit occisus; nam fuit damnatus a synagoga, a principibus populi, a scribis et legis doctoribus: populus autem Judaicus ex omni parte in Jerusalem congregatus propter festum Paschae videbat et applaudebat, clamabat et dicebat: *Tolle, tolle, crucifige eum*, Joan. xix, 15; *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, Matth. xxvii, 25. Ergo. Quinimo, etiam nunc tota gens Judaica occisionis Christi, quantum in se est, sit rea; factum enim majorum suorum approbat, Christum pertinaciter negat et blasphemam, damnationi ejus libenter subscribit, et sanguinem ejus imprecando postulare non cessat. Ergo.

Inst. 2º. Si Judaei tam dure tractarentur propter rejectum Christum, eodem modo tractari deberent caeterae gentes quae pariter Christum rejiciunt et detestantur: at tamen illud non evenit: ergo.

R. Nego maj. quoad sequelam. Quamvis enim Judaei ita propter rejectum Christum tractentur, non sequitur eodem modo tractandas esse caeteras gentes quae pariter illum rejiciunt; quia respectu Dei grande est discrimen inter Judaeos et alias gentes; Deus enim solemne cum Judaeis iniit pactum, et multo pluribus eos cumulavit beneficiis quam caeteras gentes: si ergo ingratos se ostendant, pactum sancitum infringant et transgrediantur, multo magis sunt rei, ac proinde multo majorem merentur poenam. Praeterea, Judaei non tantum rejecerunt Christum, sed insuper illum contumeliis, suppliciis et crudelibus tormentis affecerunt, et turpissima morte peremerunt, quod nulla gens altera fecit. Ergo.

Inst. 3º. Si gens Judaea propter rejectum Christum sic affligatur, Christianorum regna deberent e contra jugiter florere et omnis bonis abundare: atqui hoc non contingit: ergo.

R. Nego maj. In tota enim praesenti quaestione contra Judaeos ratiocinamur per argumentum ad hominem, nempe

ex variis Scripturae textibus, in quibus, juxta ipsos, perfecta illis promittebatur temporalis felicitas, si jugiter fidele praestarent Deo obsequium: nos e contra contendimus totum Christi nobiscum foedus in bonis duntaxat spiritualibus esse constitutum: ergo ex statu temporali Christianorum nihil adversum nos concludi potest.

Inst. 4º. Decem tribus Israel quae in Media et in variis Assyriae partibus remanserant, occisionis Christi non fuerunt complices: atqui tamen semper remanserunt in captivitate: ergo.

R. Nego min. Nam, post captivitatem Babylonicam, omnes Israelitae facultatem habuerunt cum Judaeis redeundi; plurimi quidem redierunt et unicam gentem cum Judaeis composuerunt; caeteri vero qui apud Medos et Assyrios remanere voluerunt, cum illis commixti, religionem ac leges patriae deseruerunt, et ab illo tempore ad populum Judaicum pertinere cessaverunt: dici ergo non potest eos in captivitate remansisse. Ergo.

Inst. 5º. Non Judaeorum, sed Romanorum auctoritate crucifixus est Christus: ergo Judaei tantam non patiuntur cladem ob rejectionem et occisionem Christi.

R. Nego conseq. Judaei namque hanc cladem merito dicuntur pati ob Christi rejectionem et occisionem, si revera mors Christi ipsis tribuenda sit: atqui mors Christi Judaeis tribuenda est, licet auctoritate Romanorum fuerit crucifixus; monnisi enim accusante et constanter postulante Judaeorum concilio, haec damnationis sententia lata fuit; ad eam Judaei quasi invitum duxerunt Pilatum, Romanorum praesidem; damnatum Christum contumeliis affecerunt, morti ejus adstiterunt ac feroci gaudio consenserunt, impiis diceriis ei patienti et morienti illuserunt; haec patrum suorum agendi rationem approbaverunt quotquot ab illo tempore fuerunt Judaei: ergo deicidii merito omnes reputantur rei. Ergo.

Constat igitur praesentem luctuosam Judaeorum calamitatem soli Messiae rejectioni et occisioni in persona Christi tribuendam esse. Deus ipse uno saltem miraculo evidenti hanc interpretationem confirmavit.

Nam Julianus Apostata, potentissimus Romanorum imperator, in odium Christi Judæos sub ægidio suo accepit eosque in pristino statu restituere voluit; undique eos in Jerusalem convocavit et templum instaurare cepit: at operantes breviter ab opere cessare coacti sunt, Deo contra eos evidenter pugnante; factum sic refert Ammianus Marcellinus, testis oculatus, ethnicus, Juliani amicus et laudator, ac proinde minime suspectus, lib. 23, cap. 1.

Julianus imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Jerosolymam templum instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alpio dederat Antiochensi: cum itaque rei idem fortiter instaret Alpius jure provincie rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecerunt locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo, elemento destinatus repellente, cessavit inceptum. Factum istud a pluribus hujus temporis ecclesiasticis auctoribus relatum, v. g. a S. Ambrosio, a S. Chrysost., a S. Gregorio Nazianz., a Rufino, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, etc., certe in dubium revocari non potest: atqui evidenter est miraculosum: ergo. Vide circa illud factum, *Bullet, Histoire de l'établissement du Christianisme; Houtteville, et præsertim Dissert. de Warburton, sur les tremblements de terre arrivés à Jérusalem sous Julien l'Apostat.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS INCREDULOS.

Jam probatum est religionem Christianam esse divinam: multæ adhuc solidissimæ ejusdem veritatis supersunt demonstrationes undique velut scaturientes. Cum omnes specialiter evolvere non possimus, præcipuas tantum seligemus easque educemus 1º ex prophetiis Christi; 2º ex miraculis ejus; 3º ex ipsius resurrectione;

4º ex illius doctrine excellentia; 5º ex mira ejusdem doctrine propagatione; 6º ex martyrum multitudine et constantia,

§ I. — De prophetiis Christi.

PROPOSITIO.

Divinitas religionis Christianæ probatur ex prophetiis a Christo editis.

Prob. Multa enim Christus prænuñtiavit, tum de seipso, tum de discipulis, tum de religione sua, tum de Judæis.

1º *De seipso.* Nam Matth. xvi, 21: *Cœpit ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere;* cap. xx, 18: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis; et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum; et tertia die resurget.*

2º *De suis discipulis.* Trinam enim prædixit negationem Petri cum horæ determinatione: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis,* Matth. xxvi, 34; proditionem Judæ annuntiavit, Joan. xii, 21, 26: *Quia unus ex vobis tradet me.*

3º *De sua religione.* *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus,* Matth. xxvi, 13. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* Joan. xii, 32. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ,* Act. i, 8. *Euntes docete omnes gentes,* Matth. xxviii, 19.

4º *De Judæis* plurima prædixit, nempe urbis Jerusalem destructionem, templi eversionem, reipublicæ ruinam, totius gentis cladem; signa antecessura, circumstantias, tempus et modum descripsit; dicit enim vallandam esse civitatem undique, coangustandam et penitus evertendam, ita ut non remaneat lapis super lapidem qui non destruat, Matth. xxiv, 2. Declarat futuras esse seditiones,

Nam Julianus Apostata, potentissimus Romanorum imperator, in odium Christi Judæos sub ægidio suo accepit eosque in pristino statu restituere voluit; undique eos in Jerusalem convocavit et templum instaurare cepit: at operantes breviter ab opere cessare coacti sunt, Deo contra eos evidenter pugnante; factum sic refert Ammianus Marcellinus, testis oculatus, ethnicus, Juliani amicus et laudator, ac proinde minime suspectus, lib. 23, cap. 1.

Julianus imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Jerosolymam templum instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alpio dederat Antiochensi: cum itaque rei idem fortiter instaret Alpius juvaretque provincie rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecerunt locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo, elemento destinatus repellente, cessavit inceptum. Factum istud a pluribus hujus temporis ecclesiasticis auctoribus relatum, v. g. a S. Ambrosio, a S. Chrysost., a S. Gregorio Nazianz., a Rufino, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, etc., certe in dubium revocari non potest: atqui evidenter est miraculosum: ergo. Vide circa illud factum, *Bullet, Histoire de l'établissement du Christianisme; Houtteville, et præsertim Dissert. de Warburton, sur les tremblements de terre arrivés à Jérusalem sous Julien l'Apostat.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS INCREDULOS.

Jam probatum est religionem Christianam esse divinam: multæ adhuc solidissimæ ejusdem veritatis supersunt demonstrationes undique velut scaturientes. Cum omnes specialiter evolvere non possimus, præcipuas tantum seligemus easque educemus 1º ex prophetiis Christi; 2º ex miraculis ejus; 3º ex ipsius resurrectione;

4º ex illius doctrine excellentia; 5º ex mira ejusdem doctrine propagatione; 6º ex martyrum multitudine et constantia,

§ I. — De prophetiis Christi.

PROPOSITIO.

Divinitas religionis Christianæ probatur ex prophetiis a Christo editis.

Prob. Multa enim Christus prænuñtiavit, tum de seipso, tum de discipulis, tum de religione sua, tum de Judæis.

1º *De seipso.* Nam Matth. xvi, 21: *Cœpit ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere;* cap. xx, 18: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis; et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum; et tertia die resurget.*

2º *De suis discipulis.* Trinam enim prædixit negationem Petri cum horæ determinatione: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis,* Matth. xxvi, 34; proditionem Judæ annuntiavit, Joan. xii, 21, 26: *Quia unus ex vobis tradet me.*

3º *De sua religione.* *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus,* Matth. xxvi, 13. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* Joan. xii, 32. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ,* Act. i, 8. *Euntes docete omnes gentes,* Matth. xxviii, 19.

4º *De Judæis* plurima prædixit, nempe urbis Jerusalem destructionem, templi eversionem, reipublicæ ruinam, totius gentis cladem; signa antecessura, circumstantias, tempus et modum descripsit; dicit enim vallandam esse civitatem undique, coangustandam et penitus evertendam, ita ut non remaneat lapis super lapidem qui non destruat, Matth. xxiv, 2. Declarat futuras esse seditiones,

bella, terræ motus, famem, tribulationem *qualis non fuit ab initio mundi*, Marc. XIII, 7; Luc. XIX, 43, et Matth. XXIV, 21. Verum diversæ illæ prædictiones divinæ sunt prophetiæ, si 1^o ante eventum fuerint editæ; 2^o si eventus sint confirmatæ; 3^o si eventus viis naturalibus prævideri non potuerit; 4^o si casui fortuito tribui non possit: atqui hæc quatuor certa sunt.

1^o Illæ prædictiones *ante eventum fuerunt editæ*. Omnimoda enim fide digni sunt Apostoli eas referentes, et supponi non potest eos fingere voluisse prædictiones sibi probrosas, qualis est ea quæ ad trinam B. Petri negationem spectat; saltem, in illa hypothese, non finxissent eas publice notas. Præterea, plures ex illis prophetiis in libris Novi Testamenti ante eventum erant consignatæ, v. g. illæ quæ ad generalem doctrinæ Christi diffusionem spectabant, et quæ ad destructionem Jerusalem attinebant; Evangelia enim SS. Matth., Marci et Lucæ ante gravissimam hanc cladem existebant: solus Joannes post eventum scripsit. Ergo 1^o.

2^o *Eventu fuerunt confirmatæ*, ut nemo diffiteri potest.

3^o *Eventus annuntiati viis naturalibus prævideri non potuerunt*; sunt enim contingentes et a causis liberis dependentes: v. g. fieri poterat ut Christus non flagellaretur, non crucifigeretur; ut Petrus illum non negaret, vel non ter negaret, vel non ante galli cantum; ut Judas non esset traditor; ut doctrina tam nova non ubique prædicaretur, vel non susciperetur: nulla via naturali omnes circumstantiæ luctuosissimæ Jerusalem obsessionis et eversionis depingi poterant eo præcise modo quo Josephus ipsum describit eventum in sua historia de Bello Judaico. Ergo 3^o.

4^o Absurde diceretur hujusmodi eventus cum suis circumstantiis, *casu fortuito* contingentes, prædictionibus sic adamussim congruisse; ergo 4^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

§ II. — De miraculis Christi et Apostolorum.

Miracula Christi et Apostolorum hic simul jungimus, quia eandem vim habent probandi.

PROPOSITIO.

Ex miraculis Christi et Apostolorum invicte probatur religionem Christianam esse divinam.

Prob. Illa religio est divina quæ divinis confirmatur miraculis: atqui religio Christiana divinis confirmatur miraculis: nam in libris Novi Testamenti multa leguntur miracula a Christo et ab Apostolis in gratiam religionis Christianæ patrata.

1^o Jubente Christo, aqua in vinum convertitur, morbi contumaciores aufugiunt, cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, paralytici sanantur, dæmones ejiciuntur, mortui ad vitam redeunt, panes multiplicantur, horrenda maris tempestas sedatur; Christo moriente, velum templi scinditur, terra contremiscit, saxa confringuntur, monumenta reserantur, sanctorum corpora resurgunt, ambulant et videntur, sol insolitam patitur eclipsim, ipse Christus vere mortuus ad vitam sese revocat, cælos ascendit, Spiritum sanctum in Apostolos effundit, etc.: porro hæc stupenda opera vera sunt miracula.

2^o Ipsi pariter Apostoli, solo Christi nomine invocato, multa etiam operantur miracula ad religionis Christianæ confirmationem; sic enim B. Petrus hominem ex utero matris claudum sanat, Act. III, 1; paralytico ab annis octo jacenti in grabato facilem membrorum usum restituit; Tabitham a mortuis suscitatur, Act. IX; Ananiæ et Saphyræ mendacium repentina morte plectit, et solo quidem imperio, Act. V; ægroti in plateis publicis expositi sola ejusdem Apostoli umbra sanantur, ibid. V, 15. Similiter B. Paulus Barjesum, insignem magum, subita cecitate coram proconsule Sergio afficit, Act. XIII, 11; claudum Lystri sanat, ibid. XIV, 7; juvenem gravi casu oppressum ad vitam revocat, ibid. XX, 9; et adeo stupenda sunt quæ operatur prodigia, ut pagani illum tanquam Deum habeant, illique velint sacrificium offerre, Act. XIV, 11: certe hæc facta sunt miracula. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Ipse Christus miracula adhibere noluit ad probandam missionis suæ divinitatem : ita *Rousseau*, 3^o *lettre de la Montagne, Mélanges*. Ergo.

R. Nego ant. Nam Christus Judæos et discipulos suos ad testimonium operum suorum revocat, ut eos ad sibi credendum impellat. Sic, apud Joan. x, 25 : *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me... et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre*. Cap. ix, 42, in sua oratione antequam Lazarum suscitaret, ait : *Ego autem sciebam quia semper me audis ; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti*. Manifestum est ergo Christum voluisse missionem suam miraculis confirmare.

Inst. 1°. Sæpius Christus secreto sua patravit miracula, silentium his quos sanaverat præscripsit, prodigia iis qui ea petebant denegavit, et coram credentibus ea fecit : atqui non ita se gessisset, si doctrinam suam miraculis confirmare intendisset : ergo.

R. Dist. maj. Christus nonnulla secreto patravit miracula, *concedo* ; omnia, *nego ant.* Equidem Christus nonnulla secreto operatus est miracula, et silentium circa illa commendavit, ut exemplum humilitatis nobis præberet. Sed omnia non sic operatus est ; multa e contra publice fecit præcise ut cognoscerentur, qualia sunt multiplicatio panum, Lazari resurrectio, tot infirmorum curationes, et liberatio hominis cui Christus dixit, Luc. viii, 39 : *Hæc in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus*, etc. Ergo.

Si autem Christus miracula aliquando postulantis, v. g. Herodi, scribis et pharisæis, denegaverit, nihil inde concludi potest ; non tenebatur enim curiositati impiorum hominum acquiescere : porro Judæi et Herodes ex sola curiositate vel ex incredulitate miracula postulabant a Christo, *tentantes eum*, Marc. viii, 11 : sufficientia enim

jam existebant prodigia ut in eum crederent, si veritatem sincere quæsiissent : ergo.

Obj. 2°. In templo Æsculapii quotidie sanabantur ægroti ; Vespasianus duos curavit infirmos, tota conspiciente Alexandria civitate ; Apollonius Thyancensis, inter multa prodigia, puellam Romæ suscitavit : attamen illa prodigia veram fuisse religionem paganorum non probabant : ergo *a pari*, etc.

R. 1°. Non qualiacumque prodigia vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur, sed ea dumtaxat quæ manifestis donantur divinitatis characteribus : at paganorum prodigia quæ nobis obijciuntur, manifestis non donabantur divinitatis characteribus, siquidem doctrina paganorum erat evidenter absurda, ut adversarii fatentur : ergo.

R. 2°. *Nego maj.* Illa enim prodigia admitti non debent ut vera, quæ sufficienter non sunt probata : at prodigia quæ nobis obijciuntur sufficienter non sunt probata, imo nullo fulciuntur monumento fide digno.

1^o Sacerdotes Æsculapii erant medici, et naturalia adhibebant remedia ut ægrotos sanarent ; non vero solis verbis pellebant morbos etiam insanabiles, ut faciebant Christus et Apostoli : hoc ipsis publice exprobrare non dubitavit Arnobius, qui insuper declarat non omnes qui templum Æsculapii adibant sanari, sed multos in eodem statu mansisse, alios in pejori rediisse, et paucos fuisse sanatos. Origenes et Aristophanus, poeta Græcus et paganus, testantur mercede conductos fuisse egenos, ut fingerent se esse ægrotos, et deinde apparerent sanati. Ergo 1^o.

2^o Narrant quidem Suetonius, Vita Vesp. n. 7, et Tacitus, Hist. lib. 4, n. 81, Vespasianum duos viros ex plebe Alexandrina sanasse, et uni restituisse usum oculorum, alteri vero usum unius manus : at Suetonius et Tacitus non fuerunt testes oculati hujus facti ; et præterea, ex modo quo illud referunt, legitima statim suboritur suspicio. Vespasianus enim tunc eo præcise tempore ad imperatoris dignitatem promovebatur, adulatores undique circumstantes illi gratulabantur, quærebant pro more illi

placere, et aliquid ipsi gratum ostendere vel excogitare; interea duo infirmi ad genua ejus advolvuntur, et curationem ab illo exposcunt. « Vespasianus primo irridere coepit, asperrari, inquit Tacitus, atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci, etc. » Non ergo arbitrabatur se habere potestatem hos infirmos curandi: fecit tamen quod ab ipso postulabant aulici, et statim, ait Tacitus, *conversa ad usum manus, ac caeco relaxit dies*. Non sic Christus et Apostoli operabantur miracula. Nonne verisimile est aulicos Vespasiano adulari volentes, duos mercede conduxisse homines ut fingerent se esse infirmos, et deinde a novo imperatore sanatos? Ergo 2°.

3° Nullius auctoritatis est historia Apollonii Thyanen-
sis; fuit enim scripta a Philostrato centum annis ad minus post Apollonium, ex nonnullis memorialibus cujusdam Damidis, Apollonii comitis et amici; non ipse Damis hæc memorialia tradidit Philostrato, sed Julia, Severi imperatoris uxor, quæ ea a quodam viro ignoto acceperat: nemo autem non videt hujusmodi facta nullius esse auctoritatis; a nullo teste oculato referuntur, nullo monumento fide digno falciantur. Ergo. Vide Houtteville.

§ III. — De Christi resurrectione.

Certissima est resurrectio Christi, eo ipso quod authentici, veri et integri sunt libri Novi Testamenti: attamen, cum factum istud gravissimi sit momenti, paulo fusius illud explanare convenit; præcipuum est enim totius religionis nostræ fundamentum, ut ait Apostolus, I Cor. xv, 14: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.*

PROPOSITIO.

Ex resurrectione Christi invicte demonstratur religionem Christianam esse divinam.

Prob. 1°. Si Christus revera surrexit, ipsius religio,

cunctis fatentibus, certo est divina: atqui Christus vere surrexit; vere enim surrexit si testes ipsius resurrectionem referentes decepti non fuerint, decipere noluerint, et decipere non potuissent etiamsi voluissent: atqui hæc tria sunt certissima.

1° *Non fuerunt decepti.* Plurimi enim testes, ad credendum minime proclives, decipi non possunt circa factum sensibile, gravis momenti, quod ipsis multoties, conjunctim et unanimi sensuum testimonio manifestatur: atqui tales sunt testes qui resurrectionem Christi referunt.

1° Sunt plurimi. I Cor. xv, 4 et seq. *Christus.... resurrexit tertia die secundum Scripturas... et visus est Cepha, et post hoc undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus: novissime autem omnium.... tanquam abortivo, visus est et mihi.*

2° Ad credendum minime erant proclives; ex ipsorum enim narratione constat eos hac de re spem jam abjecisse, et mulieribus resurrectionem factam esse testantibus credere noluisse: *Visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis*, Luc. xxiv, 11; et ejusdem xxiv, 36: *Dum autem hæc loquantur, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere: conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendant in corda vestra? videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? Et apud Joan. xx, 24, S. Thomas qui erat absens quando Christus discipulis primo apparuit, cæteris dicentibus ei: *Vidimus Dominum*, respondit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum in latus ejus, non credam.* Certe hujusmodi testes ad credendum non erant nimis proclives. 3° Factum quod*

placere, et aliquid ipsi gratum ostendere vel excogitare; interea duo infirmi ad genua ejus advolvuntur, et curationem ab illo exposcunt. « Vespasianus primo irridere coepit, asperrari, inquit Tacitus, atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci, etc. » Non ergo arbitrabatur se habere potestatem hos infirmos curandi: fecit tamen quod ab ipso postulabant aulici, et statim, ait Tacitus, *conversa ad usum manus, ac caeco relaxit dies*. Non sic Christus et Apostoli operabantur miracula. Nonne verisimile est aulicos Vespasiano adulari volentes, duos mercede conduxisse homines ut fingerent se esse infirmos, et deinde a novo imperatore sanatos? Ergo 2°.

3° Nullius auctoritatis est historia Apollonii Thyanen-sis; fuit enim scripta a Philostrato centum annis ad minus post Apollonium, ex nonnullis memorialibus cujusdam Damidis, Apollonii comitis et amici; non ipse Damis hæc memorialia tradidit Philostrato, sed Julia, Severi imperatoris uxor, quæ ea a quodam viro ignoto acceperat: nemo autem non videt hujusmodi facta nullius esse auctoritatis; a nullo teste oculato referuntur, nullo monumento fide digno falciantur. Ergo. Vide Houtteville.

§ III. — De Christi resurrectione.

Certissima est resurrectio Christi, eo ipso quod authentici, veri et integri sunt libri Novi Testamenti: attamen, cum factum istud gravissimi sit momenti, paulo fusius illud explanare convenit; præcipuum est enim totius religionis nostræ fundamentum, ut ait Apostolus, I Cor. xv, 14: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.*

PROPOSITIO.

Ex resurrectione Christi invicte demonstratur religionem Christianam esse divinam.

Prob. 1°. Si Christus revera surrexit, ipsius religio,

cunctis fatentibus, certo est divina: atqui Christus vere surrexit; vere enim surrexit si testes ipsius resurrectionem referentes decepti non fuerint, decipere noluerint, et decipere non potuissent etiamsi voluissent: atqui hæc tria sunt certissima.

1° *Non fuerunt decepti.* Plurimi enim testes, ad credendum minime proclives, decipi non possunt circa factum sensibile, gravis momenti, quod ipsis multoties, conjunctim et unanimitate sensuum testimonio manifestatur: atqui tales sunt testes qui resurrectionem Christi referunt.

1° Sunt plurimi. I Cor. xv, 4 et seq. *Christus.... resurrexit tertia die secundum Scripturas... et visus est Cephae, et post hoc undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus: novissime autem omnium.... tanquam abortivo, visus est et mihi.*

2° Ad credendum minime erant proclives; ex ipsorum enim narratione constat eos hac de re spem jam abjecisse, et mulieribus resurrectionem factam esse testantibus credere noluisse: *Visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis*, Luc. xxiv, 11; et ejusdem xxiv, 36: *Dum autem hæc loquantur, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere: conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? Et apud Joan. xx, 24, S. Thomas qui erat absens quando Christus discipulis primo apparuit, cæteris dicentibus ei: *Vidimus Dominum*, respondit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum in latus ejus, non credam.* Certe hujusmodi testes ad credendum non erant nimis proclives. 3° Factum quod*

testantur est sensibile, ut patet ex modo dictis et ex tota narratione; est gravis momenti, ut nemo disfiat; multoties ipsis fuit manifestatum; Apostolis enim *præbuit seipsum vivum post passionem suam, in multis argumentis per quadraginta dies apparens eis loquens de regno Dei*, Act. 1, 3; ipsis conjunctim apparuit, nempe undecim, omnibus Apostolis, et plus quam quingentis fratribus simul. 4^o Hoc factum unanimi sensuum testimonio fuit comprobatum; Christum namque redivivum sæpe viderunt, audierunt, allocuti sunt, et sanctissimam ipsius carnem propriis manibus contrectaverunt: ergo, etc. Ergo.

2^o *Decipere noluerunt.* Illi enim testes merito judicantur decipere noluisse, qui manifestos præ se ferunt sinceritatis characteres; atqui testes resurrectionis Christi manifestos præ se ferunt sinceritatis characteres: *id constat ex dictis ubi de veritate librorum Novi Testamenti.* Præterea, supponi non potest omnes Apostolos casu fortuito sibi consensisse ad decipiendum, fingendo Christum resurrexisse; si enim decipere voluissent, aliquid secum inire debuissent pactum ante vel post mortem Christi: atqui neutrum dici potest. 1^o Non ante mortem Christi, quia Christus hujus fraudis particeps fuisset, quod evidenter repugnat; absurdum est enim ignominiosæ morti se devovisse, præcise ut futura ipsius resurrectio prædicaretur. Insuper, sperare non potuisset fore ut discipuli sui imperiti, ignobiles et timidi, tale fictitium dogma insuperabili constantia prædicarent, periculo vitæ et sanguinis effusione confirmarent; aliunde non ita nuntiasset Judæis resurrectionem suam tertia die futuram esse, ultro enim aperiebat eis viam imposturam prohibendi. Ergo 1^o.

2^o Nec post mortem Christi. Si enim Christus tertia die, secundum promissionem, non resurrexisset, aperte vidissent discipuli se turpiter ab illo delusos fuisse, nihilque ab eo sperandum; repugnat autem tot homines, ita delusos et nulla spe emolumentum incitatos, consentire ad fingendum factum cujus falsitatem norunt, propter gloriam impostoris a quo fuerunt decepti; repugnat eos factum ab ipsis excogitatum usque ad sanguinis effusionem ita

testari, ut ex tot discipulis ac mulieribus nullus fraudem aperiat. Repugnat insuper Christi discipulos in summo gradu omnes habuisse dotes sibi contradictorias: at, si finxissent et prædicassent Christum resurrexisse, dum revera non surrexisset, dicendum foret illos in summo gradu habuisse, etc. Ostendissent quippe in summo gradu simplicitatem et dissimulationem, timiditatem et audaciam, ignobilitatem et animi celsitudinem, fanatici delirium et altam sapientiam, crassam ignorantiam et exquisitam persuadendi artem, impiam et sacrilegam in cælos conspirationem et summam in Deum pietatem atque in proximum charitatem; denique fuissent simul monstra perversitatis et prodigia sanctitatis; ergo, etc. Ergo 2^o decipere noluerunt.

3^o *Decipere non potuissent etiamsi voluissent.* Decipere enim non potuissent, nisi corpus Christi e tumulo sustulissent; alioquin, ostenso cadavere, fraus eorum statim patuisset: at nulla via Apostoli corpus Christi e tumulo auferre potuerunt; nam conditum erat in monumento in rupe exciso, cujus ostium lapide claudebatur et publico signatum erat sigillo, ibique præpositi erant milites præcise ne discipuli furarentur corpus et dicerent: *Resurrexit a mortuis*, Matth. xxvii, 64: unde Apostoli illud auferre non potuerunt nisi vi aperta milites vincendo, vel dolo eos aliquo modo decipiendo, vel pecuniis eos corrupendo, vel subterranea via ad sepulcrum perveniendo: atqui nihil horum dici potest.

4^o Non vi aperta milites vincendo; nam adeo timidi erant ut, apprehenso Domino, statim fugerint, et eum adhuc vivum cum juramento et detestatione negaverit Petrus ad vocem unius ancillæ, licet cæteris constantior videretur; supponi autem non potest tales homines inermes ausos fuisse milites vi aperta debellare, et si id tentassent, certe hoc Judæos non latuisset, frausque statim detecta fuisset. Ergo 1^o.

2^o Non per dolum, custodes decipiendo et vigilantiam eorum fallendo; nam ibi positi fuerant custodes ne corpus ab Apostolis surriperetur: magna ergo cum circumspec-

tione invigilare debuerunt. Præterea, nulla fingi potest hypothesis in qua corpus sic per dolum ablatum fuisset: quomodo enim istud contingere potuisset? an dum omnes dormirent? Sed prorsus incredibile est custodes qui speciale mandatum caute invigilandi accipere debuerant, omnes simul correptos fuisse somno, et adeo gravi ut nullus strepitu fuisset excitatus; nam frangendum erat sigillum, ingens revolvendus erat lapis; insuper tam periculosum opus aggredientes discipuli, quam potissimum festinassent, ac proinde corpus statim abstulissent, nec sudarium solvissent, nec linteamina per ordinem in varias sepulcri partes posuissent. Aliunde, qui tantam adhibuerant curam ne tale accideret furtum, impunitam non reliquissent militum negligentiam et discipulorum fraudulentiam. An dicetur discipulos opium militibus præbuisse sumendum, ut profundiori somno dormirent? At verisimile non est Apostolos, qui præ timiditate fugerant, hoc medium tentasse; incredibile est omnes custodes, sine exceptione et suspicione, soporiferum bibisse liquorem: si id fecissent, fraudem sibi illatam aperuissent, ut Judæorum animadversionem devitarent. Ergo.

3^o Dici non potest discipulos corpus Christi abstulisse, custodes pecuniis corrupendo; nam erant pauperrimi, et insuper naturali hominum indoli repugnat omnes custodes suo sic defuisse officio, dum religione et præjudiciis tam fortiter oppositi erant Apostolis, et extrema a Judæis pertimescenda haberent. Et certe, tanta infidelitas impunita remanere non debuisset: attamen nullibi legitur talem corruptionem fuisse punitam vel exprobratam, sive militibus, sive Apostolis aut Christianis. Ergo.

4^o Dici non potest eos per viam subterraneam ad sepulcrum pervenisse, et corpus sic abstulisse; sepulcrum enim in petra erat excisum: via ergo subterranea impossibilis erat. Aliunde, spatium unius diei sufficiens non fuisset ad hujusmodi operationem; insuper talis via effodi non potuisset sine gravi strepitu, proindeque sensibilis remansisset, et totum artificium aperte patuisset: ergo 4^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Prob. 2^o. Nullo modo suspecti sunt testes qui factum quod narrant veris miraculis confirmant: sed Apostoli resurrectionem Christi narrantes, veris miraculis confirmantur testimonium suum; dispersi sunt enim per orbem universum, et ubique resurrectionem Christi annuntiabant, ubique vera patrabant miracula, ut ex libro Actuum constat: ergo.

Prob. 3^o. Quinquaginta dies post mortem Christi, cœperunt Apostoli prædicare publice et coram omni multitudine illum surrexisse; semper exprobraverunt Judæis quod illum interemissent, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, Act. IV, 10. Confidenter asserabant principes Synagogæ pecunia induxisse milites ut dicerent se dormientibus supervenisse discipulos, et corpus ejus e tumulo sustulisse; accusatio hæc fuit publica, constans et gravissima; attamen Judæorum principes, sacerdotes, scribæ et pharisæi nihil dixerunt ut accusationem adeo sibi injuriosam destruerent; vocaverunt duntaxat Apostolos seditiosos, rebelles, blasphemos, templi violatores, legis contemptores: *Comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc (Jesu) ulli hominum*, Act. IV, 17. Tacite ergo confitebantur veram esse resurrectionem, aut saltem nihil peremptorium contra illam se habere dicendum. Ergo.

Plures utilissime legi possunt auctores circa resurrectionem Christi, et imprimis Ditton, *La religion Chrétienne prouvée par le seul fait de la résurrection de J.-C.*; West, *Observations sur l'histoire et les preuves de la résurrection de J.-C.*; Sherlock, *Les témoins de la résurrection de J.-C. examinés suivant les règles du barreau*; Littleton, *Observations sur la conversion et l'apostolat de S. Paul*. Quatuor illi auctores sunt Angli, sed eorum opera citata in linguam Gallicam fuerunt conversa. Utilissime etiam legi potest opus dictum, *Triomphe de l'Évangile, lettre neuvième*.

Solvantur objectiones.

Obj. 1^o. Facta et circumstantiæ quibus probatio nostra

ex resurrectione Christi desumpta nititur, a solis referuntur Apostolis : atqui testimonium eorum suspectum est : ergo.

R. Nego min. Hæc enim facta referunt Apostoli tanquam publica et præsentia, has circumstantias describunt tanquam omnibus notas : nullus autem impostor fabulas sic contexeret, nec eas tanta impudentia publice et iteratis vicibus annuntiare auderet, velut certissimas veritates ab omnibus cognitās ; si autem adeo insaniret ut fictitias hujusmodi historias prædicaret, in derisum omnium ac ludibrium deveniret, et nemo fidem illi adhiberet : attamen multi ex Judæis fidem adhibuerunt Apostolis resurrectionem Christi annuntiantibus : certum est ergo Apostolos mentitos non fuisse quando publice retulerunt mortem Christi, ejus sepulturam in sepulcro novo, et curas quas abhibuerunt Judæi ne corpus per furtum e tumulo auferretur, etc. Ergo. Si vero Judæi firma quædam habuissent argumenta contra resurrectionem, ea de manu ad manum posteris transmisissent ; in cunctis sæculis fraudem et mendacium exprobrassent, sicque impediissent ne tale dogma ab omnibus crederetur. Ergo.

Obj. 20. Testibus ipsis Evangelistis, corpus Christi *evanuit ex oculis illorum*, Luc. xxiv, 31, tanquam merum phantasma : ergo non constat eos verum Christi corpus suscitatum vidisse.

R. Nego conseq. Nobis enim constare potest ex visu, tactu et auditu, hunc vel illum hominem eundem esse quem heri vidimus, audivimus, etc. ; verum constat ex visu, tactu et auditu, Apostolos judicasse corpus Christi idem fuisse post resurrectionem ac ante mortem : ipsum namque viderunt, cum illo multoties sermonem habuerunt, carnem illius contrectaverunt : ergo.

Quod autem dicit S. Lucas, ipsum ex oculis eorum evanuisse, id unum significat, scilicet, corpus Christi ex visibili factum esse invisibile, vel potius conspici ab eis desiisse, ut habetur in Græco : at nemo dubitat quin, auxiliante Dei potentia, corpus solidum ex visibili fieri possit invisibile. Ergo.

Nec proficerent increduli si dicerent Deum apparuisse visibiliter Abraham aliisque Patriarchis, et tamen verum non habuisse corpus ; nam certum erat apud omnes neque Deum neque angelos verum habere corpus : unde sive Deus immediate apparuerit Patriarchis, ut quidam volunt, sive per ministerium angelorum, ut alii contendunt, nullus propterea in errorem inducebatur ; post visionem, unusquisque satis advertabat phantasticum corpus sibi apparuisse ; e contra, Christus ante mortem verum habebat corpus, et evidentibus indicis manifestavit se idem habere corpus : ergo discipulos in errorem positive induxisset si phantasticum duntaxat habuisset corpus. Ergo.

Obj. 30. Christus prædixerat, Matth. xxii, 40, se tribus diebus et tribus noctibus futurum esse in sinu terræ, sicut Jonas tribus diebus et tribus noctibus fuit in ventre ceti : attamen, juxta narrationem Evangelistarum, Christus non fuit tribus diebus et tribus noctibus in sinu terræ. Ergo.

R. Nego min. Christus enim alibi et pluribus in locis prædixerat quod *tertia die* resurgeret : tres igitur dies et tres noctes de diebus noctibusque integris intelligi non debent ; sufficit vero ut tres dies in numero ordinali, prima, secunda et tertia, a sepultura Christi usque ad resurrectionem ejus computari possint : atqui, juxta narrationem Evangelistarum, tres dies in numero ordinali computari possunt ; sepultus est enim Christus die veneris, tota die sabbati mansit in tumulo, et die dominica, quæ erat tertia, surrexit. Tres similiter numerari possunt noctes ; licet enim per unam noctem physice sumptam, illud intelligatur spatium quod a vespere ad mane excurrit, in usu communi tamen dies integra a media nocte ad mediam noctem sequentem computatur : in hac autem supputatione, Christus fuit tribus noctibus in monumento sicut et tribus diebus, nempe per integram diem sabbati cum sua nocte a media nocte ad mediam noctem, per mediam noctem ad diem veneris pertinentem, et per aliam portionem noctis dominicæ. Ergo.

Insuper scripserunt Apostoli Christum die veneris mortuum, prima sabatti seu die dominica de monumento exiisse, et nihilominus affirmant illum tertia die surrexisse; morem supputandi apud Judæos usitatum non ignorabant: ergo dici non potest eos tam aperte sibi contradixisse. Hoc aliunde ipsis non fuit exprobratum a Judæis neque a paganis. Sic quotidie apud nos octo dicitur esse dies ubi septem sunt tantum.

Obj. 4^o. Si Christus vere surrexisset, scribis, pharisæis, legis doctoribus et sacerdotibus se ostendere debuisset ut eos convinceret: atqui nedum id fecerit, perhibetur se manifestasse tantum nonnullis mulieribus et suis discipulis: ergo.

R. 1^o. *Nego maj.* Christus enim nihil scribis et pharisæis, doctoribus et sacerdotibus debebat; satis erat ut sufficientia illis præstaret motiva credendi: at, licet post resurrectionem ipsis non apparuerit, sufficientia illis præstitit motiva credendi; multi enim prædicabant resurrectionem, tanquam factum cujus testes oculati fuerant, splendidissima operabantur miracula quibus testimonium suum confirmabant, mortem inter acerbissima tormenta alacriter oppetebant: certe hujusmodi testes fide sunt dignissimi. Præterea quando in causa civili et coram tribunalibus sufficientes producti sunt testes, nemo conqueritur quod alii non fuerint convocati: porro illi resurrectionis Christi testes quos protulimus, ad veritatem istiusmodi facti astruendam sufficiunt: ergo.

Fortè etiam dici posset Christum seipsum post glorificationem suam pharisæis, etc., manifestare noluisse, quia talis manifestatio insigne erat privilegium quo se constituerant prorsus indignos. Ergo.

R. 2^o. *Nego min.* et dico testimonium mulierum et discipulorum, quibus Christus post resurrectionem suam se manifestavit, minime suspectum esse: *id ex prima responsione ad majorem, et ex dictis in probatione propositionis, sequitur.* Mulieres enim tam idoneæ sunt quam viri ad factum aliquod sensibile cognoscendum et testandum: testimonium earum admittunt iudices in causis crimina-

libus; quare igitur illud non admitteremus ubi de resurrectione Christi agitur? Ergo.

Inst. Apostoli in diversas abierunt regiones, sicque unus tantum erat testis resurrectionis respectu gentium: atqui testis unus testis nullus, juxta axioma: ergo resurrectio Christi non erat certo credibilis respectu gentium.

R. 1^o. Etiam si resurrectio Christi primum non fuisset credibilis respectu gentium apud quas unus aut alter Apostolus eam annuntiabat, nihil adversum nos sequeretur; quæstio est enim an in se et respectu eorum qui Apostolorum et discipulorum testimonium cognoscunt, revera sit credibilis: atqui demonstravimus illam sic spectatam omnino credibilem esse. 2^o Apostoli testimonium suum de resurrectione Christi veris confirmabant miraculis: at testis etiam unicus, qui testimonium suum veris confirmat miraculis, dignus est fide. 3^o Ordinarie unicus non erat Apostolus in una regione, sed unusquisque plures secum habebat discipulos. 4^o Omnes gentes brevi tempore cunctorum Apostolorum testimonium de resurrectione et aliis miraculis Christi cognoscere potuerunt, sive per communem famam, sive per eorum scripta. Ergo.

Obj. 5^o. Testes qui sibi contradicunt nullam merentur fidem: at quatuor Evangelistæ resurrectionem Christi referentes, evidenter sibi contradicunt; mulieres enim venerunt ad sepulcrum *vespere sabatti*, juxta Matth. xxviii, 1; *valde mane, una sabbatorum,.... orto jam sole*, juxta Marc. xvi, 2; *valde diluculo*, juxta Lucam xxiv, 1; *mane, cum adhuc tenebræ essent*, secundum S. Joan. xx, 1. Ergo.

R. 1. Dist. maj. Testes qui sibi contradicunt in ipsamet facti substantia, nullam merentur fidem, *conc.*; qui sibi contradicunt in quibusdam facti circumstantiis duntaxat, *nego maj.* Ubi enim plures testes circa substantiam alicujus facti sibi concordant, testimonium eorum a criticis non rejicitur, sub prætextu quod circumstantias eodem modo non referant; imo testimonium eorum quodam modo inde firmatur, siquidem inde patet illos non esse impostores. Porro quatuor Evangelistæ perfecte sibi con-

sentiunt in referenda resurrectione : etiamsi ergo admitte-
retur eos in assignanda hora qua mulieres venerunt ad
sepulcrum sibi contradixisse, sequeretur dumtaxat incer-
tam esse horam qua Christus e monumento surrexit.

R. 2º. Nego min. et ejus probationem. Dies enim religio-
sus apud Judæos a vespere ad vesperam computabatur,
sicut dies festivi apud nos a primis vespere ad secundas
in usu ecclesiastico existimantur : dies hebdomadis voca-
bantur una seu prima, secunda, tertia, etc. sabbati. Unde
cum transisset sabbatum, et incipiente prima die sabbati
seu hebdomadis sequentis, quæ est dominica, mulieres
emerunt aromata, paraverunt ea, profectæ sunt, et dilu-
culo ad monumentum advenerunt : est autem valde mane
quando sol super horizontem incipit apparere, præsertim
versus æquatore, ubi minus sensibile est crepusculum ;
imo aliquo modo tenebræ adhuc sunt super terram. Aliunde,
hæc verba S. Joannis, *cum adhuc tenebræ essent*, in-
telligi possunt de hora qua profectæ sunt Maria Magdalena.
Insuper Evangelistæ non omnes nominant mulieres quæ
venerunt ad sepulcrum, nec in eodem ordine, fieri potest
ut plures diverso tempore advenerint, vel ut eadem pluries
continuo iter fecerint : ergo minime constat Evangelistas
sibi contradixisse.

Inst. Incredibile est quasdam mulieres ausas esse sepul-
crum a militibus caute custoditum et signatum adire ; in-
credibile est pariter milites benigne passos esse ut illæ ad
sepulcrum accederent, omnia inspicerent, et libere redi-
rent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1º mulieres ignorare potuerant lapi-
dem fuisse obsignatum et ibi appositos milites ; Joseph ab
Arimathea et Nicodemus prompte ligaverant corpus Jesu,
cum aromatibus illud sepelierant, *et saxum magnum ad
ostium monumenti advolverant* ; mulieres quæ venerant de
Galilæa erant præsentibus, et viderunt monumentum, *et quem-
admodum positum erat corpus ejus*, Luc. xxiii, 55. Postea
omnes regressi sunt et sabbato siluerunt secundum manda-
tum, ibid. 56. Altera die post paraseven, principes sacer-

dotum petierunt a Pilato ut custodiretur sepulcrum,
Matth. xxvii, 62. Ergo.

2º Ex narratione Evangelistarum, angelus descendit de
cælo ut lapidem revolveret, contremuit terra, fractum est
sigillum, apertum est monumentum, egressus est Christus,
et sedebat angelus super petram revolutam : *Erat autem
aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix.*
*Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt
velut mortui*, Matth. xxviii, 3 et 4 ; abierunt postea cus-
todes in civitatem et nuntiaverunt principibus sacerdotum
omnia quæ facta fuerant, ibid. 11 : ergo custodes jam
non erant ad sepulcrum quando huc advenerunt mulie-
res. Ergo.

Obj. 6º. Plures viri docti, inter quos *Paulus et Dam,*
Germani, dixerunt Christum non realiter mortuum fuisse,
sed tantum sensibus et animo defecisse (*évanoui*) : ergo,
etc.

R. 1º. Dist ant. Plures quidem dixerunt Christum rea-
liter non fuisse mortuum quando sublatus est de cruce,
sed immerito, *concedo* ; merito, *nego ant.* Etenim alii viri
doctissimi, ut *Volger, Triller, Bartholæus, Eschenbach,*
et præsertim ambo *Grüner*, ex seria investigatione et stricta
principiorum medicinam respicientium applicatione de-
monstrarunt assertionem objectam, probationibus destitu-
tam, esse absurdam. Vide *Wisemann, 3º Discours.*

R. 2º. Nego conseq. Etiamsi Christus revera non fuisset
mortuus quando in monumentum fuit depositus, ibi vivere
non potuisset. Præterea, nulla via inde potuisset exire.
Aliunde decipi non potuissent Apostoli, repugnat illos de-
cipere voluisse aut potuisse, *ut supra ostendimus.* Ergo.

§ IV. — De excellentia doctrinæ Christi.

PROPOSITIO.

*Ex præcellentia doctrinæ Christi demonstratur religio
ejus divinitas.*

Prob. Doctrina Christi est sanctissima, et aliunde con-
stat doctrinam tam sanctam non nisi a Deo venire posse.

sentiunt in referenda resurrectione : etiamsi ergo admitte-
retur eos in assignanda hora qua mulieres venerunt ad
sepulcrum sibi contradixisse, sequeretur dumtaxat incer-
tam esse horam qua Christus e monumento surrexit.

R. 2º. Nego min. et ejus probationem. Dies enim religio-
sus apud Judæos a vespere ad vesperam computabatur,
sicut dies festivi apud nos a primis vespere ad secundas
in usu ecclesiastico existimantur : dies hebdomadis voca-
bantur una seu prima, secunda, tertia, etc. sabbati. Unde
cum transisset sabbatum, et incipiente prima die sabbati
seu hebdomadis sequentis, quæ est dominica, mulieres
emerunt aromata, paraverunt ea, profectæ sunt, et dilu-
culo ad monumentum advenerunt : est autem valde mane
quando sol super horizontem incipit apparere, præsertim
versus æquatore, ubi minus sensibile est crepusculum ;
imo aliquo modo tenebræ adhuc sunt super terram. Aliunde,
hæc verba S. Joannis, cum adhuc tenebræ essent, in-
telligi possunt de hora qua profectæ sunt Maria Magdalena.
Insuper Evangelistæ non omnes nominant mulieres quæ
venerunt ad sepulcrum, nec in eodem ordine, fieri potest
ut plures diverso tempore advenerint, vel ut eadem pluries
continuo iter fecerint : ergo minime constat Evangelistas
sibi contradixisse.

Inst. Incredibile est quasdam mulieres ausas esse sepul-
crum a militibus caute custoditum et signatum adire ; in-
credibile est pariter milites benigne passos esse ut illæ ad
sepulcrum accederent, omnia inspicerent, et libere redi-
rent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1º mulieres ignorare potuerant lapi-
dem fuisse obsignatum et ibi appositos milites ; Joseph ab
Arimathea et Nicodemus prompte ligaverant corpus Jesu,
cum aromatibus illud sepelierant, et saxum magnum ad
ostium monumenti advolverant ; mulieres quæ venerant de
Galilæa erant præsentibus, et viderunt monumentum, et quem-
admodum positum erat corpus ejus, Luc. xxiii, 55. Postea
omnes regressi sunt et sabbato siluerunt secundum manda-
tum, ibid. 56. Altera die post parasceven, principes sacer-

dotum petierunt a Pilato ut custodiretur sepulcrum,
Matth. xxvii, 62. Ergo.

2º Ex narratione Evangelistarum, angelus descendit de
cælo ut lapidem revolveret, contremuit terra, fractum est
sigillum, apertum est monumentum, egressus est Christus,
et sedebat angelus super petram revolutam : *Erat autem
aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix.
Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt
velut mortui*, Matth. xxviii, 3 et 4 ; abierunt postea cus-
todes in civitatem et nuntiaverunt principibus sacerdotum
omnia quæ facta fuerant, ibid. 11 : ergo custodes jam
non erant ad sepulcrum quando huc advenerunt mulie-
res. Ergo.

Obj. 6º. Plures viri docti, inter quos *Paulus et Dam,*
Germani, dixerunt Christum non realiter mortuum fuisse,
sed tantum sensibus et animo defecisse (*évanoui*) : ergo,
etc.

R. 1º. Dist ant. Plures quidem dixerunt Christum rea-
liter non fuisse mortuum quando sublatus est de cruce,
sed immerito, *concedo* ; merito, *nego ant.* Etenim alii viri
doctissimi, ut *Volger, Triller, Bartholæus, Eschenbach,*
et præsertim ambo *Grüner*, ex seria investigatione et stricta
principiorum medicinam respicientium applicatione de-
monstrarunt assertionem objectam, probationibus destitu-
tam, esse absurdam. Vide *Wisemann, 3º Discours.*

R. 2º. Nego conseq. Etiamsi Christus revera non fuisset
mortuus quando in monumentum fuit depositus, ibi vivere
non potuisset. Præterea, nulla via inde potuisset exire.
Aliunde decipi non potuissent Apostoli, repugnat illos de-
cipere voluisse aut potuisse, ut *supra ostendimus.* Ergo.

§ IV. — De excellentia doctrinæ Christi.

PROPOSITIO.

*Ex præcellentia doctrinæ Christi demonstratur religio
ejus divinitas.*

Prob. Doctrina Christi est sanctissima, et aliunde con-
stat doctrinam tam sanctam non nisi a Deo venire posse.

Est sanctissima. Spectari potest ex parte auctoris, ex parte dogmatum, ex parte præceptorum, ex parte consiliorum et ex parte effectuum: atqui sub his respectibus summa relucet ejus sanctitas.

1º *Ex parte auctoris*, id est Christi. Constanter apparet mitissimus, beneficus, patiens, soli Deo consecratus et de regno ejus sollicitus; salutem hominum ardenti zelo quaerit, divitias aspernatur, honores fugit, non disputat, non contendit, pacem commendat, pacificos laudat, discipulos a terrena dominatione deterret, humilitatem dictis et exemplis suadet: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*, Matth. XI, 29; ægrotos sanat, afflictos consolatur, ignaros edocet, infirmos sublevat, contumeliis sibi illatis indulget, lacrymas super Jerusalem effundit, Judam proditorem amica voce compellat, de iudiciis inique ipsam damnantibus non conqueritur, percussus a militibus et sputis coopertus obamutescit, instar agni ad crucem ducitur, pro interfectores deprecatur, divinæ voluntati se subjicit et voluntarie pro peccatis hominum se offert: atqui nullus tam sanctus visus est homo super terram, ut fatetur *Rousseau* supra citatus: « Si la vie et la mort de » Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus-Christ » sont d'un Dieu. » Ergo 1º.

2º *Ex parte dogmatum.* Profundissima enim, et lucidissima de Deo affirmat, scilicet eum esse unicum, omnium rerum creatorem, conservatorem, arbitrum et moderatorem, esse potentissimum, sapientissimum, justissimum virtutis remuneratorem, criminis vindicem, nostri amatorem, largum benefactorem, etc. Docet altissima mysteria perfecte concatenata, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, lapsus hominis, Redemptionis, peccatorum remissionis, gratiæ operationis, etc. Ratio humana, admiratione stupefacta, nullam in hujusmodi dogmatibus invenire potest contradictionem. Ergo 2º, etc.

3º *Ex parte præceptorum.* Sapientissima sunt ipsius præcepta, sive erga Deum quem præcipit adorare, toto corde diligere, fide et pietate colere, sive erga proximum etiam inimicum, quem vult a nobis ita amari, ut illi com-

patiamur, auxiliemur et omnia charitatis officia præbeamus; sive erga nosmetipsos, jubet enim ut omnia fugiamus vitia, v. g. ambitionem, superbiam, avaritiam, luxuriam, intemperantiam, etc., et cunctas colamus virtutes his vitiis oppositas. Ergo.

4º *Ex parte effectuum.* Statim enim atque doctrina Christi prædicata et credita fuit in mundo, undique apparuerunt eminentissimæ virtutes huc usque penitus ignotæ, et prodigia fortitudinis, temperantiæ, castitatis, abnegationis et sanctitatis: unde ipse *Plinius Junior*, lib. 10, Epist. 87 ad *Trajanum*, post diligentem de moribus Christianorum inquisitionem, juxta mandatum imperatoris, aiebat: « Soliti statuto die ante lucem convenire... se » sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne » furta, ne latrocinia et adulteria committerent, ne fidem » fallerent, ne depositum appellati abnegarent. » Et *Julianus Apostata*, in gremio Ecclesiæ educatus, sed infensissimus Christianorum inimicus, sic de moribus eorum loquitur apud *Sozomenum* lib. 5, cap. 18: « Turpe » fuerit impios Galilæos, præter suos pauperes, nostros » etiam alere; nostros autem mendicos nostra ope ac subsidio destitutos videre. » Novimus quid scriptores ecclesiastici de moribus primorum Christianorum scripserint; in cunctis postea sæculis semper emicuerunt miranda perfectionis exempla: si vero multi jugiter extiterint qui suam vitam ad normam Evangelii non composuerint, id tribuendum cupiditatibus, non autem defectui doctrinæ. Ergo, etc. Ergo.

2º *Doctrina tam perfecta non nisi a Deo venire potuit.* Impossibile est enim hominem a parentibus pauperibus oriundum, nullo studio excultum, humanarum scientiarum adminiculo destitutum, talem excogitasse doctrinam sapientia philosophorum adeo superiorem, illam coordinasse, prædicasse et cuncto persuasisse mundo. Aliunde eam ab hominibus non accepit. Ergo. Hinc adhuc *Rousseau*: « L'Évangile a des caractères de vérité si grands, si » frappants, si parfaitement inimitables, que l'inventeur » en serait plus étonnant que le héros. » Hac de materia

exquisitum citatur opus in Anglia editum : *Principes fondamentaux de la religion chrétienne, par Hearn, 1807.* Ergo.

Hoc argumentum adversus incredulos directum valet etiam contra Judæos : Judæi enim habent Christum ut ab obscuris parentibus ortum, cultura scientiæ et artium destitutum. Quomodo autem vir hujusmodi suis duntaxat viribus potuisset libros Veteris Testamenti tam perfecte cognoscere, mirabili eorum doctrinæ novam doctrinam perfectissimam adjungere, sine ulla contradictione eam persuadere? etc.

Obj. Religio Christiana jubet 1° diligere inimicos, reddere bonum pro malo, et prohibet vindictam; 2° præcipit humilitatem, et sic exstinguit æmulationem ac stimulum gloriæ qua accenduntur homines et ad magnas incitantur actiones; 3° consulit paupertatem et honorum hujus mundi contemptum : hoc autem producit ignaviam, commercii destructionem atque graviter nocet societati; 4° virginitatem et perpetuam continentiam valde commendat, sicque propagationi generis humani, quantum in se est, opponitur : atqui hæc dici non possunt recta et sancta : ergo.

R. Nego miâ. Ad singula autem respondendum est. Itaque :

1° Religio Christiana prohibet quidem ne vindicta propria auctoritate suscipiatur, sed recursum ad magistratus ut injuria repellatur vel illata reparetur non prohibet, modo ex odio et vindictæ desiderio id non fiat; *a fortiori* non prohibet ne publici debellantur hostes, et intra justos coerceantur limites : porro interest societatis ut privata prohibeantur vindictæ, et proximi ac etiam inimicorum præcipiatur dilectio; id nemo inficiabitur : ergo.

2° Religio Christiana præcipit humilitatem, non vero animi demissionem; ingens enim est inter utramque discrimen. Vanæ gloriæ desiderium reprimit, sed animi fortitudinem non ideo frangit : illam potius accendit alia hujus virtutis incitamenta nobiliora et efficaciora suppeditando; docet enim pro patria injuste oppressa vel oppugnata fortiter moriendum esse, et infinitam a Deo propter hanc mortem expectandam remunerationem; docet

principibus obtemperandum; vitam præsentem parvi pendendam, alteram felicitatem toto corde desiderandam esse : qui ergo his stabunt principiis, semper erunt animo fortes et constantes, nec pericula belli, nec ipsam mortem formidabunt. Et revera Christiani milites qui in exercitiis infidelium arma gerebant, nunquam ignaviæ fuerunt accusati, sed e contra virtus eorum plurimis monumentis commendatur. Ergo 2°.

3° Voluntaria paupertas laudatur in Evangelio tanquam perfectio : at simul præcipitur labor, ignavia et otiositas graviter reprobantur. Cuncta bona hujus mundi contemnere debemus, id est paratos esse oportet ea abjicere et perdere potius quam Deum offendere; tenemur tamen rationabilem de illis curam habere pro circumstantiis in quibus constituimur, et bono publico semper invigilare : atqui, nedum hæc animi dispositio societati noceat, disponit e contra ad memorandos liberalitatis et abnegationis actus, qui semper sunt utiles et aliquando necessarii : ergo.

4° Christus omnibus commendavit virginitatem et continentiam tanquam perfectionem a qua neminem excludere volebat : sed perfecte sciebat non multos hanc perfectionem amplexuros, ac proinde nullum inde oriturum fore societati detrimentum. Ad bonum societatis non requiritur numerosior populus, qui aliquando vera est calamitas, nempe ubi sufficientia simul non existunt media quibus omnes convenienter occupari et sibi necessaria acquirere possint; tunc enim multiplicantur otiosi, vagabundi, fures et latrones, etc. Multo magis ergo bonum societatis exigit ut omnes cives bene sint ordinati, recte educati, moribus integri, probitate conspicui, fidelitate in contractibus commendati, legibus obsequiosi, etc. Virginitas autem et continentia his virtutibus non nocent; multo è contra qui vitam cælibem ducunt, aptiores sunt, saltem ordinarie, ad mores aliorum recte informandos, ut experientia constat.

Præterea, qui perpetuam paupertatem et castitatem profitentur, ut soli Deo sint consecrati et utilitati hominum addicti, multa facere possunt quæ patres-familias ne ten-

tare quidem auderent : v. g. Franciscus Xaverius, si propriam habuisset familiam regendam, nunquam Evangelium apud Indos, Japones, etc., prædicasset : Vincentius a Paulo nunquam tot et tanta charitatis opera exercuisset, etc. Insuper omnes sacerdotes ministerium sacrum exercentes, multo magis generis humani propagationi inserviunt, vera morum principia persuadendo, quam si singuli suam haberent uxorem.

Aliunde, qui contra calibatium religiosum impie clamitant, sæpius ipsi vitam cælibem ducunt, non sanctitatis et perfectionis causa, sed ut facilius libidinibus suis indulgeant. Ergo.

§ V. — De mira religionis Christianæ propagatione.

Quod religio Christiana per orbem celerrime annuntiata fuerit, est factum ab omnibus admissum. Legimus enim in Actibus Apostolorum, ipsos multas in diversis regionibus instituisse ecclesias; B. Paulus, Rom. I, 8, gratulabatur Romanis quod fides eorum annuntiaretur *in universo mundo*; secundo sæculo, S. Justinus, in Dialogo cum Judæo Tryphone, asserebat confidenter, « nullum » esse genus hominum, sive barbarorum, sive Græcorum, » sive etiam aliorum populorum, quocumque nomine » appellentur, apud quos non fiant preces Patri et Creatori omnium per nomen Jesu Christi. » Antea jam dixerat Plinius, in sua Epistola ad Trajanum citata, multos esse Christianos omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus, et addit : « Neque enim civitates tantum, sed vicus » etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. » In tertio sæculo, Tertull. Apol. cap. 37, imperatorem et senatum Romanum alloquens, sic eos compellat : « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, » urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra » ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola » vobis relinquimus templa. » Serie non interrupta omnis generis monumentorum constat magis ac magis numerum Christianorum semper crevisse, et eos tempore Constantini Magni jam numero valde prævaluisse : unde sit

PROPOSITIO.

Divinitas religionis Christianæ ex mira ejus propagatione invicte demonstratur.

Prob. Illa religio est divina quæ sic propagari non potuit, nisi auxilio Dei corda hominum pro nutu inflectentis : atqui religio Christiana sic mirifice propagari non potuit nisi auxilio Dei; si quædam enim causæ naturales in illius propagationem influere potuissent, repeterentur vel ex parte doctrinæ quæ annuntiabatur, vel ex parte prædicatorum qui illam annuntiabant, vel ex parte eorum quibus annuntiabatur, vel denique ex parte mediocum quibus utebantur præcones ad illam persuadendam : atqui sub diversis his respectibus nulla causa naturalis propagationi religionis Christianæ inservire potuit, sed omnia e contra illi adversabantur.

1º *Non ex parte doctrinæ quæ annuntiabatur.* Hæc enim doctrina proponebat dogmata et mysteria rationi impervia, imo et rationi apparenter valde repugnantia, ut adorare tanquam Deum hominem inopem, obscurum, turpissima morte a suis concivibus damnatum; austera tradebat morum præcepta, universis cupiditatibus adversa; præcipiebat divitiarum terræ contemptum, honorum mundi fugam, voluptatum abnegationem, injuriarum condonationem, inimicorum dilectionem, jejuniorum observationem totiusque naturæ corruptæ mortificationem. Sublimis quidem est hæc doctrina et seminibus veritatis homini ingentis valde conformis, ut sapienter observat et luculenter dicit P. Thomassin, de Incarnatione : at nihilominus constat homines corruptos ad eam amplectendam naturaliter adduci non potuisse. Præterea, inde sequitur sublimem hanc doctrinam, rectæ rationi et naturæ hominis tam perfecte congruentem, meram non esse fabularum congeriem, sed a Deo omnis veritatis fonte originem ducere. Ergo 1º.

2º *Non ex parte prædicatorum qui doctrinam Christi annuntiabant.* Erant enim duodecim viri pauperes, illitterati, idiotæ, timidi, in infima conditione populi nati et

educati, vilissimam exercentes artem ut victitarent; nullis divitiis, nulla eloquentia erant præditi, nulla consideratione inter homines gaudebant: atqui tales præcones naturaliter risum excitare debebant, potius quam persuasionem obtinere: ergo 2°.

3° *Non ex parte eorum quibus doctrina Christi annuntiabatur.* Erant enim Judæi et pagani: atqui Judæi et pagani naturaliter non inclinabantur ad religionem Christianam amplectendam, multum vero ipsi opponebantur; nam Judæi addictissimi erant legi Moysis et ritibus suis; Messiam sibi figurabant tanquam principem potentissimum. At fides Christiana religionem Moysis abrogabat, ritus et traditiones Judæorum reprobabat, hominem ab ipsis velut malefactorem et impostorem morte damnatum proponebat ut Messiam promissum, ut Deum simul et hominem ab omnibus adorandum. Similiter pagani suadentum erat ut tanquam inania simulacra suos abjicerent deos, sua everterent templa, patrum suorum religionem, cupiditatibus faventem, velut superstitionem abnegarent, et alteram profiterentur doctrinam cunctas libidines et cupiditates coercentem, ut quemdam Jesum Nazarenum a Judæis cruci affixum sicut Deum haberent et adorarent: atqui hæc pagani naturaliter placere non poterant. Hinc B. Paulus, I Cor. 1, 23: *Prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Ergo 3°.

4° *Non ex parte mediolorum quibus ad persuadendum utebantur primi Evangelii præcones.* Omnibus enim subsidiis humanis erant destituti, nulla spe boni aut emolumenti temporalis alliciebant homines, nihil in hac vita promittebant sectatoribus suis præter ignominiam, opprobrium, arumnas, tormenta et mortem; patronos non habebant potentes et principes sæculi, sed e contra infensissimos eos experti sunt, inimicos; Apostolorum enim eorumque discipulorum prædicatio omnibus modis fuit impugnata, a Judaismo et paganismo, invidia sacerdotum, perfidia Judæorum, subtilitate philosophorum, eloquentia rhetorum, prudentia politicorum, superstitio-

ne populorum, immanitate tyrannorum, omni genere suppliciorum, etc. Christiani atrocissimis persecutionibus istis per trecentos annos ubicumque immaniter fuerunt vexati, et nihilominus ita crevit eorum numerus, ut tandem omnino prævaluerint, et idolorum cultus penitus cessaverit, ergo 4°, etc. aliunde, etc.; ergo nulla excogitari potest causa naturalis, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Illud divinam esse religionem non probat quod falsis competit religionibus: atqui celeritas propagationis doctrinæ Christianæ falsis competit religionibus, nempe Paganismo, Mahumetismo, Lutheranismum et Calvinismo: ergo.

R. Dist. maj. Illud non probat, etc. quod falsis competit religionibus eodem modo, *concedo*; diverso modo, *nego maj.* Similiter *distincta minore, nego conseq.* Itaque libenter fateor quod celeritas propagationis non probaret divinam esse religionem Christianam, si eodem modo aliis competeret religionibus: sed falsum est illam aliis religionibus eodem modo et sub eodem respectu esse communem, divinam enim esse religionem Christianam non ideo concludimus quia celeriter per orbem fuit propagata, sed quia evidens est stupendam ejus propagationem nulli causæ naturali tribui posse: prompta vero aliarum religionum diffusio causis naturalibus tribui potest.

1° Paganismus, nedum sicut religio Christiana cupiditatibus adversaretur, illis e contra multum favebat, innatæ hominum propensione ad libidinem blandiebatur, auctoritate principum nitetur, etc. Ergo 1°.

2° Mahumetismus pariter multis cupiditatibus et præsertim luxuriæ habenas laxat, et ipsius institutor non persuasione, sed armis et bello illum propagavit: contra vero Apostoli et cæteri religionis Christianæ præcones, non bellando et interficiendo, sed moriendo, orbem ad Christum adduxerunt. Ergo 2°.

3° Lutherana et Calviniana religio viis naturalibus

suam debuit propagationem; ipsarum enim fundatores et prædicatores erant docti et eloquentes, plures ex principibus et aliis magnatibus habuerunt patronos, præcepta religionis Christianæ emolliabant, sicque cupiditatibus favebant; religiosos et moniales a votis solvebant, his et clericis connubia permittebant, confessionem peccatorum, abstinentiam, jejunia aliaque præcepta naturæ corruptæ importuna sustulerunt; bona ecclesiastica principibus concesserunt; his omnibus causis concurrentibus, non mirum si tam celeriter propagata fuerit illa reformatio.

Ergo 3^o. *ERE FLAMMAM*

Inst. Principes Christiani plurima fecerunt edicta contra Judaismum, Paganismum et hæreticos: ergo his edictis propagatio religionis Christianæ tribui potest.

R. Nego conseq. Probationem enim nostram ex propagatione religionis Christianæ ante conversionem Constantini deducimus: porro ante Constantinum nullus fuit princeps Christianus, nullum saltem prodiit edictum temporalis auctoritatis in favorem religionis Christianæ; sed e contra hæc religio multis modis a principibus fuit impugnata. Ergo.

Obj. 2^o. Tempore Christi et Apostolorum, orbis erat litteratus, et vanitatem idolorum cognoscere incipiebat: ad Christum ergo naturaliter adduci potuerunt homines, sive propter idololatriæ absurditatem, sive propter perfectionem doctrinæ Christi, sive propter virtutes Apostolorum, sive propter eleemosynas quas elargiebantur Christiani, etc.

R. 1^o. *Nego ant. quoad secundam partem.* Plurimi quidem in sæculo Augusti erant homines litterati, sed non ideo orbis vanitatem idolorum agnoscebat; multi enim erant philosophi Epicurei qui nihil credebant, nullum colebant deum; sed omnis populus idolis adhuc serviebat, suis antiquis superstitionibus addictus erat, et velut atheos persequabatur eos qui contrarium sentire videbantur. Ergo.

R. 2^o. *Nego conseq.* Etiam si enim omnes vanitatem idolorum tunc cognovissent, non idcirco parati fuissent

religionem Christianam amplecti, ut patet exemplo philosophorum et rhetorum qui difficilius et in minori numero eam amplexi sunt. Etenim qui cupiditatibus solent indulgere, naturaliter non amplectuntur doctrinam quæ eas severe cohibet: porro qui vanitatem idolorum intelligentes, nihil credebant, liberius adhuc cupiditatibus indulgebant: ergo.

Dici autem non potest naturaliter adductos fuisse ad doctrinam Christianam propter ejus sanctitatem; hæc namque doctrina multis in punctis captum vulgi superabat et philosophis displicebat, quia superbiam eorum conterebat: unde contra illam totis viribus insurrexerunt. Non propter virtutes Apostolorum: si vera enim non fuissent facta quæ narrabant Apostoli, ut impostores et delirantes necessario habiti fuissent; si e contra hæc facta sint vera, tunc eorum missio fuit divina. Non propter eleemosynas quas faciebant Christiani: si abundantes enim elargirentur eleemosynas, apud eos igitur nonnulli saltem erant divites qui liberaliter donabant; at illi divites ad religionem sub spe eleemosynæ recipiendæ non adducebantur: ergo.

Obj. 3^o. Sola plebs ignobilis et imperita primum religionem Christianam suscepit, ut ipse dicit Apostolus, I Cor. 1, 26, *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*: atqui solus amor novitatis potuit hanc plebem ad religionem Christianam impellere: ergo.

R. 1^o. *Nego maj.* Ipse enim Christus, dum in terris degabat, plures habuit discipulos conditione, genere et doctrina conspicuos, Nicodemum scilicet, Judæorum principem, regulum Capharnaiticum, Jairum Synagogæ principem, Lazarum et sorores ejus, Zachæum publicanorum principem, Centurionem qui divinitatem Christi morientis confessus est, Josephum ab Arimathæa nobilem decurionem, et plures alios sic generatim indicatos apud Joan. xii, 42: *Ex principibus multi crediderunt in eum.* Paulo post mortem Christi, innumeri doctrinam ejus amplexi sunt, tum ex Judæis, tum ex gentilibus;

inter eos autem multi erant docti et nobiles, ut SS. Clemens, Ignatius, Irenæus, Justinus, Cyprianus; ut Arnobius, Athenagoras, Origenes, Tertullianus, etc. Ergo.

R. 2°. *Nego min.* Nam plebs ignobilis et imperita multo magis suæ religioni, suis consuetudinibus suisque moribus adherere solet quam viri nobiles et docti; et, licet novitatis ordinarie sit amans, non libenter tamen ad ea fertur quæ ipsius præjudiciis, cupiditatibus et commodis temporalibus opponuntur: atqui religio Christiana præjudiciis, cupiditatibus et commodis temporalibus plebs ignobilis, sicut eruditorum et nobilium, erat opposita; nihil namque plebs poterat expectare nisi vexationes, gaudiorum profanorum privationes, supplicia et mortem: ergo.

§ IV. — De numero et fortitudine martyrum qui pro Christo sanguinem fuderunt.

Martyr idem est ac testis; martyrium igitur et testimonium sunt quid unum et idem. Quælibet facta non nisi per testes ad posteritatem transmitti possunt, sicut et ad absentes: unde Christus dixit Apostolis suis, Act. I, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Ut firmiter esset eorum testimonium, sanguine suo illud signaverunt, et multi alii, eorundem sequentes exemplum, fecerunt similiter. Unde sit

PROPOSITIO.

Divinitas religionis Christianæ ex numero et fortitudine martyrum demonstratur.

Prob. Juxta historiæ monumenta fide digna, innumeri homines omnis ætatis, viri et mulieres, juvenes et virgines, docti et indocti, divites et pauperes, quorum plerique in primis Ecclesiæ sæculis exstiterunt, mortem probrosam et crudelem pro fide Christi servanda subierunt: atqui factum istud probat religionem Christianam esse divinam.

Nam 1° est miraculosum, ut patet ex variis rationibus:

1° ex numero martyrum; duodecim quippe millia millium, juxta communiorem sententiam, numerantur; 2° ex eorum conditione; fuerunt enim, ut diximus, viri et mulieres, docti et indocti, etc.; 3° ex tormentorum specie; horret enim animus meminisse suppliciorum quæ in eos exercebantur; omnes historici scriptores, ipsique pagani, commemorant cruces, equuleos, pectines, ungues ferreos, fustes plumbatos, picem bullientem, plumbum liquefactum, prunas ardentes, ferra candentia, bestiarum dilacerationes et quidquid crudelitatis malitia hominum excogitare potuit; 4° ex modo patiendi inter horrenda hujusmodi tormenta, Christiani etiam debiliores, mulierculæ et teneræ virgines erant placidi, tranquilli, alacres; pro tortoribus orabant, dicentes cum beato Stephano: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, Act. VII, 59; 5° ex effectu persecutionis; nedum tanta crudelitas homines a Christiana religione averteret, eos e contra quasi alliciebat; pullulabant ubique Christiani: unde hæc famosa Tertulliani verba: *Semen est sanguis Christianorum*, Apol. cap. 48. Accerrimæ autem hujusmodi persecutiones per trecentos annos duraverunt. Quis autem bona fide negare poterit tam mirandam constantiam inter tot horrenda supplicia opus esse divinum ac verum miraculum?

2° Martyres bona fide religioni Christianæ adhaerebant, alioquin mortem immanem non ita subiissent: at circa divinitatem religionis Christianæ falli non potuerunt: non potuerunt enim falli circa illius religionis divinitatem, nisi defectu examinis, vel defectu mediorum ad ejus divinitatem cognoscendam idoneorum: atqui neutrum dici potest.

1° *Non defectu examinis.* Repugnat enim tot hominum millia leviter et sine examine aliquam gravis momenti amplecti opinionem; multo magis repugnat eos crudelem patienter et voluntarie subire mortem pro tuenda opinione temeraria et absque sufficienti motivo adoptata. Ergo 1°.

2° *Non defectu mediorum*, etc. Nam religio Christiana divina est si vera sint facta miraculosa quibus nititur: atqui multi saltem ex martyribus facile cognoscere potuerunt

inter eos autem multi erant docti et nobiles, ut SS. Clemens, Ignatius, Irenæus, Justinus, Cyprianus; ut Arnobius, Athenagoras, Origenes, Tertullianus, etc. Ergo.

R. 2°. *Nego min.* Nam plebs ignobilis et imperita multo magis suæ religioni, suis consuetudinibus suisque moribus adherere solet quam viri nobiles et docti; et, licet novitatis ordinarie sit amans, non libenter tamen ad ea fertur quæ ipsius præjudiciis, cupiditatibus et commodis temporalibus opponuntur: atqui religio Christiana præjudiciis, cupiditatibus et commodis temporalibus plebs ignobilis, sicut eruditorum et nobilium, erat opposita; nihil namque plebs poterat expectare nisi vexationes, gaudiorum profanorum privationes, supplicia et mortem: ergo.

§ IV. — De numero et fortitudine martyrum qui pro Christo sanguinem fuderunt.

Martyr idem est ac testis; martyrium igitur et testimonium sunt quid unum et idem. Quælibet facta non nisi per testes ad posteritatem transmitti possunt, sicut et ad absentes: unde Christus dixit Apostolis suis, Act. I, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Ut firmiter esset eorum testimonium, sanguine suo illud signaverunt, et multi alii, eorundem sequentes exemplum, fecerunt similiter. Unde sit

PROPOSITIO.

Divinitas religionis Christianæ ex numero et fortitudine martyrum demonstratur.

Prob. Juxta historiæ monumenta fide digna, innumeri homines omnis ætatis, viri et mulieres, juvenes et virgines, docti et indocti, divites et pauperes, quorum plerique in primis Ecclesiæ sæculis exstiterunt, mortem probrosam et crudelem pro fide Christi servanda subierunt: atqui factum istud probat religionem Christianam esse divinam.

Nam 1° est miraculosum, ut patet ex variis rationibus:

1° ex numero martyrum; duodecim quippe millia millium, juxta communiorem sententiam, numerantur; 2° ex eorum conditione; fuerunt enim, ut diximus, viri et mulieres, docti et indocti, etc.; 3° ex tormentorum specie; horret enim animus meminisse suppliciorum quæ in eos exercebantur; omnes historici scriptores, ipsique pagani, commemorant cruces, equuleos, pectines, ungues ferreos, fustes plumbatos, picem bullientem, plumbum liquefactum, prunas ardentes, ferra candentia, bestiarum dilacerationes et quidquid crudelitatis malitia hominum excogitare potuit; 4° ex modo patiendi inter horrenda hujusmodi tormenta, Christiani etiam debiliores, mulierculæ et teneræ virgines erant placidi, tranquilli, alacres; pro tortoribus orabant, dicentes cum beato Stephano: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, Act. VII, 59; 5° ex effectu persecutionis; nedum tanta crudelitas homines a Christiana religione averteret, eos e contra quasi alliciebat; pullulabant ubique Christiani: unde hæc famosa Tertulliani verba: *Semen est sanguis Christianorum*, Apol. cap. 48. Accerrimæ autem hujusmodi persecutiones per trecentos annos duraverunt. Quis autem bona fide negare poterit tam mirandam constantiam inter tot horrenda supplicia opus esse divinum ac verum miraculum?

2° Martyres bona fide religioni Christianæ adharebant, alioquin mortem immanem non ita subiissent: at circa divinitatem religionis Christianæ falli non potuerunt: non potuerunt enim falli circa illius religionis divinitatem, nisi defectu examinis, vel defectu mediorum ad ejus divinitatem cognoscendam idoneorum: atqui neutrum dici potest.

1° *Non defectu examinis.* Repugnat enim tot hominum millia leviter et sine examine aliquam gravis momenti amplecti opinionem; multo magis repugnat eos crudelem patienter et voluntarie subire mortem pro tuenda opinione temeraria et absque sufficienti motivo adoptata. Ergo 1°.

2° *Non defectu mediorum*, etc. Nam religio Christiana divina est si vera sint facta miraculosa quibus nititur: atqui multi saltem ex martyribus facile cognoscere potuerunt

vera esse facta quibus religio Christiana nititur; illa enim facta supponuntur publica, diuturna et sapissime iterata, multi autem martyres illorum fuerunt testes oculati aut coævi. Ergo 2º, etc. Aliunde, etc. Ergo, etc. Unde *Pascal*, *Pensées*, cap. 28: « Je crois volontiers les histoires dont » les témoins se font égorger. »

Solentur objectiones.

Obj. 1º. Nec defectu mediorem veritati detegendæ idoneorum, nec defectu examinis, sed fanaticismo forsitan abrepti, decepti sunt martyres: ergo ex eorum numero et fortitudine non probatur, etc.

R. Nego ant. Constantia enim qua martyres oppetebant mortem placida et tranquilla erat, per tria sæcula perseveravit, et etiam nunc perseverat in Ecclesia, in omnibus conditionibus inventa est, apud divites et pauperes, doctos et indoctos, juvenes et senes: porro huiusmodi determinatio tam constans, tam placida et tranquilla, fanaticismo tribui non potest; fanaticismus enim est quædam delirii species: quæ mentem absque motivis et contra rationem abripit: at perabsurde diceretur constantiam martyrum quamdam fuisse delirii speciem: quis enim credet tot viros, quorum opera propter sapientiam et eloquentiam nunc demiramur, vere fuisse delirantes? Ergo.

Obj. 2º. Fieri potest ut martyres ex desiderio vanæ gloriæ mortem oppetierint, nempe ut celebre acquirerent nomen apud posteros. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1º in primis Ecclesiæ sæculis probrosum et indecorum erat in mundo nomen Christianum; vanæ gloriæ igitur cupido ad illud desiderandum impellere non poterat. 2º Pauci admodum inveniuntur qui pro vana obtinenda gloria mortem libenter subeant. 3º Martyres nullo modo sperare poterant fore ut nomen suum celebre esset apud posteros; non ignorabant multos saltem ex iis qui pro fide Christi sanguinem effundebant, altissimæ oblivioni tradendos esse. Ergo.

Obj. 3º. Paganismus, Mahumetismus et diversæ hæreses suos etiam habent martyres: ergo ex numero et fortitu-

dine martyrum nihil concludi potest in gratiam religionis Christianæ.

R. Dist. ant. Suos habent martyres, sed multum est discrimen ipsos inter et martyres religionis Christianæ in genere, *concedo*; et nullum est discrimen, *nego ant.* Nam 1º pauci sunt eorum martyres, nostri vero sunt innumeri; 2º pro opinionibus speculativis, in quibus facilis est illusio, moriebantur; nostri autem, præsertim in primis Ecclesiæ sæculis, pro asserendis factis publicis, sensibilibus, iteratis, circa quæ decipi non potuerant, mortem oppetebant; 3º multi ex martyribus Judaismum et Paganismum deseruerant, ut fidem Christi amplecterentur, sieque pro nova religione moriebantur, quod saltem de plerisque falsarum religionum martyribus dici non potest: ergo ingens datur discrimen, etc.

Inst. Plerique martyres non fuerunt testes factorum quibus veritas religionis Christianæ nititur, ac proinde pro opinione speculativa moriebantur: ergo eorum testimonium non plus probat in favorem religionis Christianæ quam testimonium aliorum in gratiam falsarum religionum.

R. Nego ant. Nam 1º multi fuerunt testes oculati sive miraculorum Christi, sive miraculorum Apostolorum, sive effusionis Spiritus sancti aliorumque prodigiorum; alii fuerunt testes coævi, et facile cognoscere potuerunt prædicta facta esse vera: atqui tales testes omnimoda fide sunt digni. 2º Qui deinde a falsis religionibus ad Christum conversi sunt, stricto examini subiecerunt facta quibus veritas religionis Christianæ nititur, et similiter multi ex iis qui in Christianismo nati sunt sedulo fundamenta suæ fidei discusserunt: sic utrique plenam acquisierant certitudinem de existentia illorum factorum; his ergo factis testimonium vere reddebant, quando pro tuenda fide Christiana supplicia tolerabant et sanguinem fundebant. 3º Tot millia millium puerorum, juvenum, virginum, mulierum, senum, etc., tam crudeliter et acerba tormenta tanta fortitudine et patientia naturaliter sufferre non potuerunt: in eis ergo divina agnoscenda est operatio.

Nobis adhuc objiciuntur incredibiles Brachmanum apud Indos et Dervicharum apud Turcas austeritates, quæ morte longe sunt acerbiores. Sed in illis manifesta apparent insulsitatis et fanatici signa, et aliunde motus humanis inspirari possunt, v. g. fama inde apud populum oriente, pecunia quæ sic acquiritur, facilitate libidinibus sub velo sanctitatis securius indulgendi, etc. Idem dicendum est de mulieribus quæ in India vivæ cum marito mortuo comburuntur; ad hanc enim combustionem a parentibus defuncti coguntur, et illam refugere non possunt quin perpetuam et intolerabilem sibi acquirant infamiam: atqui hujusmodi austeritates et supplicia nullo modo cum testimonio martyrum nostrorum comparari possunt, *ut patet*: ergo.

Obj. 4^o. Plurimorum nefandorum criminum accusati sunt primi Christiani, v. g. infanticidii, comestus carnis humanæ, incestus, odii erga imperatores, et seditionis: ergo non mirum est si tanta severitate eos insectati sint principes et magistratus.

R. Dist. ant. Plurimorum accusati sunt nefandorum criminum, sed non fuerunt convicti, *concedo*; et fuerunt convicti, *nego ant.* Equidem rumore quodam identidem sparso, pluries dicitur pagani Christianos horrendorum scelerum esse reos; id concludebant ex imperfectis quas habebant notionibus mysteriorum nostrorum, præsertim sacrificii Missæ et Eucharistiæ, ex eo quod viderent eos ordinarie tempore noctis convenire, et ex absurdis principiis et perversis actionibus quorundam hæreticorum qui sub generali nomine Gnosticorum designati sunt. At nunquam veri Christiani prædictorum convicti sunt criminum, alioquin edicta imperatorum adversus eos lata et sententiæ judicium mentionem de hujusmodi criminibus facerent. Solummodo quærebatur a martyribus an essent Christiani; quod si confiterentur, ad mortem mittebantur: si vero Christum abnegarent, statim liberi fiebant: principes ergo et magistratus nullo modo persuasum habebant eos nefandorum criminum esse reos.

Nusquam autem rebellionis erga principes serio fuerunt accusati, nisi eo sensu quod legibus et mandatis contra jus divinum naturale aut positivum parere recusarent; in cæteris vero promptum imperatoribus præstabant obsequium: at in ea agendi ratione nulla est seditio vel rebellio, nisi dicatur principibus aliquid evidenter contra jus divinum præcipientibus obediendum esse; quisquis autem rectam consuluerit rationem, nunquam id affirmare audebit. Ergo.

Præterea, si martyres seditiosi et rebelles fuissent, legio Thebana, quæ 6,600 bellatores complectebatur, vim injustam sibi illatam repulisset, nec tanta patientia crudelem mortem subiisset: fortissimi illi milites non ultro, depositis armis, se trucidandos obtulissent. Insuper Tertull. in Apol. cap. 37, scribens ad senatum Romanum, asserit Christianos tanto tunc esse numero, ut ipsum imperium facile evertere possent, si arma contra suos persecutores suscipere vellent: nunquam tamen id tentarunt, licet immanissimis vexati tormentis. Nullibi denique legitur in historia Christianos fuisse rebelles; semper e contra in exercitiis, sicut in aliis publicis officiis, fidelissimos erga principes se præstiterunt. Ergo.

Plurima alia et invicta institui possent argumenta ad divinitatem religionis Christianæ demonstrandam, v. g. 1^o ex testimoniis auctorum profanorum, quod fecit *Bullet*, in suo hac de re opere jam citato; 2^o ex insigni victoria quam legio Militina, dicta *fulminante*, miraculose sub Marco Aurelio precibus suis obtinuit, circa quod legi potest dissertatio *D. Weston*; 3^o ex singulari miraculo quo multi fidei confessores publice et diu perfecte locuti sunt, postquam lingua eorum, jubente Hunnerico rege Ariano, usque ad radicem fuit abscissa: factum istud in dubium revocari non potest. Vide *Fleury*, l. 30, n. 10, et *Godescard*, et præsertim opus cui titulus: *La religion Chrétienne prouvée par un seul fait*; 4^o ex perpetua et mirabili religionis Christianæ conservatione, etc.

Multipliciter igitur divinitas religionis Christianæ demonstratur. Si autem unumquodque ex eis quæ protuli-

mus argumentis seorsim sumptum sit invictum, et plenam animi convictionem obtineat, quanto majorem omnia simul juncta pariunt certitudinem! Sese enim corroborant, mutuam vim sibi præstant, intellectum magis ac magis illuminant et firmiorem mentis adhæsiorem suadent: unde, quicumque bona fide hæc omnia fidei nostræ fundamenta attente considerat et sedulo pensat, clarissima luce undique coruscante velut perfunditur, et statim in hæc Psalmistæ verba ex infimis præcordiis erumpit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, Ps. xcii, 5.*

APPENDIX HISTORICA

DE SAMARITANIS.

Propter idololatriam aliaque Salomonis delicta, permisit Deus ut, regnante filio ejus Roboam, decem tribus a Juda separarentur, et aliud sub Jeroboam efformarent regnum, III Reg. xi: hinc prima regni Israel origo, anno ante Christum 972. Timeens Jeroboam ne forte ipsius subditi ad Judæos redire vellent, statuit quod deinceps Jerusalem non ascenderent ut ibi coram arca immolarent, juxta præceptum Domini, Exod. xxiii, 17; Deut. xvi, 16; templa erexit in Dan et Bethel, ibique immolandum esse jussit: unde magnum cœpit existere schisma inter utrumque populum.

Amri, quintus post Jeroboam rex Israel, duobus talentis argenti optimum et aspectabilem emit montem¹ a quodam *Somer*, III Reg. xvi, 24; magnam super illum ædificavit civitatem quam nomine primi hujus loci possessoris vocavit *Samariam*, eamque caput regni sui fecit². Ideo totum regnum istud antonomastice vocatum est *Samaria*, et ipsius incolæ dicti sunt Samaritani. Hi autem Pentateuchum retinuerunt religioseque servaverunt: at cunctos alios libros apud Judæos receptos et universas traditiones ab ipsis probatas constanter rejecerunt.

Anno mundi 3283, ante Christum 721, Salmanasar, rex Assyriæ, invasit regnum Israel, Samariam per tres annos obsedit, eam cepit, et Israelitas in captivitatem conversos Ninivem transtulit. Assarhadon, Sennacherib successor, versus annum mundi 3294 regnare incœpit; paulo post Samariam iterum depopulavit et reliquos ejus habita-

¹ Leucis quindecim circiter a Jerusalem distantem.
Anno ante Christum 924.

tores in Assyriam deportavit; alios vero eduxit populos de Babylone, Cutha aliisque regionibus, et collocavit eos in civitatibus *Samariæ pro filiis Israel*, IV Reg. xvii, 24, ut terram hanc desertam occuparent et excolerent.

Cam autem ibi habitare cepissent, non timebant Dominum, et immisit in eos Dominus leones qui interfeciebant eos; ibid. 25. Nuntiatum est regi Assyriorum has gentes a leonibus interfici, eo quod legitima Dei terræ ignorarent; tunc ad eos misit rex unum de sacerdotibus captivis qui doceret eos *legitima Dei terræ*, id est, legem Moysis. Nihilominus extranei illi populi speciales suos habebant deos, sicque, profanos ritus cultui veri Dei commiscentes, quoddam religionis monstrum sibi constituerunt.

Quando Judæi, permittente Cyro, templum Jerusalem instaurare cœperunt, anno ante Christ. 535, eos perturbare et impedire conati sunt Samaritani, I Esdr. iv, 23; fortius adhuc obstiterunt illis, ubi viderunt eos mœnia civitatis sub Nehemia extruere tentantes, anno 434; illos tamen ab incepto opere cohibere non potuerunt.

Esdras autem de captivitate redux sacras sedulo collegit atque ordinavit Scripturas, easque novis scripsit characteribus, Chaldæis videlicet; in longa enim captivitate mos invaluerat apud Judæos vulgaribus utendi litteris, et veteres penitus obliti fuerant. Samaritani vero, invidia erga eos accensi, hanc innovationem ipsumque novatorem semper detestati sunt, et etiam nunc detestantur, veteresque characteres, licet informes et valde injucundos, jugiter retinuerunt integros.

Vehementi zelo pro lege Dei inflammatus Nehemias, plurimos corrigere studuit abusus inter populum grassantes: voluit in primis ut omnes qui alienigenas duxerant uxores, absque misericordia statim eas dimitterent¹. Quidam sacerdos nomine Manasses, II Esdr. xiii, 28, filiam Sannaballat, viri potentis inter Samaritanos, uxorem habebat: eam dimittere nolens, Judæos per veram apostasiam deseruit, et ad socerum suum aufugit.

Sannaballat, pro rege Persarum Samariæ gubernator, licentiam obtinuit ingens ædificandi templum super montem *Garizim* prope Samariam, ibique generum suum summum constituit sacerdotem; ex tunc cœperunt fieri quotidie in novo hoc templo sacrificia et caremonia: que juxta legem Moysis fieri consueverant in Jerusalem: irreligiosi, impii et omnes perditii homines qui censuram aliasve poenas incurrebant apud Judæos, confugiebant ad Samaritanos, et, more ab eis recepto, Deo in monte *Garizim* serviebant: sic, altare contra altare erecto, excrevit divisio inter utrumque populum, obfirmatum est schisma, et multum invaluit odium jam existens.

Paulatim tamen ab idololatria ritibus recesserunt Samaritani, nec

¹ Anno ante Christum 466.

² Prideaux, t. 2, p. 288.

mus argumentis seorsim sumptum sit invictum, et plenam animi convictionem obtineat, quanto majorem omnia simul juncta pariunt certitudinem! Sese enim corroborant, mutuam vim sibi præstant, intellectum magis ac magis illuminant et firmiorem mentis adhæsiorem suadent: unde, quicumque bona fide hæc omnia fidei nostræ fundamenta attente considerat et sedulo pensat, clarissima luce undique coruscante velut perfunditur, et statim in hæc Psalmistæ verba ex infimis præcordiis erumpit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, Ps. xcii, 5.

APPENDIX HISTORICA

DE SAMARITANIS.

Propter idololatriam aliaque Salomonis delicta, permisit Deus ut, regnante filio ejus Roboam, decem tribus a Juda separarentur, et aliud sub Jeroboam efformarent regnum, III Reg. xi: hinc prima regni Israel origo, anno ante Christum 972. Timeens Jeroboam ne forte ipsius subditi ad Judæos redire vellent, statuit quod deinceps Jerusalem non ascenderent ut ibi coram arca immolarent, juxta præceptum Domini, Exod. xxiii, 17; Deut. xvi, 16; templa erexit in Dan et Bethel, ibique immolandum esse jussit: unde magnum cœpit existere schisma inter utrumque populum.

Amri, quintus post Jeroboam rex Israel, duobus talentis argenti optimum et aspectabilem emit montem¹ a quodam *Somer*, III Reg. xvi, 24; magnam super illum ædificavit civitatem quam nomine primi hujus loci possessoris vocavit *Samariam*, eamque caput regni sui fecit². Ideo totum regnum istud antonomastice vocatum est *Samaria*, et ipsius incolæ dicti sunt Samaritani. Hi autem Pentateuchum retinuerunt religioseque servaverunt; at cunctos alios libros apud Judæos receptos et universas traditiones ab ipsis probatas constanter rejecerunt.

Anno mundi 3283, ante Christum 721, Salmanasar, rex Assyriæ, invasit regnum Israel, Samariam per tres annos obsedit, eam cepit, et Israelitas in captivitatem conversos Ninivem transtulit. Assarhadon, Sennacherib successor, versus annum mundi 3294 regnare incœpit; paulo post Samariam iterum depopulavit et reliquos ejus habita-

¹ Leucis quindecim circiter a Jerusalem distantem.
Anno ante Christum 924.

tores in Assyriam deportavit; alios vero eduxit populos de Babylone, Cutha aliisque regionibus, et collocavit eos in civitatibus *Samariæ pro filiis Israel*, IV Reg. xvii, 24, ut terram hanc desertam occuparent et excolerent.

Cam autem ibi habitare cepissent, non timebant Dominum, et immisit in eos Dominus leones qui interfeciebant eos; ibid. 25. Nuntiatum est regi Assyriorum has gentes a leonibus interfici, eo quod legitima Dei terræ ignorarent; tunc ad eos misit rex unum de sacerdotibus captivis qui doceret eos *legitima Dei terræ*, id est, legem Moysis. Nihilominus extranei illi populi speciales suos habebant deos, sicque, profanos ritus cultui veri Dei commiscentes, quoddam religionis monstrum sibi constituerunt.

Quando Judæi, permittente Cyro, templum Jerusalem instaurare cœperunt, anno ante Christ. 535, eos perturbare et impedire conati sunt Samaritani, I Esdr. iv, 23; fortius adhuc obstiterunt illis, ubi viderunt eos mœnia civitatis sub Nehemia extruere tentantes, anno 434; illos tamen ab incepto opere cohibere non potuerunt.

Esdras autem de captivitate redux sacras sedulo collegit atque ordinavit Scripturas, easque novis scripsit characteribus, Chaldæis videlicet; in longa enim captivitate mos invaluerat apud Judæos vulgaribus utendi litteris, et veteres penitus obliiti fuerant. Samaritani vero, invidia erga eos accensi, hanc innovationem ipsumque novatorem semper detestati sunt, et etiam nunc detestantur, veteresque characteres, licet informes et valde injucundos, jugiter retinuerunt integros.

Vehementi zelo pro lege Dei inflammatus Nehemias, plurimos corrigere studuit abusus inter populum grassantes: voluit in primis ut omnes qui alienigenas duxerant uxores, absque misericordia statim eas dimitterent¹. Quidam sacerdos nomine Manasses, II Esdr. xiii, 28, filiam Sannaballat, viri potentis inter Samaritanos, uxorem habebat: eam dimittere nolens, Judæos per veram apostasiam deseruit, et ad socerum suum aufugit.

Sannaballat, pro rege Persarum Samariæ gubernator, licentiam obtinuit ingens ædificandi templum super montem *Garizim* prope Samariam, ibique generum suum summum constituit sacerdotem; ex tunc cœperunt fieri quotidie in novo hoc templo sacrificia et caremonia: que juxta legem Moysis fieri consueverant in Jerusalem: irreligiosi, impii et omnes perditii homines qui censuram aliasve poenas incurrebant apud Judæos, confugiebant ad Samaritanos, et, more ab eis recepto, Deo in monte *Garizim* serviebant: sic, altare contra altare erecto, exerevit divisio inter utrumque populum, obfirmatum est schisma, et multum invaluit odium jam existens.

Paulatim tamen ab idololatria ritibus recesserunt Samaritani, nec

¹ Anno ante Christum 466.

² Prideaux, t. 2, p. 288.

ad eos unquam postea redierunt. Veram Deum, secundum caeremonias per Moysen praescriptas, colebant, excepto quod Jerosolymiam non ascenderent. At sacerdotes Judaei schismaticum hujusmodi cultum abominantes, tantam pronuntiaverunt excommunicationem contra Samaritanos, ut nulla similis unquam visa fuerit; ne volebant quidem ut communissima eis praestarentur humanitatis officia.

Samaritani ex sua parte maximo odio prosequentes Judaeos, eos quantum poterant semper vexabant; hac de causa, in violenta Antiochi persecutione, impio regi adhaeserunt et auxilium ei praebuerunt. Sed Joannes Hircanus, Simonis Machabaei filius, eos persecutione finita debellavit¹, vicit, Samariam cepit et templum Garizim funditus everlit: schisma tamen non exstinxit, nec impedire potuit quin in eodem loco sacrificaretur et religiosus celebraretur cultus.

Gabinus, consul Romanus et praeses Syriae, anno 58 ante Christum, Samariam reaedificare cepit. Herodes Magnus omnino eam instauravit et vocavit Sebastam, in memoriam Augusti, a quo eam titulo proprietatis acceperat; Σεβαστή enim in idioma Graeco idem significat ac *Augusta* in Latino. Forte collocavit praesidium in Turri Stratonis quae in honorem ejusdem Caesaris Augusti appellata est Caesarea.

Prope hanc urbem, ad pedes montis Garizim, erat puteus Jacob in quem Jesus colloquium habuit cum muliere Samaritana de civitate *Sichar*, quae est vetus *Sichem*, Joan. iv. Ex illo autem mirabili colloquio et ex pluribus aliis locis Novi Testamenti, evidenter constat summum adhuc hoc tempore existisse odium inter Judaeos et Samaritanos, Joan. iv, 9, et viii, 48.

In universa clade Judaeorum sub Vespasiano, valde oppressa est tota gens Samaritana, multa perpessa est mala; per orbem, sicut Judaei, dispersa est, eandem subit conditionem, et nihilominus constanter ab illis fuit separata. Ejus reliquiae adhuc supersunt pluribus in pagis atque urbibus Orientis, praesertim in Cairo *Aegypti*, in Gaza et in Neapoli² vel Naplosa, ubi magnum suum habent sacrificatorem. Summa veneratione adhuc servant Pentateuchum primis characteribus exaratum de quo mentionem faciunt Origenes et Hieronymus. Hujus exemplar quidam viator ad nos detulit; eruditissimus P. *Morin*, de congregatione Oratorii, illud typis mandandum curavit ac in lucem edidit, anno 1631. Qui plura de Samaritanis noscere voluerit, consulat Josephum, de Antiq. Jud. *Prideaux*, *Histoire des Juifs*; *Basnage*, idem, etc.

¹ Anno ante Christum 130.

² Neapoli, antiqua Sichem ab Herode instaurata, est sic dicta, id est, civitas nova.

APPENDIX HISTORICA

DE MAHUMETISMO.

Nobis dicendum est 1° de Mahumete et successoribus ejus; 2° de ipsius doctrina.

DE MAHUMETE ET SUCCESSORIBUS EJUS.

Mahumetes, seu Mahomed vel Mohammedus, natus est Meccae in Arabia Deserta, anno aera nostrae 570, juxta communioem opinionem, ex tribu *Coraisch*, nobilissima Ismaelitarum Abrahæ posterorum. Parentibus orbatus adhuc puer, et bonis fortunae destitutus, ab *Abdal-Mothalleb*, avo suo, susceptus est, et deinde a patre suo *Abou-Thaleb*, *Abdal-Mothalleb* filio, educatus fuit. Anno ætatis suae vigesimo mercaturam cepit exercere et emporia publica frequentare. Redux Meccae, et annis 25 proventus, munus institoris apud *Kadidjah*, ditissimi mercatoris viduam, obtinuit: tam perfecte res ejus curavit, tanque ei placuit, ut ab illa in matrimonium ductus et amplissimis facultatibus donatus fuerit.

Tantas opes tantamque fortunam, praeter spem suam, adeptus, desiderium superius ascendendi et ad primum imperii fastigium perveniendi concepit; propterea de nova religione instituenda attente et serio cogitavit.

Hoc tempore multis superstitionibus imbuti erant Arabes, intestinis atque civilibus bellis quatiebatur Persia, divisionibus et imperitia debilitatum in ruinam tendebat imperium Graecum; totum Occidens ingentibus barbarorum turmis coopertum, deusissimis ignorantiae tenebris jam incipiebat obvolvī.

Mahumetes autem, cum saepe iter fecisset per Syriam, Palaestinam et Aegyptum, colloquia frequenter habuisset cum Judaeis et variis Christianorum sectis, multa de religione Moysis et Christi didicerat, licet imperfecte. Aliunde naturalibus egregie praeditus erat dotibus, ingenio callidus, memoria felix, eloquentia premens, praesentia animi pollens, fortitudine constans, statura praestans, sanitate robustus, arte fingendi ac decipiendi peritus: morum austeritatem diu simulavit; in speluncas montis *Hara*, prope urbem, unoquoque anno per mensem integrum secedere ibique meditationi vacare solebat, et ita singularem pietatis opinionem sibi conciliabat.

Annis 40 natus, in consuetam solitudinem per mensem *ramadan* ivit, et hac vice totam familiam suam secum duxit. Quodam die narravit uxori suae Gabrielem Archangelum nocte praecedenti sibi apparuisse, apostolum Dei eum vocasse, et nomine Dei aeterni jussisse ut

legeret¹ et veritates sibi revelandas homines doceret. Primam hanc imposturam persuasit *Kadidjah*, consanguineo ejus *Varaca*, qui Vetus ac Novum Testamentum legerat et doctores Judæos et Christianos frequentaverat; *Aly* patrueli suo, qui gener ipsius fuit; *Aboubekr* viro magnæ auctoritatis in Mecca, ejus filiam postea duxit; *Otheman*, *Abdalahman*, *Saad*, *Zabair* et *Talha*. Per decem primos annos sat parvos tamen obtinuit successus; imo, propriis concubibus eum deridentibus, et magistratibus civitatis eum persequentibus ac mortem illi parantibus, exiens nocte fugit et petiit *Yathreb*, alteram Arabiæ Deserti civitatem nonaginta leucis a Mecca distantem, quæ dicta est *Medinat-al-Naby*, civitas prophetae, vel simpliciter *Medina*. Tam celebris evasit hæc Mahumetis fuga, ut ab omnibus populis Mahumetanis assumpta fuerit tanquam ære eorum initium quod diei veneris 16 Julii anni 622 æræ nostræ respondet, et dicitur Hegira, *Hégire*, a voce Arabica *Hedgrah*, id est, fuga.

Hactenus sola persuasionis via usus fuerat Mahumetes; ex tunc vero pactum cum discipulis suis pro mutua defensione iniit, omnem prohibuit disputationem cum extraneis circa doctrinam suam, declaravit eam ex mandato divino gladio defendendam et victoriis persuadendam esse. Statim reipsa cepit arma gestare, infideles, id est religioni suæ adversantes, debellare, urbes expugnare, fidem longe lateque igne et ferro prædicare: solebat dicere singulos prophetas specialem suæ auctoritatis habuisse notam, Christum cum mansuetudine, seipsum vero cum fortitudine missum fuisse.

Plurimas celebres præsertim contra Judæos reportavit victorias, Meccam occupavit et civibus captis imperavit credere aut mori. Alias immensa sibi adjunxit provincias, ita ut ipsius imperium 400 leucis tam ad meridiem quam ad orientem Mediæ dilataretur. Puella autem Judæa, scientiam ejus tentare volens, veneno infecit armum ovis ipsi apponendum. Nefariam machinationem non suspicans falsus propheta, de armo bona fide comedit, et veneno lento confectus, obiit anno ætatis suæ 62, hegræ 10 et æræ nostræ 632. Sepultus est sub lecto in quo mortuus erat. Tumulus ejus nunc conspicitur in magno templo (*mosquæ*) Mediæ cancellis ferreis circumvolutus. Falsum est illum ope adamantis lapidum in aere esse suspensum. Testamento suo statuerat ut *Aly*, gener suus, sibi immediate succederet: at duces exercitus *Aboubekr* socerum ejus elegerunt, et califum seu Prophetæ vicarium constituerunt. Ipsi cura et jussu prima vice Alcoranus, de quo infra dicemus, ope *Zaib-ben-Thabet*, scribæ, in lucem prodit.

Eo mortuo, *Omar I* electus est califus, et maximus omnium fuit populorum domitor: intra decem annos triginta sex millia urbium vel castellorum per duces suos cepit, quatuor millia templorum Christianorum vel paganorum evertit, et alia mille quadraginta religioni suæ ædificavit: ille est qui celeberrimam bibliothecam Alexandrinam

¹ Communis opinio est apud Musulmanos Mahumetem legere non scivisse.

comburi jussit, anno 642¹; occisus est anno 644, hegræ 22; successorem habuit *Otheman*, qui occisus est et ipse anno 656. Post eum *Aly* tandem obtinuit califatum, et sedem imperii a Medina transtulit *Goussa* super Euphratem. Traditiones observationesque in Alcorano non scriptas abolevit, hinc magna facta est divisio inter Mahumetanos, aliis quippe veram doctrinam prophetæ per *Aboubekr* promulgatam sectantibus, aliis vero reformationi ab *Aly* factæ adhærentibus.

Hispania a Carthaginensibus, Romanis, Gothis et Vandalis successive occupata, a Mahumetanis Arabibus, dictis *Mauris* propter nigritudinem, vel quia per Mauritaniam Africæ provinciam venerant, fuit invasa anno 711, et ab eis penitus liberari non potuit ante finem decimi quinti sæculi.

Decem et novem sibi successerunt califi ex *Omar* descendentes, qui idcirco vocati sunt *Ommiadi*. Versus annum 752 alia cepit existere dynastia califorum ex *Abbas*, Mahumetis patruo, ortorum, qui propterea dicti sunt *Abassidi*, *Abou-Giafar-Almanzor*, secundus hujus dynastiæ califus, caput sui imperii fecit Bagdad ad Tigrim ædificatam, ibique ipsius successores usque ad initium decimi quinti sæculi sedem habuerant: at circa nonum aut decimum æræ nostræ sæculum omnem temporalem auctoritatem amiserunt, et solam potestatis umbram retinuerunt. Imperium successive divisum est; varii optimates in diversis locis auctoritatem de facto exercebant, et cæperunt vocari Sultani, *Sultans*, id est Domini.

In undecimo sæculo, Turci, ex Scythia oriundi, a multo tempore jam existentes, adversus Græcos et Saracenos prævalere inceperunt, et in Oriente potentes facti sunt. Circa annum 1300, *Ottoman* vel *Othman*, ex illa gente oriens, summus factus est dominus vel sultanus; hinc successores ejus dicti sunt *Ottomani*. Mahumetes II, unus ex illis, ejus cognomen Magnus, Constantinopolim anno 1453 obsedit, vi aperta eam cepit atque sedem imperii fecit. Eam huc usque possederunt Turci et principes Ottomanici. Param et integrum Mahumetis doctrinam se retinere gloriantur, sicut Tartari et Africani; et dicuntur Sunniti (*Sunnites* vel *Sonites*), quia adhærent Sunitæ, id est traditioni Alcorano superaddita; maximo odio prosequuntur Persas aliosque populos Orientales, præsertim in India, quia reformationem *Aly* sectantur; et vocantur etiam Fatimiti (*Fathimites*) a *Fatimè*, Mahumetis filia et *Aly* uxore, eosque appellant Shiitas (*Shiites* vel *Chiites*), id est, separatos, schismaticos, hæreticos, etc. Hi autem *Aly* discipuli adeo divisi sunt, ut jam plus quam septuagenæ duæ sectæ inter eos numerentur.

¹ Cuncta hujus bibliothecæ volumina distribuenda esse voluit Amrou, dux exercitus Omar, balneis publicis quæ, licet numero 4,000, per sex menses ope prædictorum librorum calefacta sunt.

DE DOCTRINA MAHUMETIS.

Doctrina religionis Mahumetanæ continetur præcipue in libro cui titulus *al Coran*, a duabus vocibus in lingua Arabica usitatissimis, scilicet *al*, articulus, Gallice *le*, et *coran*, nomen substantivum idem sonans ac collectio vel liber: sic antonomastice propter excellentiam suam simpliciter dicitur *liber*, sicut apud nos codex Scripturarum sacrarum vocatur sine addito *Biblia*, a verbo Græco βιβλος.

Juxta Mahumetanorum traditiones, singularis ille liber, omnium perfectissimus et cunctas hominum facultates longe superans, e conspectu throni Dei quadam nocte mensis *ramadan*, in infimum cælum, id est in cælum lunæ descendit, in membrana ex pelle arietis quem occidit Abraham in loco Isaac confecta descriptus.

Archangelus Gabriel Mahumetem frequenter visitans, divinum et incomparabilem hunc librum per partes intra viginti tres annos ad eum detulit; cum autem Propheta, secundum vulgarem Arabum opinionem, scribendi legendique gnarus non esset, ministerio scribarum utens, scientias sibi revelatas in chartulis scribendas curabat.

Post ipsius obitum, *Aboubekr*, primatum adeptus, summam statim adhibuit curam ut omnes chartulæ sedulo collectæ in unum coalescerent: ipso jubente, *Zaid-ben-Thabet* hunc suscepit laborem; chartulis adjungens fragmenta quæ reperit in omoplastis ovium, in lapidibus albis, in foliis palmarum, in frustulis corii vel panni scripta, sententias memoria solum retentas et varie sibi narratas, hæc omnia promiscue et sine ullo ordine coadunans, sat grande, sed omnino informe composuit volumen: illud tamen divisit in capita, et singulis capitibus speciales annexit titulos ordinariè vagos, vel sensu carentes, et sæpe ridiculos, v. g. de *ape*, de *formica*, de *vacca*, de *arana*, de *fumo*, de *stercoribus*, etc.

Nullus unquam visus est liber adeo vagus et obscurus, tot nugis, repetitionibus et contradictionibus refertus, tam fastidiosus et omnino vero sensu destitutus. Solis ignorantia tenebris et cupiditatum illecebris explicari potest quomodo fidem ei adhuc præbeant Mahumetani; in crassa ignorantia enim cuncti illi populi versantur, ut neminem latet, et carnis voluptatibus, adeo vehementer allicientibus in his regionibus, multum favet *Alcorani* doctrina: hæc namque, quantum colligi potest, summa est illius libri doctrina quæ ad dogmata, præcepta moralia et leges ceremoniales reducit.

1^o *Quoad dogmata*, hæc præcipue habentur, scilicet: 1^o Unus est Deus summe perfectus qui similem sui generare non potest, proindeque trinitas in Deo admitti nequit. 2^o Sunt angeli qui subtilissima ex igne composita habent corpora: non manducant tamen neque bibunt, nec diversi sunt sexus. Alii Deum adorant, alii laudes divinas canunt, alii pro hominibus intercedunt, et alii thronum Dei portant. Quatuor

frequentius nominantur, nempe *Gabriel*, *Michael*, *Azrael* et *Iffrafil*. Singulis hominibus adsunt angeli custodes qui quotidie uniuscujusque actiones accurate describunt. Angelus *Azazel* Deo erat proximus; sed jussus Adamum adorare, vel coram illo procumbere, recusavit; ideo ab excelsa statione sua decidit, et factus est diabolus: nunc totus est ut hominibus noceat. Præter angelos et demones, sunt genii boni et mali ex crassiori substantia compositi, qui manducant, bibunt, speciem propagant et morti sunt obnoxii. 3^o Libri sacri sunt Pentateuchus, Evangelium et Alcoranus. Per Pentateuchum intelligunt Mahumetani omnes libros Veteris Testamenti; et per Evangelium, Actus et Epistolas Apostolorum, necnon Apocalypsim: asserunt tamen hos libros a Judeis et Christianis esse corruptos, et cunctas leges positivas tum Veteris tum Novi Testamenti per legem Mahumetis fuisse abrogatas, ita ut soli Alcorano nunc plena fines adhibenda sit. 4^o Altera futura est vita, beata et æterna pro bonis, mala vero pro malis, sed forte non æterna saltem pro omnibus; inter doctores enim Mahumetanos plurimi censent reprobos post certum temporis lapsum admittendos esse ad felicitatem, eisque apponendas esse in convivium reliquias convivii justorum. Futuram esse generalem mortuorum resurrectionem admittunt, et extremum atque solemne iudicium quod sic exercbitur: prægrandis erit statera totam cœli et terræ superficiem adæquans, cujus lanx una erit lucis et altera tenebrarum; in utraque per omnipotentiam Dei ponderabuntur cuncta opera hominum, videlicet bona opera in lance lucis et mala in lance tenebrarum. Narrant insuper omnino credendum esse vere existere pontem *Sarat* vel *Sirath*, qui est corpus acutius gladio et subtilius capillo supra medium gehennæ extensum; omnes super illud transire debent: infideles ex iudicio Dei titubabunt et in gehennam cadent; fideles vero constanter ambulabunt et in domum requiei ducentur. Paradisi felicitas tota fere sita est in arboribus, fontibus, pomis, vestibus pretiosis, in comedendo et bibendo, in lectulis, puellis et veneris oblectamentis: hæc sæpissime refricantur et nonnunquam coloribus minime pudicis exprimuntur. 5^o Fundamentale dogma est apud Mahumetanos, omnia absoluta Dei voluntate esse prædeterminata, ac proinde necessario fieri.

II^o Præcipua Mahumetanorum præcepta moralia sunt: 1^o omnem disputationem de religione esse prohibitam, et unumquemque sine ulla hæsitatione credere debere in Pentateuchum, Evangelium et Alcoranum, in Deum et in Mahumetem ejus prophetam; 2^o cunctis infidelibus apertum inferendum esse bellum donec veram amplectantur fidem, et fideles in bello hujusmodi occumbentes veros esse martyres; 3^o quatuor uxores ducere licitum esse, aut unam et usque ad tres ancillas concubinas: ab hac lege dispensatus fuit Mahumetes, qui quindecim habuit uxores et decem vel duodecim concubinas: 4^o licere pariter uxores duabus vicibus repudiare et assumere, tertio etiam recipi posse uxorem repudiatam, modo vir alter eam prius duxerit et

repudiaverit. Multæ sunt aliæ leges de juramentis, de vindicta privata, de pœna talionis, de usu feminarum, etc., a spiritu Evangelii non minus remotæ.

Leges cæremoniales sunt: 1^a purificationes seu lotiones; in aliquibus circumstantiis extraordinariis totum corpus immergendum est in aquam; ad id tenentur mulieres post partum, et quicumque mortuum tetigerunt; in aliis casibus solummodo lavantur facies, manus et pedes. Deficiente aqua, purificatio præscripta fit cum arena. 2^a Circumcisio, quæ libere fieri potest a sexto usque ad decimum sextum annum: in hac cæremonia requiritur ut puer professionem fidei apud Mahumetanos usitatam distincte pronuntiare valeat: *Non est Deus præter Deum, et Mohammed est legatus ejus.* 3^a Oratio, qui quinquies per singulos dies fieri debet a Mahumetanis, faciem ad sanum Meccanum versam habentibus, scilicet, ante solis ortum, statim post meridiem, ante solis occasum, post solis occasum, ante finem crepusculi et post crepusculum. Usus campanarum omnino prohibetur, et ideo publici præcones in templorum turribus stantes alta voce clamant: *Maximus Deus, maximus Deus, etc.*, et populum statutis horis ad orationem vocant. 4^a Eleemosyna, quæ duplex est, aliæ scilicet spontanea, ad quam valde excitat Mahumetes, et ad moralia præcepta pertinet, et altera lege præscripta, quæ bellorum expensis potissimum destinata est, et sic verum est tributum. 5^a Jejunium, quod etiam duplex est, unum supererogatorium et ad privatorum devotionem exercendum; et alterum obligatorium, quod per mensem lunarem *ramadan* strictissime observari debet; id est, nihil omnino, durante die, sumere licet, ne quidem guttulam aquæ, et a cunctis voluptatibus abstinendum est; at post solis occasum ea omnia licent quæ alio tempore permessa sunt. Solemne hoc jejunium ideo in mense *ramadan* observatur, quia eo tempore Alcoranus demissus est de cælo, et terminatur festo solempni dicto parvo *Beyram*: tribus subsequentibus celebratur diebus, et vulgo dicitur Pascha Turcarum; septuaginta diebus post hoc festum, magnum celebratur *Beyram* per quatuor dies. His duntaxat septem diebus in toto anno negotium omneque opus servile prohibentur; non laborare licet die veneris cultui religioso specialiter consecrato. 6^a Abstinencia a vino, ludo et musica, item a morticino, sanguine, carne suilla, idolothyto, suffocato, occiso percussione, mortuo ex casu, occiso cornu alterius animalis, ab eo de quo fera comederit. 7^a Est peregrinatio Meccana ex usu ethnicorum Arabum a Mahumete accepta et ipsius asseclis præscripta, quæ ab omnibus legitime non impeditis saltem semel in vita fieri debet. Opinantur Arabes hanc peregrinationem ab ipso Adam inceptam esse, templum nunc exstans tempore diluvii assumptum esse in cælum, Abraham vero aliud omnino simile ex jussu Dei edificavisse.

¹ Cum annus Mahumetanorum sit lunaris, mensis ramadan varia successive percurrit tempora, et intra triaginta tres annos circulus perficitur; sæpe ergo magnum jejunium in æstate celebratur.

Patet ex modo dictis totam Mahumetanorum religionem informem esse congeriem veterum traditionum Arabum ab Abraham per Ismaelem descendentium, factorum Veteris et Novi Testamenti, fabularum Thalmudistarum, et errorum Arii, Nestorii aliorumque Hæreticorum, vel catholicorum ignorantia crassa laborantium.

Singularis hæc Mahumetis religio seria confutatione minime indiget, a perfectione enim religionis Christianæ longe abest, et nullis characteribus veritatis fulcitur; præcipui namque veritatis religionis positivæ characteres sunt miracula et prophetiæ; atqui religio Mahumetis neque miraculis vere divinis neque prophetiis innitur.

1^o *Non miraculis vere divinis*; pluribus enim Alcorani locis proficitur Mahumetes se ad miracula patranda missum non fuisse, penes Deum esse signa, se vero manifestum esse predicatorem, etc. Dat tamen suum Alcoranum ut prodigium vere divinum, ut pote opus eximium a se idiota conscriptum, cui eloquentissimi viri a se rogati nihil simile condere potuerunt: at certe ille liber, ex compendio ipsius doctrinæ supra exposito, sub nullo respectu videtur esse quid divinum, bene vero quoddam delirii portentum. Doctores quidem Mahumetani multa Prophetæ suo tribuunt miracula, usque ad tria millia, quæ dicunt esse splendidissima: verum tam ridicula sunt ut vix serio referri queant: v. g. bos Alcoranum inter cornua gesit; columba ad aurem Prophetæ advolat; magna pars lunæ in manicam ejus delabitur, et ille eam remittit ne sideri sua desit rotunditas; fontes e digitis ejus scaturiunt; montes et lapides eum prætereuntem salutant, dicentes: *Salve, Propheta Dei*; arbores cacumina inclinant, duæ præ cæteris eum ad nutum sequuntur se mutuo jungentes, umbraculum super eum, dum ventrem sovit, extendunt; in ictu oculi a Mecca Jerosolyam iter facit, incidens dorso jumenti cujus lora Archangelus Gabriel tenet, splendente scala in cælum ascendit, septem cælos visitat, etc. Quis autem in hujusmodi prodigiis characteres veritatis et divinitatis reperiet? Ergo 1^o.

2^o Religio Mahumetis *veris prophetiis non innitur*; nullas quippe prophetias edidit Mahumetes, sed tantum, Pentateuchum et Evangelium corrupens, exhibet Deum, in cap. 7 et 61 Alcorani, ut singularem annuntiantem prophetam qui multa juberet honesta, inhonesta vero prohiberet, et prætendit se hunc esse prophetam: at nemo non videt talem allegationem, omni ratione positiva deslitutam, nulla fide esse dignam: ergo.

Religio Mahumetana dicitur Gallice *Islamisme*, a voce *islam* quæ in lingua Arabica exprimit actionem plene Deo se committendi: ex illa voce Persæ fecerunt *Muslim* et in numero plurali *Muslimin*; unde Mahumetani dicuntur *Musulmans*. Olim vocati sunt etiam Sarraceni (*Sarrasins*) a populo qui Mediæ et circa Medinam tempore Mahumetis habitabat, qui novæ religioni subscripsit, et cunctis eam profiten-

tibus nomen suum dedit : nomen istud obsolevit quando Turcæ primatum obtinuerunt.

Ministri religionis Mahumetanæ vocantur imanni, *imans* : præsent orationibus, quæ a solis privatis nunquam fieri debent in templo, sed publice ac solemniter, sine cantu tamen celebrantur die veneri; hæc die publicas habent conciones ad populum. Unus specialiter præpositus est unicuique templo (*mosquæ*), sicut parochus apud nos, et plures sub se habet imannos. Primus omnium in toto Turcarum imperio dicitur *mufti* vel *mufti*; solus infallibiliter Alcoranum interpretatur. Quidam sunt etiam religiosi seu monachi *dervis* vel *dereiches* appellati, qui vitam ducunt castitatem, pauperem et valde austeram, saltem apparenter; at huiusmodi professionem pro nutu relinquere possunt.

Vide Lectiones theologicas ad usum diocesis Rothomagensis, t. 5; *H. oke*, Religionis naturalis, etc., Principia, t. 2 ad calcem; *Biographie universelle*, art. *Mahomet* et *Aly*; *Exposition de la foi Musulmane*, traduite du turc par M. Garrin de Tassy, etc.

DE ECCLESIA CHRISTI.

In præcedenti tractatu nostro demonstravimus solam religionem Christianam esse veram et divinam, solamque admittendam : omnes igitur homines tenentur, quantum in se est, eam cognoscere et amplecti.

Qui autem eam profitentur, in varias dividuntur societates quæ plurimis in punctis sibi contradicunt : earum igitur doctrina æqualiter vera non est; quia Deus non potest revelare falsum : unde vel omnes a vera Christi doctrina recesserunt, et in errorem plus minusve impegerunt; vel unica ex illis genuinam Christi doctrinam in sua integritate servat. Apertissimam hanc veritatem nemo inficiatur.

Maxima ergo cum diligentia nobis investigandum est an vera Christi doctrina in sua integritate adhuc existat, quomodo a diversis erroribus circa illam existentibus discerni possit et cognosci debeat, ad salutem consequendam.

Societas veram Christi doctrinam servans ab omnibus vocatur Ecclesia, et idcirco tractatus noster inscribitur : DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

In tres partes eum dividemus, quarum 1^a erit de veræ Ecclesiæ notis; 2^a de ejus auctoritate, et 3^a de ipsius capite et membris. His tria præmittenda sunt capita : 1^{um} de genere argumentorum quibus in præsentis tractatus decursu utendum est; 2^{um} de notione Ecclesiæ, et 3^{um} de necessitate ipsi adhærendi.

I CAPUT PRÆVIUM.

DE GENERE ARGUMENTORUM QUIBUS IN PRÆSENTIS TRACTATUS DECURSU UTENDUM EST.

Existentia et constitutio veræ Ecclesiæ sunt facta a libera Dei voluntate provenientia : in his ergo tractandis non

tibus nomen suum dedit : nomen istud obsolevit quando Turcæ primatum obtinuerunt.

Ministri religionis Mahumetanæ vocantur imanni, *imans* : præsent orationibus, quæ a solis privatis nunquam fieri debent in templo, sed publice ac solemniter, sine cantu tamen celebrantur die veneri; hæc die publicas habent conciones ad populum. Unus specialiter præpositus est unicuique templo (*mosquæ*), sicut parochus apud nos, et plures sub se habet imannos. Primus omnium in toto Turcarum imperio dicitur *mufti* vel *mufti*; solus infallibiliter Alcoranum interpretatur. Quidam sunt etiam religiosi seu monachi *dervis* vel *dereiches* appellati, qui vitam ducunt castitatem, pauperem et valde austeram, saltem apparenter; at huiusmodi professionem pro nutu relinquere possunt.

Vide Lectiones theologicas ad usum diœcesis Rothomagensis, t. 5; H. oke, Religionis naturalis, etc., Principia, t. 2 ad calcem; *Biographie universelle*, art. *Mahomet et Aly*; *Exposition de la foi Musulmane*, traduite du turc par M. Garrin de Tassy, etc.

DE ECCLESIA CHRISTI.

In præcedenti tractatu nostro demonstravimus solam religionem Christianam esse veram et divinam, solamque admittendam : omnes igitur homines tenentur, quantum in se est, eam cognoscere et amplecti.

Qui autem eam profitentur, in varias dividuntur societates quæ plurimis in punctis sibi contradicunt : earum igitur doctrina æqualiter vera non est; quia Deus non potest revelare falsum : unde vel omnes a vera Christi doctrina recesserunt, et in errorem plus minusve impegerunt; vel unica ex illis genuinam Christi doctrinam in sua integritate servat. Apertissimam hanc veritatem nemo inficiatur.

Maxima ergo cum diligentia nobis investigandum est an vera Christi doctrina in sua integritate adhuc existat, quomodo a diversis erroribus circa illam existentibus discerni possit et cognosci debeat, ad salutem consequendam.

Societas veram Christi doctrinam servans ab omnibus vocatur Ecclesia, et idcirco tractatus noster inscribitur : DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

In tres partes eum dividemus, quarum 1^a erit de veræ Ecclesiæ notis; 2^a de ejus auctoritate, et 3^a de ipsius capite et membris. His tria præmittenda sunt capita : 1^{um} de genere argumentorum quibus in præsentis tractatus decursu utendum est; 2^{um} de notione Ecclesiæ, et 3^{um} de necessitate ipsi adhærendi.

I CAPUT PRÆVIUM.

DE GENERE ARGUMENTORUM QUIBUS IN PRÆSENTIS TRACTATUS DECURSU UTENDUM EST.

Existentia et constitutio veræ Ecclesiæ sunt facta a libera Dei voluntate provenientia : in his ergo tractandis non

utendum est argumentis ex sola ratione depromptis; sed consulenda sunt monumenta in quibus continentur libera Dei consilia: porro hæc monumenta sunt Scriptura sacra et traditio.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SCRIPTURA SACRA.

1^o Adversarii quos in decursu hujus tractatus directe impugnaturi sumus, agnoscunt Scripturam tanquam genuinum Dei verbum continentem: supposita igitur, et non probata *inspiratione* librorum divinorum, argumenta ex ipsis merito colligemus ad stabiliendas defendendasque propositiones nostras.

2^o In precedenti tractatu probavimus libros, tum Veteris, tum Novi Testamenti esse authenticos, veros et integros, proindeque omnimoda fide dignos: porro in eis referuntur Dei Christique verba: ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE TRADITIONE.

Certum est Christum multa dixisse et fecisse quæ in Evangelio non fuerunt scripta, ut ipse S. Joannes testatur, *xxi, 25*: hæc autem ad nos pervenire potuerunt, et complexio eorum vocatur traditio. Traditio igitur recte definitur: *Doctrina divina in libris canonicis non scripta, sive viva voce transmittatur, sive in aliis scriptis reperiatur.*

Quæstio est an hujusmodi traditio tutissima sit via qua doctrina Christi et Apostolorum ad nos pervenire possit. *Negant protestantes, affirmant vero omnes catholici, quibuscum sit*

PROPOSITIO.

Traditio est via tutissima qua doctrina Christi et Apostolorum usque ad nos certo pervenire potest.

Prob. 1^o ex ipsa Scriptura sacra. II Thessal. II, 14: Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive

per sermonem, sive per epistolam nostram. II Tim. I, 13: Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti, in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Ibid. II, 1: Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Jesu, et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere. Porro in his textibus agitur de doctrina sola voce transmissa, velut depositum custodienda et alios docenda: ergo, juxta Apostolum, doctrina sana et divina sic transmitti potest.

Prob. 2^o ex sanctis Patribus. Quidquid dicant protestantes de sanctis Patribus eorumque scriptis, saltem negare non possunt eos fuisse testes doctrinæ quæ ipsorum tempore in variis ecclesiis suis docebatur: merito igitur consulendi sunt, et si fuerint unanimes in admittenda traditione divina, hinc firmissimum eruitur argumentum: porro sancti Patres fuerunt unanimes, etiam in primis Ecclesiæ sæculis, in admittenda traditione divina; ex innumeris eorum testimoniis quæ citari possent, quedam tantum seligemus.

Tertull. lib. de Corona, post enumeratas varias traditiones de cæremoniis baptismi, de signo crucis, de oblationibus pro defunctis, etc., addit, cap. 4: « Harum dis »
» ciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam »
» invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo »
» confirmatrix et fides observatrix. »

Origenes, in cap. vi Epist. ad Rom. lib. 5: « Ecclesia »
» ab Apostolis traditione suscepit etiam parvulis baptis- »
» mum dare. »

S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27, n. 66, ait: »
» Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et prædicationibus, »
» alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia »
» vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione »
» Apostolorum. »

S. Chrysost. in cap. II Epist. II ad Thessal., ad verba quæ retulimus, dicit: « Hinc est perspicuum quod non »
» omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam »
» sine scriptis; et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem »

» Ecclesie quoque traditionem censeamus esse fide dignam. »

S. Epiph., Hæresi 61 : « Sed et traditione quoque opus est : neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. »

S. Aug. de Bapt. lib. 5, cap. 23 : « Sunt multa que universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. »

S. Hieronymus, Dialogo contra Luciferianos, cap. 4 : « Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret ; nam et multa alia que per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem scriptæ legis sibi usurpaverunt. »

Clara sunt huiusmodi testimonia, et multo clariora apparerent si uniuscujusque integer legeretur contextus. Unde eruditus *Casaubon*, protestans, fatēbatur omnes sanctos Patres esse pro catholicis ; *Obreth*, non minus eruditus, testatur quod opera illorum legendo, antequam in sinum Ecclesie Romane rediisset, pluries tentatus fuerit ea projicere in terram, quia plena sibi videbantur *papismo*. Ergo Patrum testimonio evidenter constat admittendas esse divinas traditiones.

Hinc concilium Trident. merito definiit, sess. 4, decret. de Canonicis Script. « Omnem salutarem veritatem et morum disciplinam contineri in libris scriptis ; et siue scripto in traditionibus, que ipsius ore Christi ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt. »

Notandum sanctos Patres sub triplici respectu considerari posse, vel ut proprias suas emittentes ideas, vel ut facta historica narrantes, vel ut testantes talem doctrinam in suis ecclesiis esse receptam tanquam a Christo aut ab Apostolis venientem. Sub ultimo hoc respectu optima sunt divina traditionis organa.

Eadem propositio aliquando probatur ex SS. Patribus et ex traditione, sicque duplex instituitur argumentum,

quia SS. Patres in uno argumento invocantur ut doctores, et in alio ut traditionis testes : aliunde veritates ab Apostolis descendentes aliter quam per SS. Patres ad nos pervenire possunt.

Prob. 3^o ratione. Ab Adam usque ad Moysen, traditione habebatur fides de creatione mundi, de lapsu primi parentis, de vita futura, de redemptore venturo, de remedio peccati originalis, etc. A Moyse usque ad Christum, sola iterum traditione habebatur fides de remedio peccati originalis saltem pro feminis, de canonicitate librorum sanctorum et de multis aliis ; in nova autem lege viva voce tantum primo docuerunt Apostoli, plures ecclesie diu exstiterunt absque scriptis, et etiam nunc plura docentur et ubique velut divina creduntur, licet nec in Evangeliiis, nec in aliis Apostolorum scriptis inveniantur : sic ipsi protestantes admittunt beatam Deiparam semper fuisse virginem, baptismum parvulis esse conferendum, ab hæreticis rite collatum non esse iterandum, quatuor tantum esse Evangelia, etc. ; porro hæc omnia aliaque multa sola traditione constant : ergo.

Et vero Apostoli per orbem dispersi varias fundaverunt ecclesias, que vice sua alias genuerunt eisque traditiones suas transmiserunt : sic prodire omnes ecclesie Christiane in mundo existentes. Si ergo omnes sint moraliter unanimes in admittenda aliqua doctrina ut divina, licet non scripta, certe negare non possumus eam esse reipsa divinam. Vel enim est divina, vel ab aliquo impostore fuit excogitata : at posterius dici non potest ; quis namque rationis compos credat aliquem impostorem, quantumvis in arte fallendi peritus supponatur, cunctis fidelibus ac pastoribus universarum ecclesiarum, locis, moribus et usu sermonis a se discrepantium, persuasisse velut divinam, a Christo et Apostolis venientem, doctrinam suppositivam de qua nihil unquam audiissent ? Manifestum est talem hypothesim esse prorsus absurdam : igitur admittenda est traditio ut via tutissima qua doctrina divina ad nos usque certo pervenire queat.

Inter alia opera que utiliter consuli possunt, vide *Dav-*

suet, variis in locis, et praesertim *Défense de la tradition; la Discussion amicale, lettre 4; Excellence de la religion catholique, ouvrage traduit de l'anglais de M. Milner, lettre 10^e*, etc.

Hinc sequitur quod traditio constans et universalis tantam mereatur fidem quantum ipsa Scriptura sacra; ergo validissima subministrat argumenta ad dignoscenda fidei dogmata, et in primis divinam veræ Ecclesiae constitutionem; etenim quæ vera traditione constant ut divina, tam certa sunt ac ea quæ in libris sacris describuntur. Ergo.

II CAPUT PRÆVIUM.

DE NOTIONE ECCLESIAE.

Vox *Ecclesia*, a verbo Græco *ἐκκλησία*, *in-voco*, oriens, idem significat ac cœtus. In ipsis Scripturis sacris promiscue usurpatur pro cœtu, sive religioso, v. g. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, Matth. XVIII, 17; sive profano, ut in Act. XIX, 32: *Erat enim ecclesia confusa*; sive etiam iniquo: *Odiŏi ecclesiam malignantium*, Ps. XXV, 5. Mos autem prævaluit ut vox illa pro cœtu religioso duntaxat sumeretur, imo ad designandum societatem religionem Christi profitentem consecraretur.

In triplici statu catholici considerant Ecclesiam Christi, videlicet, in cœlo triumphantem, in purgatorio patientem, et in terra militantem.

De sola Ecclesia prout est in terra militans, hic nobis agendum est.

Bellarminus eam definit: *Societatem hominum viatorum ejusdem fidei professione eorundemque sacramentorum participatione conjunctorum sub regimine legitimum pastorum ac praesertim summi Pontificis*. Hæc quidem definitio, ab omnibus catholicis admissa, est accurata et naturam Ecclesiae catholice perfecte describit, ut ex dicendis

in decursu tractatus patebit: sed hæretici quibuscum nobis dimicandum est, eam rejiciunt. Requiritur tamen ut commune cum illis habeamus principium extra dubium positum; ex quo procedentes, methodicam instituamus discussionem. Bossuet Ecclesiam sic definiuit in exordio famosissimi sui cum ministro Claude colloquii: *Societas hominum viatorum, veram Christi Doctrinam profitentium*. Fatentur ipsi protestantes definitionem istam esse veram et accuratam; hanc igitur admittimus.

III CAPUT PRÆVIUM.

DE NECESSITATE ADHÆRENDI VERÆ ECCLESIAE.

Sensus quæstionis est utrum extra communionem cum vera Christi Ecclesia salus obtineri possit.

PROPOSITIO.

Qui scienter, aut saltem ex ignorantia vincibili, extra veram Ecclesiam morantur et decedunt, salutem æternam obtinere nequeunt.

Prob. 1^o. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, Matth. XVIII, 17. *Qui non crediderit condemnabitur*, Marc. XVI, 16. Certe qui habendus est ut ethnicus et publicanus, qui damnandus est, salutem non consequetur: atqui talis est omnis qui vivit extra Ecclesiam.

Prob. 2^o. B. Paulus, Eph. v, 23: Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis ejus. Col. 1, 18: *Et ipse est caput corporis Ecclesiae*. Unde sic, Caput non influit nisi in membra proprii corporis: ergo salus veniens a Christo obtineri non potest extra Ecclesiam.

In aliis locis Ecclesia dicitur *domus Dei, columna veritatis, sponsa et amica Christi*; porro repugnat salutem reperiri extra domum Dei, columnam veritatis et sponsam Christi: ergo.

suet, variis in locis, et praesertim *Défense de la tradition; la Discussion amicale, lettre 4; Excellence de la religion catholique, ouvrage traduit de l'anglais de M. Milner, lettre 10^e*, etc.

Hinc sequitur quod traditio constans et universalis tantam mereatur fidem quantum ipsa Scriptura sacra; ergo validissima subministrat argumenta ad dignoscenda fidei dogmata, et in primis divinam veræ Ecclesiae constitutionem; etenim quæ vera traditione constant ut divina, tam certa sunt ac ea quæ in libris sacris describuntur. Ergo.

II CAPUT PRÆVIUM.

DE NOTIONE ECCLESIE.

Vox *Ecclesia*, a verbo Græco ἐκκλησία, in-voco, oriens, idem significat ac cœtus. In ipsis Scripturis sacris promiscue usurpatur pro cœtu, sive religioso, v. g. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, Matth. XVIII, 17; sive profano, ut in Act. XIX, 32: *Erat enim ecclesia confusa*; sive etiam iniquo: *Odiŏi ecclesiam malignantium*, Ps. XXV, 5. Mos autem prævaluit ut vox illa pro cœtu religioso duntaxat sumeretur, imo ad designandum societatem religionem Christi profitentem consecraretur.

In triplici statu catholici considerant Ecclesiam Christi, videlicet, in cœlo triumphantem, in purgatorio patientem, et in terra militantem.

De sola Ecclesia prout est in terra militans, hic nobis agendum est.

Bellarminus eam definit: *Societatem hominum viatorum ejusdem fidei professione eorundemque sacramentorum participatione conjunctorum sub regimine legitimum pastorum ac praesertim summi Pontificis*. Hæc quidem definitio, ab omnibus catholicis admissa, est accurata et naturam Ecclesiae catholice perfecte describit, ut ex dicendis

in decursu tractatus patebit: sed hæretici quibuscum nobis dimicandum est, eam rejiciunt. Requiritur tamen ut commune cum illis habeamus principium extra dubium positum; ex quo procedentes, methodicam instituamus discussionem. Bossuet Ecclesiam sic definiit in exordio famosissimi sui cum ministro Claude colloquii: *Societas hominum viatorum, veram Christi Doctrinam profitentium*. Fatentur ipsi protestantes definitionem istam esse veram et accuratam; hanc igitur admittimus.

III CAPUT PRÆVIUM.

DE NECESSITATE ADHÆRENDI VERÆ ECCLESIE.

Sensus quæstionis est utrum extra communionem cum vera Christi Ecclesia salus obtineri possit.

PROPOSITIO.

Qui scienter, aut saltem ex ignorantia vincibili, extra veram Ecclesiam morantur et decedunt, salutem æternam obtinere nequeunt.

Prob. 1^o. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, Matth. XVIII, 17. *Qui non crediderit condemnabitur*, Marc. XVI, 16. Certe qui habendus est ut ethnicus et publicanus, qui damnandus est, salutem non consequetur: atqui talis est omnis qui vivit extra Ecclesiam.

Prob. 2^o. B. Paulus, Eph. v, 23: Christus caput est Ecclesie, ipse salvator corporis ejus. Col. 1, 18: Et ipse est caput corporis Ecclesie. Unde sic, Caput non influit nisi in membra proprii corporis: ergo salus veniens a Christo obtineri non potest extra Ecclesiam.

In aliis locis Ecclesia dicitur *domus Dei, columna veritatis, sponsa et amica Christi*; porro repugnat salutem reperiri extra domum Dei, columnam veritatis et sponsam Christi: ergo.

*Prob. 3^o ex Patribus. S. Cypr. De unitate Eccl. » Habere
» jam non potest Deum patrem qui non habet Ecclesiam
» matrem... Si potuit evadere quisquam qui extra arcam
» Noe fuit, et qui extra Ecclesiam fuerit, foris evadet. »
Multa alia citari possent testimonia non minus clara et
splendida. Ergo.*

Propositionem nostram libenter admittunt ipsi prote-
stantes; cum enim hic agatur de vera Christi Ecclesia in
genere, fatentur extra eam nullam obtineri posse salutem.
Vide Bossuet, *Histoire des Variations*, l. 15. Calvinus aie-
bat, *Institut.* l. IV, c. 1: « Extra Ecclesiae gremium nulla
» est speranda remissio peccatorum, nec ulla salus. » *Ju-
rien*, celebris minister in secta calviniana, idem confessus
est, et hodierni protestantes ab ea sententia minime rece-
dunt. Frustra igitur hanc quaestionem fusius tractaremus.
Nunc summa cum diligentia quaerendum est ubi sit vera
Ecclesia extra quam nulla est salus.

Sunt tamen qui, potius inter incredulos quam inter
protestantes numerandi, dicunt Christum instituisse *Chris-
tianismum*, non autem Ecclesiam cui necessario adhaeren-
dum sit. Verum, ut infra demonstraturi sumus, Christus
dogmata revelavit, mandavit Apostolis eorumque succes-
soribus docere servanda *omnia quaecumque* ab illo didice-
rant, et ministerium pastorum in sacra hierarchia distri-
buit instituit. Ergo.

PARS PRIMA.

DE NOTIS VERÆ ECCLESIE.

Notæ Ecclesie sunt signa quibus eam a sectis pseudo-
christianis tuto discernere possumus. Certum est apud om-
nes quod hujusmodi notæ vel signa existere debeant; Deus
enim *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem
veritatis venire*, I Tim. II, 4: porro extra veram Eccle-

siam nulla est salus. Necessè est ergo ut vera Ecclesia tuto
ac facile secerni possit.

Dicemus 1^o de notarum veræ Ecclesie existentia; 2^o de
illarum applicatione.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTARUM VERÆ ECCLESIE EXISTENTIA.

Ut notæ veræ Ecclesie ad finem propositum nos perdu-
cere valeant, tres specialiter habeant dotes necesse est,
videlicet: 1^o debent esse notiores ipsa Ecclesia, alioquin
immerito dicerentur notæ; 2^o cognitæ faciles, quia necesse
est ut rudiores sicut et docti veram Ecclesiam cognoscere
valeant: non necesse est tamen omnes notas captui idio-
tarum et ingenio peritorum esse simul proportionatas;
3^o veræ Ecclesie propriæ; si enim aliis sectis competere-
nt, jam illarum ope vera Ecclesia discerni non posset.

Lutherus, Calvinus et Ecclesia Anglicana duas admit-
tunt Ecclesie notas, scilicet rectam doctrinæ Christi præ-
dicationem, et legitimam sacramentorum administratio-
nem; nonnulli addiderunt legitimam disciplinam recte
administratam. Illæ notæ ad unicam reducuntur, nempe
ad veram Christi doctrinam, examine privato ex Scriptura
sacra cognitæ: ita nunc omnes protestantes, ut ipsi
dicunt et in scriptis suis palam exprimunt.

Catholici vero unanimiter affirmant in Ecclesia neces-
sario quidem esse rectam doctrinæ Christi prædicationem,
legitimam sacramentorum administrationem et rectam
disciplinam; sed negant has qualitates assignari posse
tquam Ecclesie notas: quatuor alias assignant notas
quæ a concilio Constantinopolitano traditæ sunt his verbis:
et unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam.
De his et illis seorsim nobis dicendum est in sequentibus
articulis.

*Prob. 3^o ex Patribus. S. Cypr. De unitate Eccl. » Habere
» jam non potest Deum patrem qui non habet Ecclesiam
» matrem... Si potuit evadere quisquam qui extra arcam
» Noe fuit, et qui extra Ecclesiam fuerit, foris evadet. »
Multa alia citari possent testimonia non minus clara et
splendida. Ergo.*

Propositionem nostram libenter admittunt ipsi prote-
stantes; cum enim hic agatur de vera Christi Ecclesia in
genere, fatentur extra eam nullam obtineri posse salutem.
Vide Bossuet, *Histoire des Variations*, l. 15. Calvinus aie-
bat, *Institut.* l. IV, c. 1: « Extra Ecclesiae gremium nulla
» est speranda remissio peccatorum, nec ulla salus. » *Ju-
rien*, celebris minister in secta calviniana, idem confessus
est, et hodierni protestantes ab ea sententia minime rece-
dunt. Frustra igitur hanc quaestionem fusius tractaremus.
Nunc summa cum diligentia quaerendum est ubi sit vera
Ecclesia extra quam nulla est salus.

Sunt tamen qui, potius inter incredulos quam inter
protestantes numerandi, dicunt Christum instituisse *Chris-
tianismum*, non autem Ecclesiam cui necessario adhaeren-
dum sit. Verum, ut infra demonstraturi sumus, Christus
dogmata revelavit, mandavit Apostolis eorumque succes-
soribus docere servanda *omnia quaecumque* ab illo didice-
rant, et ministerium pastorum in sacra hierarchia distri-
butum instituit. Ergo.

PARS PRIMA.

DE NOTIS VERÆ ECCLESIE.

Notæ Ecclesie sunt signa quibus eam a sectis pseudo-
christianis tuto discernere possumus. Certum est apud om-
nes quod hujusmodi notæ vel signa existere debeant; Deus
enim *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem
veritatis venire*, I Tim. II, 4: porro extra veram Eccle-

siam nulla est salus. Necessè est ergo ut vera Ecclesia tuto
ac facile secerni possit.

Dicemus 1^o de notarum veræ Ecclesie existentia; 2^o de
illarum applicatione.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTARUM VERÆ ECCLESIE EXISTENTIA.

Ut notæ veræ Ecclesie ad finem propositum nos perdu-
cere valeant, tres specialiter habeant dotes necesse est,
videlicet: 1^o debent esse notiores ipsa Ecclesia, alioquin
immerito dicerentur notæ; 2^o cognitæ faciles, quia necesse
est ut rudiores sicut et docti veram Ecclesiam cognoscere
valeant: non necesse est tamen omnes notas captui idio-
tarum et ingenio peritorum esse simul proportionatas;
3^o veræ Ecclesie propriæ; si enim aliis sectis competere-
nt, jam illarum ope vera Ecclesia discerni non posset.

Lutherus, Calvinus et Ecclesia Anglicana duas admit-
tunt Ecclesie notas, scilicet rectam doctrinæ Christi præ-
dicationem, et legitimam sacramentorum administrationem;
nonnulli addiderunt legitimam disciplinam recte
administratam. Illæ notæ ad unicam reducuntur, nempe
ad veram Christi doctrinam, examine privato ex Scriptura
sacra cognitæ: ita nunc omnes protestantes, ut ipsi
dicunt et in scriptis suis palam exprimunt.

Catholici vero unanimiter affirmant in Ecclesia neces-
sario quidem esse rectam doctrinæ Christi prædicationem,
legitimam sacramentorum administrationem et rectam
disciplinam; sed negant has qualitates assignari posse
tquam Ecclesie notas: quatuor alias assignant notas
quæ a concilio Constantinopolitano traditæ sunt his verbis:
et unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam.
De his et illis seorsim nobis dicendum est in sequentibus
articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FALSIS NOTIS A PROTESTANTIBUS ASSIGNATIS.

PROPOSITIO.

Recta doctrinæ Christi prædicatio et legitima sacramentorum administratio immerito assignantur ut notæ Ecclesiæ.

Prob. Illæ enim qualitates immerito assignantur ut notæ Ecclesiæ, quæ non habent conditiones Ecclesiæ notis necessarias: atqui notæ a protestantibus assignatæ non habent conditiones Ecclesiæ notis necessarias. Prima namque conditio est, *ut sint ipsa Ecclesia notiores*: atqui notæ a protestantibus assignatæ non sunt Ecclesia notiores. Querimus enim ubi sit vera Ecclesia, seu societas quæ veram Christi religionem profiteatur: protestantes respondent eam esse in qua vera est Christi doctrina: porro hæc responsio idem significat ac si diceretur veram Ecclesiam esse veram Ecclesiam: ergo.

Secunda conditio est *ut illæ notæ sint cognitu faciles*: atqui notæ a protestantibus assignatæ non sunt cognitu faciles; sunt e contra cognitu impossibiles, et captum fere omnium superant; ad hanc enim unicam reducuntur notam, nempe ad veritatem doctrinæ Christi tota dicussionis methodo cognitam; at communiter homines veritatem doctrinæ Christi sola discussionis methodo certo cognoscere non possunt, ut ex infra dicendis clarius patebit. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Res aliqua per essentielles proprietates suas innotescit: atqui veritas doctrinæ Christi est proprietas Ecclesiæ Christi essentialis: ergo. Ita minister *Dumoulin*.

R. Dist. maj. Res per essentielles proprietates suas innotescit, quoad naturam, *conc.* quoad locum vel modum existentiae *subdist.* per aliquas proprietates, *conc.* per omnes, *nego maj.* Etenim naturam alicujus rei cognoscere non possumus, nisi per essentielles illius proprietates, sed

illius existentiam et existentiae modum cognoscere possumus quamvis omnes qualitates ejus essentielles non noscimus: sic existentiam luminis, motus, frigoris, etc. novimus, licet plerasque eorum qualitates essentielles nesciamus. Porro de existentia Ecclesiæ, vel potius de illius distinctione a falsis sectis in præsentî quæstione agitur, non vero de ejus essentia. Ergo.

Obj. 2º. Solæ veritates fundamentales sufficiunt ut vera Ecclesia certo distinguatur: atqui illæ veritates ex lectione Scripturarum facile noscuntur: ergo.

R. Nego maj. Mox enim demonstraturi sumus distinctionem inter veritates fundamentales et non fundamentales admitti non posse.

R. 2º. Nego min. Si enim fundamentales illæ veritates ex sola Scripturarum lectione tam facile noscerentur, omnes protestantes eas unanimiter cognoscere deberent; at, nedum unanimiter cognoscant veritates quas vocant fundamentales, nunquam eas determinare et sibimetipsis consentire potuerunt, sed in multiplices abeunt sententias sibi contradictorias: ergo.

Obj. 3º. Ecclesia cognosci non potest nisi per characteres a Christo assignatos; at illi characteres in ipsa Christi doctrina continentur: ergo.

R. Nego maj. Ecclesia enim cognosci potest per characteres ex illius institutione et existentia fluentes, qui a Christo revelati non fuerunt, sed solo lumine naturali apprehenduntur, ut sunt illius antiquitas, ministerii successio, miracula evidenter patrata. Ergo.

R. 2º. Nego min. Falsum quippe est characteres quibus vera Christi Ecclesia cognosci potest in sola Christi doctrina contineri, siquidem monumenta traditionis ad hoc etiam multum inserviunt.

R. 3º. Nego conseq. Etiam si enim veræ essent duæ præmissæ, non sequeretur veritates fundamentales ex lectione Scripturarum facile cognosci posse, neque inferri posset veritatem doctrinæ Christi esse sufficientem Ecclesiæ notam. Ergo.

Fatendum est tamen in doctrina Christi aliquas reperiri

notas veræ Ecclesiæ, et eas quærendas ac servandas esse, sed non ad sensum protestantium. Ingens enim est discrimen inter solvere unam quæstionem ex uno aut altero Scripture sacræ testimonio ab omnibus admissio, et cunctas doctrinæ Christi veritates sola discussionis via inquirere, distinguere, ab objectis vindicare et integras conservare. Ergo.

Hinc facile explicantur nonnulli textus S. Aug. adversus Donatistas, in quibus dicit Ecclesiam in Scripturis, Ecclesiam in verbis Christi quærendam esse. Sensus est, in Scripturis quærendas esse notas Ecclesiæ; ostendit enim, ex Scripturis, Ecclesiam Christi debere esse catholicam; ostendit postea Ecclesiam Romanam esse catholicam; deinde concludit Donatistarum sectam non esse veram Christi Ecclesiam. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VERIS ECCLESIE NOTIS.

Quatuor, ut diximus, assignantur veræ Ecclesiæ notæ, nempe unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas. De his seorsim nobis dicendum est.

§ I. — De unitate Ecclesiæ.

Quadruplex distinguitur unitas respectu Ecclesiæ, videlicet unitas fidei, quæ in eo consistit ut omnes fideles eandem fidem profiteantur; unitas regiminis, qua iisdem pastoribus subjiuntur; unitas facti, quæ potest esse tum doctrinæ, tum regiminis, tum actualis, tum perpetua, et unitas juris, ex qua unitas facti necessario sequatur.

Omnes conveniunt Ecclesiam aliquo sensu debere esse unam; dicitur enim corpus Christi, sponsa Christi. Christus dixit: *Edificabo Ecclesiam meam*, non vero *ecclesias*. Sed in definienda unitate ista protestantes et catholici longe a se dissentiant.

Ut ab objectis quibus eum urgebant catholici sese expediret *Jurica*, excogitavit systema articulorum fidei fun-

damentalium et non fundamentalium. Duplicem unitatis speciem distinguit: unam generalem, quæ consistit in professione omnium articulorum fundamentalium; et alteram specialem, quæ singulis sectis Christianis propria est: sita est in eadem professione quorundam articulorum non fundamentalium. Contendit veram Ecclesiam debere esse una priori sensu, ac proinde esse *aggregatum* omnium sectarum in articulis fundamentalibus non errantium, licet in cæteris sibi adversentur. Ideo, juxta ipsum, societates particulares membra ejicere possunt extra unitatem sibi propriam, non vero extra unitatem generalem Ecclesiæ: nec proinde extra viam salutis. Hæc unitas essentialis solo errore in articulis fundamentalibus amitti potest. Tale est in substantia famosum systema de quo tractat auctor in opere cui titulus: *Vrai système de l'Eglise*, l. 4, ch. 6 et seq. quod a cunctis protestantibus admissum est, et nunc ubique ab eis proclamatur; sic notanter *Benjamin Constant* qui in opere dicto *De la Religion considérée dans sa source, ses formes et ses développements*, 3 vol. in-8°, affirmat Christum instituisse religionem quæ corda moveret, non vero quæ mentem fide dogmatibus necessario admittendis obstringeret. Hinc juxta ipsum, Ecclesia coalescit ex omnibus sectis, quæ in infinitum variari et perfici possunt, ratione perfectionis a spiritu humano semper progrediente acquisitæ.

Catholici autem distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium procul rejiciunt, contenduntque unitatem Ecclesiæ Christi essentialem consistere in professione ejusdem fidei, sine distinctione, in participatione eorundem sacramentorum et in subjectione iisdem pastoribus, et præsertim Romano pontifici. Hinc requirunt unitatem fidei et unitatem ministerii seu regiminis: qui unitatem fidei disrumpunt, aliquem fidei articulum pertinaciter negantes, dicuntur hæretici; qui vero a subjectione legitimis pastoribus debita se retrahentes, unitatem regiminis scindunt, appellantur schismatici, a verbo Græco *σχιζω*, *dilacero*. Quibus notatis, sit

notas veræ Ecclesiæ, et eas quærendas ac servandas esse, sed non ad sensum protestantium. Ingens enim est discrimen inter solvere unam quæstionem ex uno aut altero Scripture sacræ testimonio ab omnibus admissio, et cunctas doctrinæ Christi veritates sola discussionis via inquirere, distinguere, ab objectis vindicare et integras conservare. Ergo.

Hinc facile explicantur nonnulli textus S. Aug. adversus Donatistas, in quibus dicit Ecclesiam in Scripturis, Ecclesiam in verbis Christi quærendam esse. Sensus est, in Scripturis quærendas esse notas Ecclesiæ; ostendit enim, ex Scripturis, Ecclesiam Christi debere esse catholicam; ostendit postea Ecclesiam Romanam esse catholicam; deinde concludit Donatistarum sectam non esse veram Christi Ecclesiam. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VERIS ECCLESIE NOTIS.

Quatuor, ut diximus, assignantur veræ Ecclesiæ notæ, nempe unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas. De his seorsim nobis dicendum est.

§ I. — De unitate Ecclesiæ.

Quadruplex distinguitur unitas respectu Ecclesiæ, videlicet unitas fidei, quæ in eo consistit ut omnes fideles eandem fidem profiteantur; unitas regiminis, qua iisdem pastoribus subjiuntur; unitas facti, quæ potest esse tum doctrinæ, tum regiminis, tum actualis, tum perpetua, et unitas juris, ex qua unitas facti necessario sequatur.

Omnes conveniunt Ecclesiam aliquo sensu debere esse unam; dicitur enim corpus Christi, sponsa Christi. Christus dixit: *Edificabo Ecclesiam meam*, non vero *ecclesias*. Sed in definienda unitate ista protestantes et catholici longe a se dissentiant.

Ut ab objectis quibus eum urgebant catholici sese expediret *Jurica*, excogitavit systema articulorum fidei fun-

damentalium et non fundamentalium. Duplicem unitatis speciem distinguit: unam generalem, quæ consistit in professione omnium articulorum fundamentalium; et alteram specialem, quæ singulis sectis Christianis propria est: sita est in eadem professione quorundam articulorum non fundamentalium. Contendit veram Ecclesiam debere esse una priori sensu, ac proinde esse *aggregatum* omnium sectarum in articulis fundamentalibus non errantium, licet in cæteris sibi adversentur. Ideo, juxta ipsum, societates particulares membra ejicere possunt extra unitatem sibi propriam, non vero extra unitatem generalem Ecclesiæ: nec proinde extra viam salutis. Hæc unitas essentialis solo errore in articulis fundamentalibus amitti potest. Tale est in substantia famosum systema de quo tractat auctor in opere cui titulus: *Vrai système de l'Eglise*, l. 4, ch. 6 et seq. quod a cunctis protestantibus admissum est, et nunc ubique ab eis proclamatur; sic notanter *Benjamin Constant* qui in opere dicto *De la Religion considérée dans sa source, ses formes et ses développements*, 3 vol. in-8°, affirmat Christum instituisse religionem quæ corda moveret, non vero quæ mentem fide dogmatibus necessario admittendis obstringeret. Hinc juxta ipsum, Ecclesia coalescit ex omnibus sectis, quæ in infinitum variari et perfici possunt, ratione perfectionis a spiritu humano semper progrediente acquisitæ.

Catholici autem distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium procul rejiciunt, contenduntque unitatem Ecclesiæ Christi essentialem consistere in professione ejusdem fidei, sine distinctione, in participatione eorundem sacramentorum et in subjectione iisdem pastoribus, et præsertim Romano pontifici. Hinc requirunt unitatem fidei et unitatem ministerii seu regiminis: qui unitatem fidei dirumpunt, aliquem fidei articulum pertinaciter negantes, dicuntur hæretici; qui vero a subjectione legitimis pastoribus debita se retrahentes, unitatem regiminis scindunt, appellantur schismatici, a verbo Græco *σχιζω*, *dilacero*. Quibus notatis, sit

PROPOSITIO PRIMA.

Distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium a Jurieu excogitata, admitti non potest, ac proinde ruit ipsius systema.

Prob. 1^o. Illa distinctio admitti non potest quæ nullo nititur principio, impossibilis est in praxi et Deo injuriosa: atqui distinctio articulorum, etc.

1^o Nullo nititur fundamento. Fundamentum enim hujus distinctionis reperiri deberet in Scriptura sacra, si quidem protestantes nihil admittere volunt nisi quod ex Scriptura probatur, et fatentur veritates quas vocant fundamentales a voluntate Christi pendere: quærendum est ergo ex Scriptura utrum Christus voluerit has vel illas futuras esse fundamentales: atqui nullus assignari potest textus in Scriptura quo illa distinctio nitatur; multi, e contra, ei adversantur, quando nempe Ecclesia assimilatur regno, domui, sagenæ, navi, sponsæ, etc.; quando dicitur unam esse fidem, sicut unum baptisma, quando Christus decernit eum qui non audit Ecclesiam habendum esse sicut ethnicum et publicanum: prædicta igitur distinctio est arbitraria et nullo innixa fundamento.

2^o Impossibilis est in praxi. Illa enim distinctio impossibilis est in praxi, si certæ non dentur regulæ quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus tuto discernantur: atqui nullæ dantur hujusmodi regulæ. Fatetur Jurieu hanc quæstionem esse difficillimam: unde eo ipso plerisque hominibus fit solutu impossibilis.

Tres tamen assignat regulas, ad distinguendos articulos fundamentales a non fundamentalibus: illi namque, juxta ipsum, sunt fundamentales, 1^o qui absque dispendio salutis negari non possunt, 2^o qui cum gloria Dei et beatitudine hominis connectuntur, 3^o qui perpetuo et consensu universali crediti sunt: atqui tres illæ regulæ sunt prorsus insufficientes.

1^o Ad nihil inservit prima regula. Asserit enim eos articulos esse fundamentales qui absque dispendio salutis

negari non possunt: verum quæretur ab eo quinam articuli absque dispendio salutis possint vel non possint negari. Catholici quidem docent fidem *explicitam* nonnullorum articulorum, v. g. SS. Trinitatis et Incarnationis, ad salutem esse necessariam: sed negant licere vel unum articulum rejicere. Debent ergo protestantes declarare utrum hi vel illi tuto negari possint, et ob quas rationes: porro illud non faciunt: ergo 1^o.

2^o Non plus inservire potest secunda regula a Jurieu assignata. Necesse enim foret ut clare definiatur quinam articuli cum gloria Dei et beatitudine hominis connectantur, vel non connectantur: at illud nec a Jurieu, nec ab aliis protestantibus determinatur: ergo 2^o.

3^o Nec pariter sufficit tertia regula ab eodem ministro tradita, scilicet universalis et perpetua Christianorum populorum consensio. Nam, vel requiritur consensio metaphysice universalis, et tunc nullus articulus erit fundamentalis; nullum quippe est dogma quod non fuerit saltem aliquoties impugnatum: vel sufficit consensio moraliter universalis, et tunc fundamentales sunt omnes articuli quos rejiciunt protestantes; nam facile ostenditur illos consensu moraliter universali ante reformationem fuisse admissos. Ergo 3^o. Tres igitur regulæ quas tradit Jurieu sunt prorsus insufficientes.

Quartam regulam adjecit idem Jurieu, quam vocabat regulam *sensationis* seu *gustus*; dicebat enim fideles solo sensu interno bonum a malo et verum a falso discernere, sicut per gustum dulce ab amaro distinguimus: sed nemo non videt quam hæc regula sit arbitraria, fundamento destituta et in praxi-illusoria; unusquisque enim sentit et gustat quod vult.

Hoc persentientes hodierni protestantes, solam admittunt rationem ad intelligendam Scripturam et ad fundamentales articulos a non fundamentalibus distinguendos; in talem autem prolapsi sunt indifferentiam, ut apud eos multi theologi, ministri et doctores nullum fere dogma revelatum tanquam fundamentale habeant, ne quidem divinitatem Christi. Luctuosam hanc indifferentiam

circa omnes religiones prædixerat *Bossuet*, variis in locis, præsertim 6° *Avertissement*, 3° *partie*; eandem præsentiebat *Leibnitz*, licet protestans, *Exposition de la doctrine de Leibnitz sur la religion, ouvrage inédit traduit par M. Emery, et publié en 1819*. Illam universaliter existere innumera facta invicte demonstrant. Vide *Essai sur l'indifférence*, t. 1, c. 6 et 7; *l'Ami de la Religion et du Roi*, n. 182 et 95; *Discussion amicale*, t. 1; *Excellence de la Religion catholique*, de *M. Milner*, t. 1, et *Entretiens philosophiques*, D. de *Starck*, celebri Lutherani prædicatoris. Eruditus ille doctor probat ex professo et demonstrat *protestantismum* nihil aliud nunc esse in Germania quam purum *deismum*. Eadem indifferentia nunc viget in Anglia et in America; etiam apud presbyteros, doctores, professores et episcopos, ut testimoniis fide dignis probat *D. Milner*. Iam, a longo jam tempore existit, ut probat exquisitum opusculum a 200 annis circiter editum, oblivioni datum, recenter casu inventum, ex lingua anglicana in nostram conversum, et publicatum sub titulo: *Isaac et Ismaël, Dialogues sur le protestantisme*. Ergo 2° distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium est chimærea et in praxi impossibilis. Ergo.

Prob. 2° ex traditione. Certum est prædictam distinctionem ante *Jaricu* fuisse inauditam; fatetur ipse auctor, evidentia coactus, dogma catholicum a tempore *S. Cypriani* semper admissum esse in Ecclesia: ergo semper creditum est. Vel enim semper creditum est, vel post Apostolos fuit introductum: at posterius dici non potest: tunc enim hæretici qui per illud a via salutis exclusi fuissent, statim reclamassent; illud saltem non admisissent: atqui tamen illud admiserunt: ergo.

Præterea, vox *Ecclesia* semper usurpata est ab hæreticis sicut a catholicis, pro unica societate omnes hæreticos excludente: hinc semper dictum est: *Ecclesia loquitur; Ecclesia præcipit; Ecclesia definit*, etc. Porro hæc verba convenientia non essent, si Ecclesia Christi esset aggregatum omnium sectarum, juxta beneplacitum *Jaricu* et hodiernorum protestantium: ergo.

Prob. 3°. Distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium est Deo injuriosa: ea enim admissa, vel negari possent veritates habitæ ut revelatæ, quod ipsi protestantes non concedent; vel licita erit negligentia in querendis veritatibus revelatis quæ a priori judicantur non fundamentales, quod repugnat. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 10. Judæi ad fidem conversi, qui post decretum concilii Hierosolymitani ritus Mosaicos adhuc sequebantur, erant hæretici: attamen ab Apostolis fuerunt tolerati: ergo.

R. Nego ant. Illi enim Judæi non erant hæretici, si decreto concilii Hierosolymitani non fuerint oppositi: atqui decreto concilii Hierosol. non fuerunt oppositi; in illo namque concilio definebatur observationem rituum Mosaicorum non esse necessariam, et jugum istud gentibus conversis non imponendum esse; sed non fuerat pronuntiatum ritus illos esse malos et fugiendos: atqui Judæi conversi non arbitrabantur eosdem ritus ad salutem esse necesarios, eos ex consuetudine et ex devotione observabant: Apostoli vero per aliquod tempus hanc consuetudinem toleraverunt, ut Synagoga cum honore sepeliretur. Ergo.

Obj. 2°. Sadducæi apud Judæos in gravibus errantes ad Ecclesiam tunc existentem, seu ad religionem Mosaicam, pertinebant. Ergo.

R. 1° Retorqueo argumentum: Sadducæi negabant animæ immortalitatem: at immortalitas animæ est articulus fundamentalis. Ergo.

R. 2°. Sadducæi ad Ecclesiam tunc existentem pertinebant, in eo tantum sensu quod judicio publico ab illa non fuerant exclusi: erant enim sicut et multi nunc apud nos sunt increduli, qui reputantur Catholici, licet in gravibus errent. Insuper, testante Josepho, munus publicum non obtinebant, nisi prius jurarent se credere animas corporibus superstites esse: non habe-

bantur ergo ut ad corpus Synagogæ seu Ecclesiæ tunc existentis, eodem modo ac cæteri, durantibus erroribus suis, simpliciter pertinentes.

Obj. 2º. I Cor. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur : et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem saluus erit : sic tamen quasi per ignem.* Unde sic argumentabantur *Jurieu* et ejus discipuli : Per *aurum, argentum* et *lapides pretiosos*, clare designantur articuli essentialia qui a fundamento, scilicet a Christo, separari non possunt ; per *ligna, fenum et stipulam* alii exprimuntur articuli minus essentialia qui absque dispendio salutis negari possunt, vel doctrinæ falsæ articulis fundamentalibus adjectæ, quæ tamen fundamentum non destruunt, nec ideo saluti nocent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1º si distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium clare in illo B. Pauli textu exprimeretur, certe ante *Jurieu* cognita fuisset : at qui nemo ante *Jurieu* hunc textum B. Pauli sic intellexerat.

2º S. Aug. S. Gregor. et multi alii in Scripturis sacris periti, contendunt ibi de doctrina non agi, sed de operibus. Per *aurum*, etc., bona designantur opera ; per *ligna, fenum*, etc., designantur opera minus recta, seu venialiter mala : qui ea faciunt, detrimentum patientur ; nihilominus salvi erunt, *quasi per ignem* : in illa autem interpretatione nihil est quod opinioni *Jurieu* faveat. Ergo.

3º Si de doctrina ibi agatur, ut probabilius est et contextui magis consentaneum (Vid. Estius in hunc locum), per fundamentum intelligitur Christus quem B. Paulus prædicaverat ; per *aurum, argentum et lapides pretiosos*, sana intelligenda est doctrina quam Evangelii præcones

annuntiant, sicque super fundamentum recte ædificant ; per *ligna, fenum et stipulam*, intelligenda est doctrina eorum qui, a Christo non recedentes in docendo, super legitimum fundamentum etiam ædificant, sed minus recte, quia futiles et curiosas opiniones aut vana eloquii humani ornamenta prædicationi verbi divini inserunt, et ideo, licet salvi fiant, pœnam tamen merentur. Hæc interpretatio, quæ est communior, opinioni *Jurieu* non favet, ut patet. Insuper, si textus ille ad sensum *Jurieu* intelligendus esset, sequeretur solam fidem in Christum esse articulum fundamentalem, non vero fidem in Spiritum sanctum, in immortalitatem animæ, etc. ; porro hanc consequentiam non admittit *Jurieu* : immerito igitur præsentem B. Pauli textum in gratiam sui systematis allegat.

Obj. 4º. Catholici suos etiam habent articulos fundamentales qui a nemine negari possunt, et articulos non fundamentales, v. g. immaculatam B. Mariæ conceptionem, ejusdem in cœlum assumptionem, etc. Ergo.

R. Nego ant. Apud catholicos plurimæ quidem agitantur quæstiones in scholis, v. g. circa B. Mariæ Virginis conceptionem, mortem, assumptionem ; sed, juxta omnes, opiniones in his punctis communiter admissæ, ad fidem non pertinent, quia clare in deposito revelationis non continentur, nec ab Ecclesia fuerunt definitæ.

Sunt etiam apud eos veritates quarum fides explicita requiritur ut necessaria, et veritates quarum fides implicita sufficit : cuncti fideles tenentur credere fide saltem implicita quidquid credit Ecclesia ; habent in auctoritate Ecclesiæ regulam credendi claram, obviam, uniformem, constantem. Porro qui viam privati examinis sequuntur hujusmodi regulam non habent, ut patet.

Catholicus optime ac rectissime dicere potest : Firmiter credo quidquid credit et docet Ecclesia. Hæc propositio habet sensum clare determinatum. Quid dicere potest examinis privati assecla ? Credo ut fundamentalia ea quæ ratio mea clare ostendit in libris sacris contenta, et implicite seu ut non fundamentalia ea quæ ratio mea in posterum demonstrabit in sacris libris expressa. Certe hu-

jusmodi propositio non habet sensum determinatum. Ergo, etc.

Obj. 5°. Diversæ sectæ Christianæ valide sacramenta administrant, ut omnes saltem de plurimis sacramentis admittunt; atqui sacramenta valide non administrarent, inquit *Jurieu*, si de Ecclesia non essent: ergo.

R. Nego min. Nam validitas sacramentorum a sola voluntate Christi pendet: atqui Christus voluit ut quædam sacramenta a schismaticis, hæreticis, apostatis aliisque hominibus valide administrarentur. Sic tota intellexit et tradidit antiquitas de baptismo et de ordinatione; sed nihilominus illæ sectæ ut schismaticæ et hæreticæ constanter habitæ sunt. Non sua sic administrant sacramenta, sed sacramenta veræ Ecclesiæ, pro quibus conferendis sunt instrumenta; nam, ut observat S. Aug. contra Donat., de Bap. lib. 1, c. 10, separantur quidem a vinculo charitatis et pacis, sed quibusdam in punctis adhuc junctæ esse possunt cum vera Ecclesia, possunt retinere characterem et ritum externum cui, ex institutione Christi, annexa est gratia: in illo autem casu, vi characteris et ritus externi, valide conferuntur sacramenta: præfatum ergo argumentum, quod tantopere ventitat *Jurieu*, nihil probat.

Obj. 6°. Rejecta distinctione articulorum fundamentalium et non fundamentalium, salus obtineri non posset nisi in una tantum secta christiana: at talis doctrina rigiditate sua ad desperationem ducit. Ergo, etc.

R. Nego min. Jam enim ostendimus et protestantes fatentur nobiscum salutem obtineri non posse extra veram Christi Ecclesiam: tota igitur quæstio examinanda est ubi sit vera Christi Ecclesia, id est, quænam societas veram Christi doctrinam profiteatur. Repugnat autem doctrinas sibi contradictorias esse simul veram Christi doctrinam. Ergo doctrina veræ Ecclesiæ debet necessario esse una, absque ulla distinctione articulorum fundamentalium.

Non inde sequitur omnes qui in aliis sectis vivunt damnandos esse: nam 1° constat ex mox dictis eos qui, juxta ritum a Christo determinatum, baptizantur in aliis sectis, esse justificatos, ad animam veræ Ecclesiæ pertinere, ac

proinde salvandos fore nisi culpa sua a statu gratiæ sanctificantis excidant. 2° Quæ bona fide errori adhærent, aut sufficientem non habent advertentiam ut peccent mortaliter in actu adhæsiōis et in ejus perseverantia, materialiter tantum sunt hæretici aut schismatici: ergo salvi erunt si Deum aliter mortaliter non offenderint. 3° Qui materialiter tantum errori adhærentes, Deum mortaliter offenderunt, adhuc salvari possunt, si nempe præcipua fidei dogmata propter Dei auctoritatem credant, parati alia credere si ea cognoscerent, et de peccatis suis perfecte conterantur.

Nulli ergo damnabuntur præcise quia in hæresi vel schismate existunt, sed quia in errore culpa sua remanent: porro illud non repugnat: ergo. Hanc doctrinam communiter docent theologi, post S. Aug. qui sic se habet, Epist. 43, alias 162, ad quosdam Donatistas episcopos: « Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, »
 « nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam »
 « non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed a se- »
 « ductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, »
 « quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi »
 « parati enim invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos »
 « deputandi. » Ergo.

Notandum bonam fidem a theologis catholicis requisitam non esse indifferentiam circa varias sectas christianas, sed sinceram animi dispositionem quærendi, pro posse, veritatem, eam semel cognitam amplectendi atque palam profitendi.

PROPOSITIO SECUNDA.

Unitas Ecclesiæ Christi essentialis consistit in professione ejusdem doctrinæ, ita ut minima hæresis a via salutis per se excludat.

Prob. Illa propositio evidenter sequitur ex præcedenti; probatur insuper Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Christus enim apud Matth. xxviii, 20, dixit Apostolis: *Docentes eos servare omnia quæcumque*

mandavi vobis. Quæcumque, absque ulla distinctione aut exceptione. Insuper, postulat pro omnibus qui in ipsum credituri sunt, ut sint unum in Deo, sicut Pater est in Filio, et Filius in Patre, Joan. xvii, 21: *Ut credat mundus, inquit, quia tu me misisti*: porro talis non existit unio inter sectas dogmata contradictoria docentes et se invicem anathematizantes: ergo.

B. Paulus, Eph. iv, 4, sic habet: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Philipp. ii, 2: *Implete gaudium meum, ut idem sapientis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.*

Tit. iii, 9: *Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita.* Porro evidenter affirmari non potest sectas in doctrina sibi oppositas servare omnia quæcumque mandavit Christus, habere unitatem spiritus in vinculo pacis, unam profiteri fidem, eandem charitatem habere, esse unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem dicere, hæreticum hominem devitare, etc. Ergo.

2^o *Traditione.* Constat enim, ex sævetis Patribus et toto historiæ ecclesiasticæ decursu, errantes in fide, etiam in articulis qui protestantibus minus essentielles visi sunt, semper exclusos esse ab Ecclesia velut hæreticos. S. Aug. nonaginta numerat hæreses ab Apostolis usque ad tempus sum: inter eas saltem plurimæ articulos a protestantibus velut fundamentales assignatos procul dubio tenebant; at tamen divus Aug. omnes similiter damnat; idem fecerant S. Epiph. et S. Irenæus, lib. contra Hæreses. A tempore S. Aug. usque ad Lutherum, idem fere numerus hæreson computatur, et omnes pari modo sine ulla exceptione proscriptæ sunt. Ergo.

3^o *Ratione.* Qui solverit unum de mandatis etiam minimis, Matth. v, 19, non intrabit in regnum cælorum; nam qui peccat in uno, factus est omnium reus, Jacob. ii, 10. Ergo

similiter, qui unam negat veritatem a Christo revelatam, salvari non potest; eo ipso enim quod Christus has veritates revelaverit et jusserit ut Apostoli eas docerent, voluit ut omnes eadem animi submissione crederentur: ergo 3^o, etc. aliunde, etc. Ergo, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Invariabilis est Ecclesia in fide sua.

Propositio hæc sequitur ex præcedenti: Si enim vera Christi Ecclesia essentialiter sit una in fide, ita ut negatio unius articuli constituat hæreticum, nulla admitti potest mutatio. Unde axioma Catholicum, a beato Stephano papa contra rebaptizantes probatum, et toties repetitum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est* (S. Cypr. Epist. 74).

Vincentius Lirinensis, in I Commonitorio, n. 22, dicebat loquendo de textu B. Pauli, I Tim. vi, 20, *depositum custodi: Quid est depositum? Id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum, quod suscepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privata, sed publicæ traditionis.*

Notandum invariabilitatem in fide non esse oppositam definitioni novarum propositionum. Ecclesia enim novas definiendo propositiones, objectum fidei suæ non mutat, sed tantum decernit hanc aut illam veritatem in deposito revelationis contineri.

A fortiori theologorum opiniones, ad fidem minime pertinentes, variari possunt, absque læsione invariabilitatis fidei.

PROPOSITIO QUARTA.

Vera Christi Ecclesia ita est una ratione regimini, ut a via salutis excludantur schismatici, etiamsi in doctrina non errent.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura sacra, traditione et ratione: atqui constat, etc.

1^o *Scriptura sacra.* Ecclesia enim variis in locis Scripturæ comparatur ovili, regno, civitati, domui, familiæ.

corpori, etc.; at illæ figuræ unitatem regiminis denotant: qui ergo a regimine ecclesiastico per schisma separantur, jam de Ecclesia non sunt, sicut oves a regimine pastoris sejunctæ non sunt de ovili, subditi a ductu regis separati non sunt de regno, etc.; hoc ipso extra viam salutis sunt positi. Ergo 1°.

2° *Id constat traditione.* Novatianus, contra regulas legitimas pontifex Romanus consecratus, et Donatus similiter in sede Carthaginiensi intrusus, erant tantummodo schismatici; attamen ipsi ipsorumque sectatores semper habiti sunt ut extra Ecclesiam positi solo facto schismatis: unde S. Cyprianus, Epist. 76: « Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui Evangelica et Apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est. » Idem affirmat S. Aug. pluribus in locis de Donatistis.

S. Ignatius, in Epist. ad Philadelphos, dicit « eos non esse cum Christo qui non sunt in unitate Ecclesiæ cum episcopo; et eos qui schisma facientem sequuntur, regnum Dei non hereditare. » Idem habent S. Polycarpus, S. Justinus, S. Hieronymus, etc. Ergo 2°.

3° *Idem constat ratione.* Vel enim Ecclesia est unica ratione regiminis, vel duo aut plura ministeria a se independentia simul existere possunt in Ecclesia: atqui posterius dici non potest; nam si plura ministeria a se independentia simul existerent, vel a Christo instituta; vel post Christum formata fuissent; atqui neutrum supponi potest. Non prius; quia certum est Christum unicam instituisse societatem sub unico regimine, sicut ovile est sub unico pastore, regnum sub unico rege, civitas sub unico magistratu, domus sub unico patre-familias, etc. Non posterius; nam hæc ministeria ab hominibus formata essent, et tunc vitam spirituales non haberent; forent quippe sicut membrum a corpore separatum, vel ramus a trunco arboris sejunctus: statim arescit et perit. Ergo 3°, etc. aliunde, etc. Ergo. Vide exquisitum opus D. Nicole, *Unité de l'Eglise*, c. 10, etc.

Inferendum est ex cunctis probationibus mox allatis omnes pastores regimini veræ Ecclesiæ præpositos unum

efficere corpus, ac consequenter supremum agnoscere caput cui subjiciuntur.

PROPOSITIO QUINTA.

Vera Ecclesia non tantum unitatem facti, tum doctrinæ, tum regiminis, sed et unitatem juris necessario habet.

Prob. Unitas est proprietas veræ Ecclesiæ essentialis, ut patet ex dictis: ergo non sufficit ut hic et nunc existat, nec ut semper exstiterit, sed requiritur insuper ut existat principium fixum et invariabile ex quo hæc unitas necessario sequatur; alioquin semper timendum foret ne aliquando deficeret.

Sequitur ex dictis Christum non instituisse religionem cordis tantum, sed voluisse simul, imo voluisse primo mentem face fidei illuminare ut sensus cordis in semitis omnium virtutum tuto ducerentur.

§ II. — De sanctitate Ecclesiæ.

Multiplici modo Ecclesia dici potest sancta: videlicet, 1° ratione fundatoris et primarii capitis, nempe Christi; 2° ratione finis, id est, sanctificationis hominum; 3° ratione mediorum quibus hæc sanctificatio producitur, scilicet, doctrinæ credendæ, præceptorum servandorum et cultus quo Deum honorari jubet; 4° ratione sanctificationis realiter existentis, saltem in pluribus membris.

Sub diversis his respectibus *sanctam* esse debere veram Ecclesiam libenter nobiscum fatentur protestantes, excepto quod velint omnia ipsius membra esse sancta, et peccatores ad eam non pertinere. Nos vero demonstrabimus infra nimiam hanc sanctitatis extensionem esse errorem.

Notandum est iterum duplicem adhuc distingui sanctitatem: internam scilicet, quæ soli Deo perfecte nota est; et externam, quæ nonnullis signis, v. g. miraculis et prophetiis exterius manifestatur.

Certum est sanctitatem internam assignari non posse ut Ecclesiæ *notam*.

Certum est, e contra, sanctitatem signis divinis exterius

corpori, etc.; at illæ figuræ unitatem regiminis denotant: qui ergo a regimine ecclesiastico per schisma separantur, jam de Ecclesia non sunt, sicut oves a regimine pastoris sejunctæ non sunt de ovili, subditi a ductu regis separati non sunt de regno, etc.; hoc ipso extra viam salutis sunt positi. Ergo 1°.

2° *Id constat traditione.* Novatianus, contra regulas legitimas pontifex Romanus consecratus, et Donatus similiter in sede Carthaginiensi intrusus, erant tantummodo schismatici; attamen ipsi ipsorumque sectatores semper habitii sunt ut extra Ecclesiam positi solo facto schismatis: unde S. Cyprianus, Epist. 76: « Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui Evangelica et Apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est. » Idem affirmat S. Aug. pluribus in locis de Donatistis.

S. Ignatius, in Epist. ad Philadelphos, dicit « eos non esse cum Christo qui non sunt in unitate Ecclesiæ cum episcopo; et eos qui schisma facientem sequuntur, regnum Dei non hæreditare. » Idem habent S. Polycarpus, S. Justinus, S. Hieronymus, etc. Ergo 2°.

3° *Idem constat ratione.* Vel enim Ecclesia est unica ratione regiminis, vel duo aut plura ministeria a se independentia simul existere possunt in Ecclesia: atqui posterius dici non potest; nam si plura ministeria a se independentia simul existerent, vel a Christo instituta; vel post Christum formata fuissent; atqui neutrum supponi potest. Non prius; quia certum est Christum unicam instituisse societatem sub unico regimine, sicut ovile est sub unico pastore, regnum sub unico rege, civitas sub unico magistratu, domus sub unico patre-familias, etc. Non posterius; nam hæc ministeria ab hominibus formata essent, et tunc vitam spirituales non haberent; forent quippe sicut membrum a corpore separatum, vel ramus a trunco arboris sejunctus: statim arescit et perit. Ergo 3°, etc. aliunde, etc. Ergo. Vide exquisitum opus D. Nicole, *Unité de l'Eglise*, c. 10, etc.

Inferendum est ex cunctis probationibus mox allatis omnes pastores regimini veræ Ecclesiæ præpositos unum

efficere corpus, ac consequenter supremum agnoscere caput cui subjiciuntur.

PROPOSITIO QUINTA.

Vera Ecclesia non tantum unitatem facti, tum doctrinæ, tum regiminis, sed et unitatem juris necessario habet.

Prob. Unitas est proprietas veræ Ecclesiæ essentialis, ut patet ex dictis: ergo non sufficit ut hic et nunc existat, nec ut semper exstiterit, sed requiritur insuper ut existat principium fixum et invariabile ex quo hæc unitas necessario sequatur; alioquin semper timendum foret ne aliquando deficeret.

Sequitur ex dictis Christum non instituisse religionem cordis tantum, sed voluisse simul, imo voluisse primo mentem face fidei illuminare ut sensus cordis in semitis omnium virtutum tuto ducerentur.

§ II. — De sanctitate Ecclesiæ.

Multiplici modo Ecclesia dici potest sancta: videlicet, 1° ratione fundatoris et primarii capitis, nempe Christi; 2° ratione finis, id est, sanctificationis hominum; 3° ratione mediorum quibus hæc sanctificatio producitur, scilicet, doctrinæ credendæ, præceptorum servandorum et cultus quo Deum honorari jubet; 4° ratione sanctificationis realiter existentis, saltem in pluribus membris.

Sub diversis his respectibus sanctam esse debere veram Ecclesiam libenter nobiscum fatentur protestantes, excepto quod velint omnia ipsius membra esse sancta, et peccatores ad eam non pertinere. Nos vero demonstrabimus infra nimiam hanc sanctitatis extensionem esse errorem.

Notandum est iterum duplicem adhuc distingui sanctitatem: internam scilicet, quæ soli Deo perfecte nota est; et externam, quæ nonnullis signis, v. g. miraculis et prophetiis exterius manifestatur.

Certum est sanctitatem internam assignari non posse ut Ecclesiæ notam.

Certum est, e contra, sanctitatem signis divinis exterius

manifestatam, veram indicare Ecclesiam, ac proinde ipsius esse *notam*: repugnat enim Deum talibus signis homines in errorem inducere.

An vero Deus huiusmodi signa sanctitatis in Ecclesia perpetuo exhibere teneatur, definire non audemus, nec ideo affirmamus sanctitatem sic intellectam essentialiter esse *notam* Ecclesiae *proprie dictam*. Sic *ferme de la Luzerne, Dissertation sur les églises catholique et protestante, t. 2.*

§ III. — De catholicitate Ecclesiae.

Catholicitas idem significat ac *universitas*. Triplici modo Ecclesia dici potest catholica, videlicet ratione doctrinae, ratione temporum et ratione locorum. Est catholica ratione doctrinae, si omnem profiteatur doctrinam a Christo traditam; est catholica ratione temporum, si semper sit duratura. De duplici hac catholicitate modo dicemus, tractando de apostolicitate.

Ecclesia est catholica ratione locorum, si ubique sit diffusa; sub hoc respectu dici potest catholica, primo successive, si diversas orbis partes successive percurrat; secundo simultanee, si de facto per orbem universum diffundatur: quod triplici modo fieri potest, scilicet physice, si reipsa totum orbem impleat; moraliter, si per maximam orbis partem extendatur; et relative, si diffusionem suam alias societates Christianas vincat.

Nonnulli theologi dixerunt solam catholicitatem successivam verae Ecclesiae esse essentialem: sic Melchior Canus, de Locis theologicis, l. 4, cap. *Postremo*, resp. ad 13^{um} argumentum; Bellarm. l. 4 de notis Eccl. c. 7. Alii vero communiter docent catholicitatem simultaneam, sensu morali intellectam, verae Ecclesiae necessariam esse: hanc sententiam amplectentes, contendimus veram Ecclesiam debere esse 1^o catholicam seu moraliter universalem; 2^o constanter catholicam; 3^o simultanee catholicam; 4^o sufficere ut sit moraliter catholica, seu per orbem diffusa; 5^o necessarium esse ut diffusionem suam caeteras societates Christianas vincat. *His notatis*, sint propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera Christi Ecclesia debet esse catholica seu universalis.

Notandum eam non potuisse dici universalem in suo exordio: fuit enim et debuit esse sicut granum sinapis, primum exigua, ut deinde velut arbor magna fieret.

Prob. adversus ministrum *Claude* et multos qui eum secuti sunt, et nunc etiam eodem modo sentiunt; dictus minister Ecclesiae durationem in tres dividit aetates: eam quippe considerat ut crescentem sicut pueri crescere solent, ut aliquandiu in eodem statu manentem sicut viris consuetum est, et ut senescentem atque in senio catholicitate privatam.

Illud pro certo tenendum est quod probatur ex Scriptura sacra, ex Symbolo fidei et ex traditione: atqui ex Scriptura sacra, etc.

1^o *Ex Scriptura sacra*. Gen. XXII, 18, Deus dicit Abraham: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*. Unde sic. Ut ex illa promissione concludi possit Ecclesiam debere esse catholicam, duo sufficiunt: 1^o ut benedictio hic praenuntiata per Christum sit diffundenda; 2^o ut gentes illius participes fieri non possint nisi Ecclesiam ingrediantur: atqui haec duo certa sunt.

1^o Benedictio hic praenuntiata per Christum est diffundenda. Nam eo praesertim textu nitetur fides Iudeorum de adventu futuro Messiae, et ejusdem expectatio. Praeterea, B. Paulus ad hunc locum allusionem faciens, Gal. III, 16, ait: *Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus, Non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus*. Ergo.

2^o Gentes benedictionis hujus participes fieri non possunt nisi Ecclesiam ingrediantur. Ideo enim promissus erat Messias, et in eo benedicendum erat genus humanum, ut deleteretur maledictio per serpentem inducta, et salus obtineri posset: atqui, ex dictis, nulla est salus extra Ecclesiam: ergo nec benedictio in Christo. Porro omnes gen-

tes benedicendæ sunt in Christo, ex prophetia : omnes igitur ingredi debent Ecclesiam. Ergo.

Idem probatur ex Daniele, II, 34 et 35 : *Abscissus est lapis de monte sine manibus; et percussit statuam in pedibus ejus... et factus est mons magnus, et implevit omnem terram.* Hæc autem celebris prophetia, quæ integra legenda est, communiter de Ecclesia Christi intelligitur, et revera aliter explicari non potest : porro Ecclesia sic designata est catholica.

Ps. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.*

Malachi. I, 11 : *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

Act. I, 8 : *Et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ; et XIII, 46 : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud... ecce convertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus : Posaui te in lucem gentium ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Ex his textibus manifestum est Ecclesiam Christi debere esse catholicam, seu ubique diffusam.

Prob. 2^o ex Symbolo fidei. Talis debet esse Ecclesia qualem eam esse profitemur : atqui profitemur, et protestantes nobiscum profitentur in Symbolo, eam esse ubique diffusam; profitemur enim eam esse catholicam, nam vox catholica, obvio sensu accepta, significat extensionem ubique moraliter diffusam, ut ex innumeris SS. Patrum testimoniis probari posset.

Prob. 4^o ex traditione. S. Cyrillus Hierosol. Catech. 18, n. 11 : « Catholica igitur vocatur (Ecclesia), quia per universum sit orbem terrarum diffusa, a finibus terræ usque ad extrema. »

S. Optatus, lib. 2 in initio, contra Parm. • Ubi ergo « proprietas catholici nominis, cum Ecclesia dicta sit catholica, quod sit ubique diffusa? »

S. Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ, fere in initio : « Ecclesia luce Domini perfusa, per orbem totum radios suos

» porrigit. Unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. »

S. Chrysost. in c. 11 Is. n. 2 : « Neque sol ita splendidus, neque lux ejus ita clara est ut sunt res ad Ecclesiam spectantes. »

S. August. I Tract. in Epist. Joan. n. 13, 2 part. « Numquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? Nonne tenuit omnes gentes? Ecce mons implens universam faciem terræ; ecce civitas de qua dictum est : NON POTEST CIVITAS ABSCONDI SUPRA MONTEM POSITA. » Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Vera Christi Ecclesia debet esse perpetuo catholica.

Prob. 1^o ex Scriptura sacra. Daniel II, 44 : *Suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.* Hæc prophetia intelligenda est de Ecclesia, ut jam diximus et omnes conveniunt : atqui ex illa sequitur catholicitatem Ecclesiæ debere esse perpetuam; nam regnum illud a Deo suscitandum non dissipabitur, alteri populo non tradetur, sed stabit in æternum; regnum autem quod ex universali fieret debile et tenue, jam esset dissipatum, vel alteri populo saltem aliquo modo traditum. Ergo.

Matth. XVI, 15, portæ inferi prævalere non possunt adversus Ecclesiam : at si Ecclesia ex universali fieret exigua et constricta, jam portæ inferi adversus eam prævaluisent : ergo.

Prob. 2^o ex Symbolo Apostolorum. Christi fideles semper tenebuntur profiteri Ecclesiam esse catholicam : atqui repugnat eos teneri credere articulum qui posset esse falsum : ergo.

Prob. 3^o ex SS. Patribus. S. Aug. Epist. contra Donatistas, vulgo de Unitate Eccl. cap. 6, multa congerit testi-

monia quibus demonstrat Ecclesiam ubique diffusam esse oportere; deinde ostendit sectam Donatistarum exiguam esse, et extra limites Africae non extendi, et statim concludit: « Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est: » ostendite mihi vos communicare omnibus gentibus. » Eodem modo loquuntur S. Optatus Milevitanus et multi alii: porro ille argumentandi modus probat omnibus persuasum fuisse Ecclesiam Christi juxta catholicam esse debere absque obnubilatione; alioquin haeretici sic pressi respondissent se hic et nunc catholicos quidem non esse, sed tales postea futuros esse. Ergo.

Dices: Luc. XVIII, 8: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Certe ubi non est fides, ibi non est Ecclesia: ergo saltem in ultimis temporibus Ecclesia non erit catholica.

R. 1^o. Etiam si concederemus Ecclesiam in ultimis temporibus non futuram esse catholicam, nihil contra nos sequeretur; nam de illa tractamus prout debet esse usque ad consummationem saeculi, non vero prout erit in ipsamet saeculi consummatione.

R. 2^o. *Nego conseq.* Juxta communiorem enim et probabiliorem sententiam, verba Christi non sunt intelligenda de professione fidei, sed de fide efficaci et per charitatem formata: at fieri potest ut fides per charitatem formata decrescat et rara inveniatur, licet Ecclesia maneat catholica. Unde, vel illa verba referenda sunt ad destructionem Jerusalem, ut multi volunt, et sensus est quod eo tempore Christus paucos invenire debuerit qui in ipsum crediderint; vel referri debent ad ultima tempora, ut alii docent, et sensus erit quod tunc pauci futuri sint sancti: at, in utraque hypothesis, nihil adversus propositionem nostram concludi potest. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Ecclesia non tantum successive, sed simultanee catholica esse debet.

Hæc propositio, licet non de fide, ut certa habetur, et sequentibus probatur argumentis, 1^o Vox catholica sumi

debet sensu obvio: atqui sensu obvio accepta, simultaneam et non successivam designat extensionem. 2^o Christus regnaturus est a mari usque ad mare, nomen ejus futurum est magnum ab ortu solis usque ad occasum, Ecclesia ejus futura est mons magnus totam implens terram: atqui hæc simultaneam et non successivam expriment dominationem. 3^o SS. Patres diversos urgebant haereticos, dicentes eos non habere veram Ecclesiam, quia non erant catholici; si persuasum habuissent catholicitatem Ecclesiae promissam esse successivam et non simultaneam, hoc argumentum nullius est roboris, *ut patet*. 4^o Profitemur in Symbolo Ecclesiam catholicam: singulis igitur diebus catholica esse debet. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Ut Ecclesia Christi sit catholica, sufficit quod per magnam orbis partem diffundatur.

Prob. 1^o. Ea sufficit diffusio qua verificantur verba quibus catholicitas promittitur Ecclesiae: atqui verificantur hæc verba, si Ecclesia per magnam orbis partem diffundatur; legitur enim in Scriptura, I Mach. 1, 2, Alexandrum obtinuisse omnium munitiones, interfecisse reges, pertransisse usque ad fines terræ, accepisse spolia multitudinis gentium; idem fere dicitur de Nabuchodonosor, Daniel, 11, 38; dicitur Romanos possedisse mundum..... atqui hæc omnia non sunt vera nisi sensu morali, et de sola extensione per magnam orbis partem intelligenda sunt: ergo a pari sufficit ut Ecclesia, etc.

2^o. Prophetiae de catholicitate Ecclesiae mendaces esse non possunt: attamen mendaces essent, nisi in sensu morali supra exposito intelligerentur; nulla enim est societas Christiana, nec ulla fuit unquam quæ extensionem metaphysice universalem habuerit, imo nec eam habent omnes sectae Christianae simul junctæ.

3^o. Sancti Patres dicebant Ecclesiam esse ubique diffusam: verum Ecclesia tunc non erat diffusa, nisi per magnam orbis partem. Ergo.

PROPOSITIO QUINTA.

Necesse est ut vera Ecclesia cæteras societates Christianas diffusionem suam vincat.

Prob. Ut certissimum illud admitti debet quod ex Scriptura sacra et ex sanctis Patribus constat : atqui ex Scriptura sacra, etc.

1° *Ex Scriptura sacra.* In textibus enim allatis, Ecclesia prænnuntiatur ut *mons magnus implens universam terram, ut a mari ad mare, ab ortu solis usque ad occasum, vel usque ad extremum terræ dominatura, ut in omni loco existens, etc.* Porro talis figura alium excludit montem majorem vel æqualem, terram pariter implentem, aliam societatem similem, ubique pariter dominantem. Certe immerito dictum fuisset imperium Romanum totum occupare mundum, si aliud simul existisset regnum notum majus vel æquale. Ergo 1°.

2° *Ex sanctis Patribus.* Unanimiter enim sancti Patres assignant catholicitatem velut characterem veræ Ecclesiæ distinctivum, ut videre est in testimoniis eorum supra citatis et in multis aliis quæ citari possent, v. g. S. Cyrilli Hierosol. Cat. 18 : « Catholica Ecclesia, hoc enim proprium est nomen sanctæ matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri; » S. Paciani Epist. I ad Sympronianum Donatistam : « Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen. » Antea in eadem epistola dixerat : « Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores. » At sancti Patres catholicitatem velut proprium veræ Ecclesiæ characterem non assignassent, si eam universalitate sua cæteras societates Christianas necessario vincere non credidissent. Ergo.

Visibilitas Ecclesiæ.

Hinc sequitur veram Christi Ecclesiam eminenter visibilem esse debere; impossibile est enim eam esse catholicam, id est, per maximam orbis partem diffusam et alias

sectas sua diffusionem vincere, nisi eminenter sit visibilis.

Aliunde, si non esset eminenter visibilis, merito comparari non posset monti magno totam implenti terram, civitati supra montem posita, radiis solis, etc.

Ipsi protestantes in prioribus fidei confessionibus agnovērunt veram Christi Ecclesiam debere esse visibilem, ut clare demonstrat illust. Bossuet, *Histoire des variations*, liv. 15; sed a catholicis graviter pressi, ut ostenderent societatem quæ ante Lutherum doctrinam eorum profiteretur, maluerunt dicere veram Ecclesiam invisibilem fuisse et in sinu Ecclesiæ romanæ delituisse, quam fateri se victos esse.

Ecclesiæ indefectibilitas.

Perpetuitas seu indefectibilitas visibilitatis Ecclesiæ sequitur ex dictis : semper credere debemus Ecclesiam catholicam; at Ecclesia obscurata et invisibilis jam non esset catholica.

Errant igitur contra fidem Jansenii et Quesnellistæ, qui a protestantibus sub hoc respectu non multum recedentes, tenent Ecclesiam tam densa caligine aliquando obscurari ut a rectis corde tantum dignosci possit. Hoc excogitaverunt systema ut suas opiniones contra Bullam *Unigenitus* ejusque defensores tuerentur. Itaque Clerus Gallicanus, in comitiis anni 1715, merito damnavit librum cui titulus : *Le Témoignage de la vérité.*

Eundem obscuritatis errorem in synodo Pistoriensi adoptatum, proscripsit Pius VI in Bulla, *Auctorem fidei*, anno 1794.

Notandum ibi agi de Ecclesia a Christo instituta, non vero de Synagoga seu de Ecclesia ante Christum existente : nullius igitur sunt roboris plurimi textus Veteris Testamenti a reformatis allegati.

Aliunde facile probant auctores Synagogam nunquam defecisse, et semper visibilem fuisse, etiam sub impiis regibus Achaz et Manasse. Tunc enim plures prædicabant prophætæ, in primis Isaias : multi adhuc erant fideles, siquidem *sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis,*

donec impletet Jerusalem usque ad os (IV Reg. XXI, 16). Non ita sanguinem innoxium effudisset Manasses, si omnes aut fere omnes impietatibus ejus adhaerissent. Vide Bossuet in exordio colloquii cum Claude.

§ IV. — De apostolicitate Ecclesiae.

Illa Ecclesia dicitur Apostolica quae ab Apostolis originem ducit, id est, doctrinam eorum profitetur integram, et habet ministerium ab eis legitima successione derivatum. Duplex igitur est Apostolicitas: una scilicet doctrinae, et altera ministerii. De utraque per sequentes propositiones dicemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione doctrinae.

Prob. Vera Ecclesia puram Christi doctrinam profiteri debet; Apostolis enim Christus dixit: *Docete omnes gentes... servare omnia quaecumque mandavi vobis*, Matth. XXVIII, 20. Apostoli doctrinam Christi discipulis suis commiserunt tanquam depositum fideliter custodiendum: hi autem depositum acceptum suis successoribus transmittere debuerunt absque ulla vocum novitate, I Tim. VI, 20. Ergo.

Hanc propositionem admittunt protestantes, qui contendunt Ecclesiam Romanam esse deserendam, quia in pluribus a doctrina Apostolorum defecit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione ministerii.

Notandum duas requiri condiciones ut ministerium pastorale sit Apostolicum, scilicet, 1^o successionem ab Apostolis non interruptam, 2^o legitimam missionem, quae etiam consecrationem importat; alibi enim probatur ordinationem ad validitatem sacramentorum necessariam esse. His praemissis,

Probatur propositio Scriptura sacra, testimoniis Patrum et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Matth. XXVIII, 18: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: cunctes ergo docete omnes gentes...* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; et apud S. Joan. XX, 21: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Unde sic; Christus mittit Apostolos ad praedicandum Evangelium, et promittit se cum illis docentibus adfuturum esse usque ad consummationem saeculi: ergo successores sine interruptione habere debent.

Eph. IV, 11: *Ipsa dedit quosdam quidem apostolos... alios autem pastores et doctores in opus ministerii...* Pastores igitur venire debent a Christo: at semper debent esse pastores in opus ministerii: ergo.

HEB. V, 4: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron; sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret...* In veteri lege nullus poterat esse sacerdos aut levita nisi secundum ordinem a Deo praescriptum; ipse Christus non potuit esse pontifex nisi a Deo vocatus: ergo a fortiori nulli possunt esse legitimi pastores in Ecclesia, nisi secundum ordinem a Christo institutum et per Apostolos transmissum. Ergo.

Apostoli, verbis Domini innixi, passim iustituebant episcopos qui sua vice alios praeficerent episcopos et presbyteros. Sic Paulus et Barnabas per singulas ecclesias constituebant presbyteros, Act. XIV, 22. Idem B. Paulus ordinaverat Timotheum, illi tradebat regulas ad alios ordinandos, I Tim. V, 22; Titum reliquerat Creta: ut presbyteros constitueret, Tit. I, 5. Ergo 1^o.

2^o *Testimoniis SS. Patrum.* Tert. I de Praescript. c. 32, sectas suo tempore existentes invicte debellat ex Apostolicitatis ministerii privatione: « Illis, inquit, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. »

Ergo a solis Apostolis vel ab Apostolicis viris legitima derivatur missio pastorum.

S. Irenæus, contra Hæreses, l. 3, c. 3, n. 2: « Per successionem episcoporum usque ad nos pervenientes, con- fundimus eos omnes qui quoquomodo praterquam oportet colligunt. »

S. Cyprianus, Epist. ad Magnum, de rebaptizandis Novatianis, ait: « Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui Evangelica et Apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est; habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. »

S. Optatus, lib. 2 contra Parmenianum, sic probat episcopos Donatistarum legitimos non esse pastores: « Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. »

S. Aug. de Baptismo contra Donatistas, lib. 3, cap. 2: « Unde Donatus apparuit? de qua terra germinavit? de quo mari emersit? de quo caelo cecidit? » Ergo quicumque suam originem per legitimam successionem ab Apostolis non ducunt, veri pastores esse nequeunt. Ergo.

3^o *Ratione.* In ordine civili nemo potest legitime aliquid exercere officium, nisi illud mediate vel immediate suscipiat a rege, vel ab eis quibus suprema conceditur auctoritas: ergo a fortiori in ordine ecclesiastico nullus officium pastoris suscipere potest, nisi ad illud legitime fuerit vocatus, scilicet, ab eis quibus suprema spiritualis potestas fuit concessa: atqui solis Apostolis eorumque successoribus legitimis suprema spiritualis potestas fuit concessa, solis enim Apostolis Christus dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, Joan. xx, 21. Ergo.

Hinc sequitur 1^o eos qui seipsos constituunt pastores, vel institutionem accipiunt ab eis qui legitimam non habent missionem ab Apostolis descendentem, legitimos non esse pastores, sed intrusos et schismaticos; 2^o legitimos non esse pastores in pluribus societatibus a se invicem communionem sejunctis, quia Christus missiones sibi contradictorias non dedit; 3^o ministros extraordinarie a Deo

suscitatos aut non futuros esse pastores, sed nuntios vel prædicatores sicut olim Prophetæ, aut ministerio pastorum non derogaturos; quia Christus, ministerii ordinarii et perpetui auctor, *ut vidimus*, sibi contradicere non potest: qui autem ut ministros extraordinarios se exhiberent, missionem suam signis evidenter divinis probare tenerentur, alioquin nulla fides ipsis deberetur.

Advertendum est Ecclesiæ Apostolicitatem necessario junctam esse unitati: unitas doctrinæ est invariabilis; si est invariabilis, venit ab Apostolis; si venit ab Apostolis, est Apostolica. Idem dicendum est de unitate et Apostolicitate ministerii.

CAPUT SECUNDUM.

DE NOTARUM VERÆ ECCLESIE APPLICATIONE.

Probavimus veram Ecclesiam debere esse unam, sanctam, catholicam et Apostolicam. Quæcumque igitur societas Christiana aliqua ex illis *notis* est destituta, vera non est Ecclesia; dum, e contra, societas quæ quatuor illis *notis* est donata, certissime vera est Ecclesia. Nunc itaque nobis investigandum est quamnam societas Christiana his *notis* gaudeat.

Certum est sectas præteritas aut fere extinctas, v. g. Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, Eutychemorum, etc., veram non fuisse Ecclesiam; nam vera Ecclesia perire non potest, et semper debet esse eminenter visibilis.

Præcipuæ autem societates Christianæ nunc existentes sunt protestantes, Ecclesia Græca et Ecclesia Romana: itaque examinandum est in sequentibus articulis quamnam ex illis vera sit Ecclesia.

Quæ unica ex quatuor *notis* requisitis careret, eo ipso convinceretur non esse veram Christi Ecclesiam.

Ergo a solis Apostolis vel ab Apostolicis viris legitima derivatur missio pastorum.

S. Irenæus, contra Hæreses, l. 3, c. 3, n. 2: « Per successionem episcoporum usque ad nos pervenientes, con- fundimus eos omnes qui quoquomodo praterquam oportet colligunt. »

S. Cyprianus, Epist. ad Magnum, de rebaptizandis Novatianis, ait: « Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui Evangelica et Apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est; habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. »

S. Optatus, lib. 2 contra Parmenianum, sic probat episcopos Donatistarum legitimos non esse pastores: « Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. »

S. Aug. de Baptismo contra Donatistas, lib. 3, cap. 2: « Unde Donatus apparuit? de qua terra germinavit? de quo mari emersit? de quo caelo cecidit? » Ergo quicumque suam originem per legitimam successionem ab Apostolis non ducunt, veri pastores esse nequeunt. Ergo.

3^o *Ratione.* In ordine civili nemo potest legitime aliquid exercere officium, nisi illud mediate vel immediate suscipiat a rege, vel ab eis quibus suprema conceditur auctoritas: ergo a fortiori in ordine ecclesiastico nullus officium pastoris suscipere potest, nisi ad illud legitime fuerit vocatus, scilicet, ab eis quibus suprema spiritualis potestas fuit concessa: atqui solis Apostolis eorumque successoribus legitimis suprema spiritualis potestas fuit concessa, solis enim Apostolis Christus dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, Joan. xx, 21. Ergo.

Hinc sequitur 1^o eos qui seipsos constituunt pastores, vel institutionem accipiunt ab eis qui legitimam non habent missionem ab Apostolis descendentem, legitimos non esse pastores, sed intrusos et schismaticos; 2^o legitimos non esse pastores in pluribus societatibus a se invicem communionem sejunctis, quia Christus missiones sibi contradictorias non dedit; 3^o ministros extraordinarie a Deo

suscitatos aut non futuros esse pastores, sed nuntios vel prædicatores sicut olim Prophetæ, aut ministerio pastorum non derogaturos; quia Christus, ministerii ordinarii et perpetui auctor, *ut vidimus*, sibi contradicere non potest: qui autem ut ministros extraordinarios se exhiberent, missionem suam signis evidenter divinis probare tenerentur, alioquin nulla fides ipsis deberetur.

Advertendum est Ecclesiæ Apostolicitatem necessario junctam esse unitati: unitas doctrinæ est invariabilis; si est invariabilis, venit ab Apostolis; si venit ab Apostolis, est Apostolica. Idem dicendum est de unitate et Apostolicitate ministerii.

CAPUT SECUNDUM.

DE NOTARUM VERÆ ECCLESIE APPLICATIONE.

Probavimus veram Ecclesiam debere esse unam, sanctam, catholicam et Apostolicam. Quæcumque igitur societas Christiana aliqua ex illis *notis* est destituta, vera non est Ecclesia; dum, e contra, societas quæ quatuor illis *notis* est donata, certissime vera est Ecclesia. Nunc itaque nobis investigandum est quamnam societas Christiana his *notis* gaudeat.

Certum est sectas præteritas aut fere extinctas, v. g. Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, Eutychemorum, etc., veram non fuisse Ecclesiam; nam vera Ecclesia perire non potest, et semper debet esse eminenter visibilis.

Præcipuæ autem societates Christianæ nunc existentes sunt protestantes, Ecclesia Græca et Ecclesia Romana: itaque examinandum est in sequentibus articulis quamnam ex illis vera sit Ecclesia.

Quæ unica ex quatuor *notis* requisitis careret, eo ipso convinceretur non esse veram Christi Ecclesiam.

ARTICULUS PRIMUS.

UTRUM SOCIETAS PROTESTANTIUM VERA SIT CHRISTI
ECCLESIA.

Cum edictum conventus Spirensis, anni 1529, Lutheranis displiceret, solemniter contra illud per scriptum protestati sunt, dicentes se ad concilium generale appellare. Hinc dicti sunt *protestantes*. Calvinistæ, quia ex prima reformatione ortum duxerunt, eodem nomine donati sunt; versus annum 1560, ceperunt etiam vocari in Gallia *Huguenots*, cujus nominis clara etymologia non assignatur; dicti sunt etiam *reformati*. Aliæ sectæ, ex Lutheranis et Calvinistis in tanto numero exortæ, ut cardinalis Hosius, anno 1579 vita functus, ducentas et septuaginta jam computaret, communi denominatione appellantur *protestantes*. Hoc generali nomine gloriantur, et contendunt se pertinere ad veram Ecclesiam, quæ ex variis sectis coalescit. De his ergo sectis collectivè sumptis loquentes, in sequentibus propositionibus demonstraturi sumus eas characteres veræ Ecclesiæ essentielles non habere.

PROPOSITIO PRIMA.

Protestantes non habent unitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.

Prob. Vera ecclesia necessario habere debet unitatem doctrinæ, unitatem regiminis et unitatem juris: atqui protestantes hanc triplicem non habent unitatem.

1^o *Non unitatem doctrinæ.* Variæ enim numerantur inter eos fidei confessiones, in punctis gravissimi momenti dissimiles, scilicet Augustana, a Melancthone edita, quam alii admittunt et alii rejiciunt; Saxonica, Vittembergensis, Argentinensis, Belgica, plures Helveticæ, duæ Anglicæ, duæ Scoticæ, Genevensis aliæque non pauca. Apocalypsim et Epistolam ad Hebræos admittunt Calvinistæ; hos libros rejiciunt Lutherani. Item credunt Lutherani Christum esse realiter præsentem in Eucharistia;

hoc dogma negant Calvinistæ: et sic in multis aliis. Sæpe etiam in sua doctrina sententiam mutaverunt, ut unusquisque videre potest in eximio opere jam citato, *Histoire des variations*, a principio usque ad finem. Ab illo tempore multiplices novas mutationes admiserunt, et magis ac magis a se discrepant in credendo. De illis consulantur: *La Symbolique, de Moeller; la Symbolique populaire, de Buchman*, etc. Ergo 1^o.

2^o *Non unitatem regiminis.* Singulæ enim sectæ suum regimen habent: Calvinistæ nec episcopos, nec proprie sacerdotes agnoscunt; Lutherani hos et illos retinent; Angli regem vel etiam reginam caput Ecclesiæ faciunt, et plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ illi tribuunt; quidam ex illis admittunt presbyteros et episcopos; alii solos presbyteros: alii nullam hierarchiam agnoscunt, etc. Ergo 2^o.

3^o *Non habent unitatem juris,* nec quoad doctrinam, cum examen privatum, palmare eorum principium, sectas e contra in infinitum multiplicare debeat: nec quoad regimen; qua enim ratione a regimine Ecclesiæ Romanæ se separaverunt, a se invicem se separare possunt: hinc innumerae nate sunt sectæ, tam regimine quam doctrina diversæ. Ergo 3^o, etc. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Protestantes non habent sanctitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.

Prob. Illa societas merito judicatur non sancta, cujus doctrina non est sancta, morum principia non ducunt ad sanctitatem et auctores non sunt sancti: atqui doctrina protestantium non est sancta, principia morum apud eos accepta non ducunt ad sanctitatem, et eorum auctores non fuerunt sancti.

1^o *Eorum doctrina non est sancta.* Nam doctrina falsa non potest esse sancta: atqui doctrina protestantium multis in punctis est falsa, cum in multis sibi contradicant: ergo 1^o.

2^o *Morum principia apud eos recepta non ducunt ad sanctitatem.* Tenent enim protestantes justitiam in electis amitti non posse, cum criminibus horrendis esse compatibilem, bona opera ad salutem non esse necessaria, sola incredulitate hominem damnari posse; dicunt leges, sive ecclesiasticas, sive civiles, conscientiam non ligare; affirmat Calvinus hominem a Deo necessitari ad peccatum: illa morum principia, nedum ad sanctitatem ducant, latissimam aperiunt viam cunctis cupiditatibus. Vide *l'Histoire des variations*, l. 14, n. 38 et seq. Ergo 2^o.

3^o *Primi reformatores non fuerunt sancti.* Præcipui enim protestantium auctores fuerunt Lutherus, *Charlstadt*, *Zwingli*, Calvinus, Theodorus de Bèze, Melancthon, *Æcolampadius*, *Ochin*, etc., qui fere omnes erant sacerdotes aut monachi apostate, superbia tumentes, se invicem conviciis impetentes, regulas abstinentiæ et jejunii subvertentes, legem cælibatus contemnentes, scandalosa et sacrilega matrimonia celebrantes, etc. Porro tales auctores haberi non possunt ut sancti. Et revera, si audiantur testimonia quæ alii de aliis in scriptis suis reddiderunt, comperietur illos se invicem non æstimasse ut sanctos. Vide solidum opus Gallicum dictum *Discussion amicale*, t. 1. Ergo 3^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Et vero, sanctitas alicujus societatis præcipue per miracula demonstratur: at protestantes nulla in sui gratiam afferunt miracula apud ipsos peracta: miracula enim in sinu Ecclesiæ Romanæ patrata, antequam ab illa separarentur, in gratiam sui vindicare nequeunt, siquidem corpus distinctum tunc non constituabant. Ergo.

DIRECCIÓN GENERAL DE BARRIO DE SAN JUAN DE LOS RIOS
 PROPOSITIO TERTIA.

Protestantes non habent catholicitatem veram Ecclesiæ promissam.

Prob. Duplici modo vera Ecclesia debet esse catholica, ex dictis, videlicet ratione temporum et ratione locorum: atqui 1^o protestantes non habent catholicitatem *ratione temporum*; manifestum est enim eos non exstis-
 UNIVERSIDAD DE MADRID

initium decimi sexti sæculi, quo tempore Lutherus, Calvinus aliique novatores adversus Ecclesiam insurrexerunt, dogmata sua divulgare cœperunt, prout ipsis placebat, omne jugum auctoritatis excusserunt, nulli Ecclesiæ tunc existenti adhaerunt, sed novas societates secundum regulas arbitrarias vel potius absque regulis instituerunt.

Hæc protestantium origo, omnibus notissima, a nemine in dubium revocari potest; frustra eorum defensores insudaverunt ut illis invenirent antecessores; assignaverunt Hussitas, Wiclefitas, Valdenses, Albigenes, Berengarios, Manichæos, etc. At impuræ illæ sectæ nec nobiliorem habuerunt originem, nec legitimum acceperunt ministerium, nec proinde illud transmittere potuerunt. Vide *Bossuet, Hist. des variations*, lib. 11, et præsertim n. 207 ejusdem libri. Ergo 1^o constat protestantes non habere catholicitatem ratione temporum.

2^o *Nec eam habent ratione locorum.* Ad hoc enim requireretur ut eorum societas per magnam orbis partem extenderetur ceterasque societates Christianas diffusionem vinceret: atqui protestantes talem non habent præstantiam super alias societates Christianas, nec eam ausi sunt sibi etiam collective sumptis tribuere; systema articulorum fundamentalium et non fundamentalium excogitaverunt, et Catholicos, Græcos aliasque sectas Orientales sibi adjunxerunt, ut catholicitatem Ecclesiæ Christi necessariam invenirent.

Porro talis societatum diversarum aggregatio veram Ecclesiam constituere non potest, *ut probavimus*. Imo, cum unitas non minus sit essentialis Ecclesiæ Christi quam catholicitas, requireretur ut una societas protestantium hanc universitatem obtineret: porro nulla ex societatibus protestantium tale privilegium sibi arrogare potest, siquidem omnes simul spectatæ illud non habent: ergo 2^o. Aliunde, etc. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Protestantes Apostolicitatem Ecclesie Christi essentialem non habent.

Prob. 1º. Non Apostolicitatem doctrinæ. Nam 1º multa sibi contradictoria docent, proindeque falsa: Apostoli autem non docuerunt falsa. 2º Multos renovant errores jam pluries in antiquis hæreticis et schismaticis proscriptos, v. g. vanam esse orationem pro defunctis, nullam admittendam distinctionem inter presbyteratum et episcopatum; imagines venerari, sanctos orare, sacram Eucharistiam adorare non licere, etc. 3º Nulla ratione ostendere possunt se doctrinam quam docent integram accepisse ab aliqua societate ante eos existente, cum e contra constet eos plures sumpsisse articulos ex diversis antiquis sectis, alios excogitavisse, mutavisse, reformavisse, etc. Porro absurdum est dicere talem doctrinam esse Apostolicam: ergo 1º.

2º *Non habent Apostolicitatem ministerii.* Hanc enim Apostolicitatem sibi attribuere nequeunt, nisi habeant pastores legitima successione per seriem non interruptam ab Apostolis descendentes; at hujusmodi seriem pastorum sibi vindicare non possunt: tunc enim eorum fundatores missionem suam accepissent ab Ecclesia Romana, vel ab alia secta; at neutrum dici potest: 1º non ab Ecclesia Romana quæ eos e sinu suo rejecit et anathematizavit; 2º non ab alia secta, siquidem nulli sectæ tunc existenti adhæserunt. Ergo non habent pastores qui legitima successione ab Apostolis descendant. Ergo 2º.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º cum Claude, Défense de la Réf. 4º part. et Jurieu, Vrai système de l'Eglise, liv. 3, c. 1 et 20. Sola electio populi essentialis est ad constituendos legitimos ministros: ergo non necesse est ut primi reformatores missionem ab Ecclesia Romana aut ab altera secta acceperint.

R. Nego antecedens. Illud enim systema admitti non

potest quod nullo nititur fundamento, Scripturæ sacræ et constanti traditioni adversatur: atqui systema *Claude* et *Jurieu* his vitiis laborat.

1º *Nulla nititur fundamento.* Illi namque celebres Reformationis ministri hoc unico nituntur fundamento, scilicet, omnem societatem habere jus sibi constituendi ministros. 1º Illud principium minime est certum; est enim famosissimum de suprema auctoritate populi principium, contra quod tot sunt homines et rationes. 2º Etiam si societas haberet jus sibi constituendi gubernatores in rebus civilibus, non inde sequeretur Ecclesiam legitimos sibi constituere posse ministros; Ecclesia enim non elegit Christum, sed Christus eam elegit, instituit et ornavit: semper est ipse auctor et moderator: illam regit, et gubernat per ministros qui metaphorice dicuntur pastores, quia populum pascunt: non sunt ergo præcise ministri Ecclesie, sed ministri Christi in Ecclesia et pro Ecclesia: at repugnat populum hujusmodi ministros constituere posse; apprimè enim intelligimus eos instituendos esse secundum ordinem a Christo statutum, sicut ministri regis a rege vel juxta ordinem a rege determinatum eligi debent, et non aliter. Ergo, etc. 3º Necesse foret ut aliquis proferretur Scripturæ textus quo expresse declararetur solam populi electionem ad constituendos ministros essentialem esse; nam protestantes nihil admittere volunt nisi quod est in Scriptura sacræ: atqui nullus profertur hujusmodi Scripturæ textus: ergo 1º.

2º *Illud systema Scripturæ adversatur.* Nam ubi de constituendis ministris agitur, manus ab Apostolis aut ab eorum successoribus semper illis imponuntur. Fideles concurrerunt quidem ad electionem septem primorum diaconorum; sed Apostoli, impositis illis manibus, constituerunt eos super opus viduarum, Act. vi. Mathias per sortem cum oratione fuit designatus, non vero a populo electus, ut *Claude* male affirmat. Alia jam memoravimus facta quibus ex Scriptura constat populum ministros sibi non constituere. Ergo 2º.

3º *Traditioni adversatur.* Constanti enim traditione pa-

tet ministros Ecclesie nunquam, ante Calvinistas, constitutos fuisse sine ordinatione ab episcopo collata, ut videre est apud Patres et in toto historiae ecclesiasticae decursu. Facta hujusmodi adeo sunt clara, ut protestantes ea negare nequeant: ergo 3°, etc. aliunde, etc. Ergo.

Obj. 2°. Primi reformatores missionem substantialiter legitimam acceperant apud catholicos, et extraordinarie a Deo suscitati sunt, ut Ecclesiam multis erroribus sædatam in pristinum statum restituerent: ergo habuerunt missionem partim ordinariam, partim extraordinariam. Ita jam citati *Claude et Jurieu*.

R. 1°. Nihil magis idoneum est ad falsitatem systematis adversariorum cunctis oculis patefaciendam, quam perpetua quæ inter eos conspicitur fluctuatio et incertitudo. Modo dicunt solam populi electionem esse necessariam, et primos reformatores sic legitime constitutos fuisse: modo ordinariam in eis requirunt missionem, modo extraordinariam, modo utramque simul affirmant, negant, admittunt, rejiciunt, et nullam proferunt rationem firmam qua singulares opiniones suas fulciant. Ergo.

R. 2°. *Nego consequ.* et dico primos reformatores neque ordinariam neque extraordinariam habuisse missionem. 1° *Non ordinariam.* Nam si Ecclesia Romana ordinariam illis contulisset missionem, eam ipsis auferre potuisset, et de facto abstulisset, siquidem illos indignanter rejecit et anathemate percussit. 2° *Non extraordinariam.* Non sufficit enim dicere tales aut tales homines extraordinarie a Deo missos fuisse, alioquin latissima cunctis impostoribus aperiretur via: sed requiritur ut talis missio signis evidenter divinis manifestetur: atqui nulla hujusmodi signa subministrant protestantes, ut extraordinariam missionem primorum reformationum demonstrent. Singulares quidem eorum qualitates allegat *D. Claude*, scilicet fortitudinem, audaciam, amorem studii, eruditionem, artem persuadendi et populos ad reformationem adducendi: at quis impostor, sufficienti audacia præditus, similia argumenta missionis suæ exhibere non posset? Ergo. Vide *Nicole, les Préjugés légitimes*, etc. c. 5 et 6.

PROPOSITIO QUINTA.

Protestantes vere sunt schismatici.

Prob. Nam 1° vel sunt schismatici, vel sunt vera Ecclesia: atqui non sunt vera Ecclesia; si enim unica ex *notis* requisitis carerent, eo ipso pronuntiandum foret illos veram non constituere Ecclesiam: atqui, *ex probatis*, non unica, sed omnibus *notis* ad veram Ecclesiam requisitis carent: ergo.

2° Schisma præcipue locum habet quando solvitur vinculum subjectionis pastoribus legitimis: atqui vinculum subjectionis pastoribus legitimis solverunt protestantes, siquidem novum et illegitimum sibi constituerunt ministerium.

3° Qui a vera Ecclesia separantur, eo ipso fiunt schismatici: atqui protestantes a vera Ecclesia separati sunt; nam, ipsis fatentibus, vera Ecclesia et legitimum ejus ministerium erant in Ecclesia Romana tempore Lutheri et Calvini. Vel ergo illam reliquerunt, vel secum asportaverunt, ut ait minister *Claude* in colloquio cum *Bossuet*: posterius admitti non potest; omnes enim hæretici pariter dicere possent se a vera Ecclesia non recessisse, sed eam secum asportasse. Aliunde, fatentur Calvinistæ Ecclesiam Romanam adhuc continere ea quæ ad salutem sunt necessaria, scilicet ministerium substantialiter legitimum, doctrinam veram quoad substantiam; admittunt Lutheranos, Anglos sacramentarios, Græcos, etc., ad veram Ecclesiam pertinere. At omnes illæ sectæ, in multis sibi oppositæ, veram Ecclesiam secum asportare non potuerunt: ergo absurda est illa responsio. Restat ut protestantes a vera Ecclesia se separaverint: ergo vere sunt schismatici. Plures aliæ et evidentes afferri possent rationes ad eandem veritatem confirmandam. Vide opus *D. Nicole, les prétendus Réformés convaincus de schisme*, c. 1, 2, 3, et alterum jam citatum, *les Préjugés légitimes*, etc. c. 7, 8 et 9.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Protestantes non sunt schismatici, si legitimam

habuerint causam ab Ecclesia Romana se separandi : atqui legitimam habuerunt causam, etc. Ergo.

R. Nego min. Nam in societate Romana tunc erat vera Christi Ecclesia, ut ipsi fatentur : at nulla existere potest causa legitima a vera Ecclesia se separandi et vinculum unitatis frangendi. Ecclesia quippe Christi essentialiter una est, ut probavimus, et extra illam nulla est salus : unde S. Aug. 1. 2 contra Epist. Parmeniani, c. 11, dicit : « Præscindendæ unitatis nulla est justa necessitas. » Ergo.

Inst. Tempore reformationis, Ecclesia Romana plena erat corruptela, erroribus et idololatria : ergo non solum licitum, sed necesse erat ab illa recedere. Ita Claude et Jurieu.

R. 1º. Neg. ant. Alibi enim probabimus doctrinam Ecclesiæ Romanæ semper fuisse puram, sanctam et ab omni erroris labe alienam ; non negamus tamen frequentem existisse morum corruptelam in ipsius membris, et usque in sanctuario : at nunquam Ecclesia hanc morum corruptelam docuit aut approbavit ; illam e contra semper condemnavit, reprobavit et prohibuit. Ergo.

R. 2º. Nego conseq. Nam 1º ante omnia necesse fuisset ut errores et abusus definiti, condemnati et proscripti fuissent per legitimum iudicium : res autem non ita evenit ; sed quidam monachi apostatæ et nonnulli sacerdotes superbia tumentes, ambitiosi, omnis jugi impatientes, cum eis opifices, rustici, mulieres, pueri, etc., conelamarunt Ecclesiam Romanam esse collapsam, ideoque referendam ; statim prædicaverunt audacter virginitatem esse *chimæram*, cælibatum contra naturam, vota castitatis nulla, matrimonium licitum religiosis, monialibus et sacerdotibus, leges abstinentiæ et jejunii injustas et tyrannicas, confessionem auricularem superstitionem, solam fidem justificare, bona opera ad salutem non necessaria, etc. Quis autem, a præjudiciis expeditus, bona fide existimabit tale iudicium esse legitimum, et iudicio papæ, cardinalium, episcoporum, abbatum, doctorum totiusque Ecclesiæ Romanæ anteponendum ?

2º Vel Ecclesia Romana desierat esse vera Christi Ec-

clesia, vel non : si prius, frustra protestantes ab illa se separaverunt, veram Christi Ecclesiam de novo instaurare non potuerunt. Sicut enim membrum a corpore mortuo separatam reviviscere nequit, ita nec membra ab Ecclesia mortua sejuncta, nisi societati viventi adhæreant : atqui protestantes, ab Ecclesia Romana exeuntes, aliæ societati viventi non adhæserunt : ergo. Si posterius, id est, si Ecclesia Romana vera adhuc erat Ecclesia, ab ea protestantes se separare non potuerunt, sub prætextu quod errores et abusus in ea prævaluissent : potius reformationem ejus procurare aut a Deo postulare debuissent. Quamvis Judæi sæpe in gravissima prolapsi sint peccata, in errores et in idololatriam, nunquam ab eorum communione sejuncti sunt Prophetæ et sanctissimi viri tunc existentes, nunquam arbitrati sunt se habere potestatem reformandi ministerium et novam instituendi societatem religiosam.

Protestantium societates communionem inter se conservant, licet habeant confessiones fidei valde diversas ; Calvinistæ communicant cum Lutheranis quos habent ut idololatrias ; dicunt se vinculum unitatis cum societatibus Orientalibus semper servasse : at societates orientales credunt omnia dogmata quæ a protestantibus nobis exprobrantur, scilicet præsentiam realem, invocationem sanctorum, cultum imaginum, etc. Non ex persuasione igitur, sed ex invidia ab Ecclesia Romana se separaverunt, et nullis principiis a schismatis reatu se defendere possunt.

Inst. 2º. Non seipsos ab Ecclesia Romana separaverunt, sed ab illa fuerunt excommunicati et rejecti : ergo separatio ista ipsis imputari non potest.

R. 1º. Altare contra altare jam exererant antequam excommunicarentur ; Lutherus enim cæperat nova dogmata prædicare anno 1517 ; Leo X pluries eum admonuit, sed videns se nihil proficere, illum contumacem excommunicavit anno 1520. Concilium Tridentinum, quod anno 1545 celebrari incœpit, plurima decrevit quidem anathemata contra omnes protestantes ; sed diversas jam formarant sectas ab Ecclesia Romana separatas. Tandem in sinu Ecclesiæ non remansissent, etiamsi ab illa excommu-

nicati non fuissent, ut confessus est *Claude* in colloquio cum *Bossuet*: ergo sub illo prætextu se excusare nequeunt.

R. 2º. *Nego conseq.* Nam 1º eadem ratione Ariani alique hæretici a schismatis crimine se purgare potuissent, dicendo se excommunicatos fuisse, et separationem ab Ecclesia Romana ipsis imputandam non esse; non excommunicantur enim nisi rebelles: ergo eorum separatio ipsis imputanda est. 2º Etiam si per errorem aut abusum quidam excommunicarentur innocentes, non idcirco jus haberent privatas instituendi ecclesias, sed *hanc injuriam patientissime pro Ecclesiæ pace* sufferre deberent, ait S. Aug. de vera religione, nº 11, *neque ullas novitates schismatis vel hæresis* moliri, et sic coronam in occulto a Patre cœlesti mererentur accipere. Unde iterum, *Præscindende unitatis nulla est justa necessitas.* Ergo.

PROPOSITIO SEXTA.

Non tantum schismatici, sed hæretici sunt protestantes.

Prob. Illi enim sunt hæretici qui dogmata revelata pertinaciter negant, vel nova admittunt ut revelata quæ revelata non sunt: atqui protestantes plurima rejiciunt dogmata revelata, vel nova admittunt ut revelata quæ, etsi quidem in multis sibi contradicunt. Iusuper societas protestantium non est vera Ecclesia, ut probavimus: ergo necesse est ut altera existat societas Christiana quæ sit vera Ecclesia. At nulla est societas Christiana quæ eandem profiteatur doctrinam ac protestantes: ergo protestantes sunt hæretici.

ARTICULUS SECUNDUS.

UTRUM ECCLESIA GRÆCA SIT VERA ECCLESIA.

Per Ecclesiam Græcam illæ intelliguntur Ecclesiæ Orientales quæ schismati a Photio incepto, versus finem noni sæculi, et a Michaelæ Cerulario in medio undecimi sæculi consummato, adhæserunt. Disparsæ sunt in regionibus olim imperio Græco seu Constantinopolitano subjectis, et in Moscovia seu Russia. Quatuor agnoscunt patriarchas,

scilicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum et Jerosolymitanum. Ecclesia Constantinopolitana Moscovitas ad fidem adduxerat ante schisma, et aliquam in eos semper servaverat auctoritatem usque ad decimum septimum sæculum. Moscovitæ habebant patriarcham in urbe *Novogorod*, qui confirmatione patriarchæ Constantinopolitani indigebat. Hæc confirmationis necessitas primo suppressa est; deinde Petrus Magnus, initio decimi octavi sæculi, dignitatem patriarchalem abolevit, et quamdam synodum ecclesiasticam ab ipso pendentem instituit, ad omnes causas spirituales definiendas. *Quibus notatis*, sit unica

PROPOSITIO.

Ecclesia Græca non est vera Christi Ecclesia.

Prob. Societas quæ vel una caret *nota* ad veram Ecclesiam requisita, dici non potest vera Ecclesia: atqui Ecclesia Græca non una tantum, sed omnibus caret *notis* veræ Ecclesiæ necessariis.

1º *Non habet unitatem requisitam.* Hæc enim unitas est doctrinæ, regiminis et juris: verum hanc triplicem unitatem non habet Ecclesia Græca. 1º *Non unitatem doctrinæ;* nam archiepiscopus *Zwer*, anno 1805 vita functus, in opere Latino auctoritate sacræ synodi edito, testatur plurimos ex clero Græco in Russia ad disciplinam Calvinianam inclinare; vocat Calvinum magnum virum, libros Calvinistarum laudat, auctoritatem eorum in testimonium fidei Moscovitarum invocat. Alia ejus generis testimonia legi possunt apud D. *de Maistre*, *du Pape*, t. 2. Præterea, Ecclesia Græca plurimis in punctis doctrinam suam mutavit: sic olim primatum summi pontificis admittebat, Spiritum sanctum a Filio procedere credebat, *ut alibi probatur*; nunc autem hæc dogmata rejicit: non habet igitur unitatem doctrinæ perpetuam, quod tamen necessarium esset. Ergo 1º.

2º *Non habet unitatem ministerii.* Nam quatuor patriarchæ a se invicem sunt independentes, et præsertim Ecclesia Moscovitarum ab aliis Ecclesiis minime pendet: ergo dici non potest Ecclesiam Græcam collectivè sumptam,

esse unam sicut ovile sub uno pastore, regnum sub uno rege, domum sub uno patre-familias, etc. Aliunde, unitas ministerii debet esse perpetua : atqui Ecclesia Græca talem unitatem sibi vindicare non potest; certum est enim illam tempore Photii et Michaelis Cerularii ab Ecclesia Romana discessisse, et quidem sine legitima causa, cum Græci non postulaverint a catholicis ut aliquid in fide aut in disciplina sua mutarent, quando tentata est unio inter utramque Ecclesiam. Ergo 2^o.

3^o *Multo minus habet unitatem juris.* Hæc enim unitas supponit auctoritatem supremam et infallibilem : talis autem auctoritas esset alicujus patriarchæ, vel concilii generalis : at neutrum dici potest. Non prius, cum patriarchæ sint independentes. Non magis posterius; nam quis concilium generale convocare posset? quis ei præesse deberet? quis executionem illius premendi facultatem haberet? Hodierni Græci contendunt, ait D. de Maistre, t. 2, septem tantum possibilem fuisse concilia generalia, omnia ante ipsorum separationem celebrata. Ergo 3^o, etc. aliunde, etc. Ergo, etc.

II^o *Probabiliter non habet sanctitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.* Hæc sanctitas per miracula præsertim demonstranda est : at nullis miraculis demonstrare possent Græci se hanc habere sanctitatem. Cum enim a tempore separationis vera existant miracula in Ecclesia Latina, ut infra dicemus, miracula Græcorum deberent esse numerosiora aut splendidiora, juxta regulam quam in Tractatu de Vera Religione exposuimus : atqui nulla hujusmodi apud eos celebrantur miracula ab initio schismatis patrata. Insuper hæc sanctitas exterius non fuit manifestata in primis illius Ecclesiæ fundatoribus, nec in Photio, nec in Michaele Cerulario; omnibus enim notum est lugendam hanc separationem causam habuisse immoderatam ambitionem patriarcharum, qui titulum patriarchæ œcumenici usurpabant. Nulli memorantur viri apud Græcos sanctitate et zelo conversionis animarum conspicui, qui sanctissimis viris nostris comparari possint. Ergo 2^o.

III^o *Non habet catholicitatem.* Catholicitas enim veræ Ecclesiæ Christi essentialis, est diffusio in magnam orbis partem, et præstantia supra omnes alias societates Christianas. Porro Ecclesia Græca hanc certe non habet diffusionem per orbem, et præstantiam super Ecclesiam Romanam : ergo 3^o non habet, etc.

IV^o *Non habet Apostolicitatem veræ Ecclesiæ necessariam.* Illa enim Ecclesia non habet Apostolicitatem veræ Ecclesiæ necessariam, quæ manifesta præ se fert mutationis indicia : at Ecclesia Græca manifesta præ se fert mutationis indicia; negari enim non potest illam per multa sæcula Ecclesiæ Romanæ fuisse subjectam. Ab illa autem recessit, deinde bis utriusque Ecclesiæ coadunatio fuit non solum tentata, sed conventa et perfecta, in concilio Lugdunensi secundo, anno 1274, et in concilio Florentino, anno 1438 : bis Græci ab hac unione iterum discesserunt. Certum est episcopum Byzantinum nullam olim suprematiam habuisse, et ad patriarchalem dignitatem evertum, non nisi post tres Orientis patriarchas, nempe Antiochenum, Alexandrinum et Hierosolymitanum, sedisse : ergo, etc. Ergo 4^o, etc. aliunde, etc. Ergo Ecclesia Græca non est vera Ecclesia, sed ad minus schismatica.

A fortiori aliæ sectæ Orientales, ut Nestoriani, Eutychiiani, Jacobite, cophitæ, etc., non sunt vera Ecclesia. Nam Ecclesia Græca singulis illis sectis multo præstat, et tamen non habet *notas* ad veram Ecclesiam requisitas. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

UTRUM ECCLESIA ROMANA SIT VERA CHRISTI ECCLESIA.

Ex dictis jam concludi potest Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam. Certum est enim veram Ecclesiam existere : probavimus præcipuas societates Christianas ab Ecclesia Romana separatas carere *notis* veræ Ecclesiæ necessariis : restat ergo ut Ecclesia Romana sit vera Ecclesia. Ad majorem veritatis illustrationem, et ad animos etiam rebeliores convincendos, ostensuri sumus illam omnes *notas* veræ Ecclesiæ necessarias habere.

esse unam sicut ovile sub uno pastore, regnum sub uno rege, domum sub uno patre-familias, etc. Aliunde, unitas ministerii debet esse perpetua : atqui Ecclesia Græca talem unitatem sibi vindicare non potest; certum est enim illam tempore Photii et Michaelis Cerularii ab Ecclesia Romana discessisse, et quidem sine legitima causa, cum Græci non postulaverint a catholicis ut aliquid in fide aut in disciplina sua mutarent, quando tentata est unio inter utramque Ecclesiam. Ergo 2^o.

3^o *Multo minus habet unitatem juris.* Hæc enim unitas supponit auctoritatem supremam et infallibilem : talis autem auctoritas esset alicujus patriarchæ, vel concilii generalis : at neutrum dici potest. Non prius, cum patriarchæ sint independentes. Non magis posterius; nam quis concilium generale convocare posset? quis ei præesse deberet? quis executionem illius premendi facultatem haberet? Hodierni Græci contendunt, ait D. de Maistre, t. 2, septem tantum possibilem fuisse concilia generalia, omnia ante ipsorum separationem celebrata. Ergo 3^o, etc. aliunde, etc. Ergo, etc.

II^o *Probabiliter non habet sanctitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.* Hæc sanctitas per miracula præsertim demonstranda est : at nullis miraculis demonstrare possent Græci se hanc habere sanctitatem. Cum enim a tempore separationis vera existant miracula in Ecclesia Latina, ut infra dicemus, miracula Græcorum deberent esse numerosiora aut splendidiora, juxta regulam quam in Tractatu de Vera Religione exposuimus : atqui nulla hujusmodi apud eos celebrantur miracula ab initio schismatis patrata. Insuper hæc sanctitas exterius non fuit manifestata in primis illius Ecclesiæ fundatoribus, nec in Photio, nec in Michaele Cerulario; omnibus enim notum est lugendam hanc separationem causam habuisse immoderatam ambitionem patriarcharum, qui titulum patriarchæ œcumenici usurpabant. Nulli memorantur viri apud Græcos sanctitate et zelo conversionis animarum conspicui, qui sanctissimis viris nostris comparari possint. Ergo 2^o.

III^o *Non habet catholicitatem.* Catholicitas enim veræ Ecclesiæ Christi essentialis, est diffusio in magnam orbis partem, et præstantia supra omnes alias societates Christianas. Porro Ecclesia Græca hanc certe non habet diffusionem per orbem, et præstantiam super Ecclesiam Romanam : ergo 3^o non habet, etc.

IV^o *Non habet Apostolicitatem veræ Ecclesiæ necessariam.* Illa enim Ecclesia non habet Apostolicitatem veræ Ecclesiæ necessariam, quæ manifesta præ se fert mutationis indicia : at Ecclesia Græca manifesta præ se fert mutationis indicia; negari enim non potest illam per multa sæcula Ecclesiæ Romanæ fuisse subjectam. Ab illa autem recessit, deinde bis utriusque Ecclesiæ coadunatio fuit non solum tentata, sed conventa et perfecta, in concilio Lugdunensi secundo, anno 1274, et in concilio Florentino, anno 1438 : bis Græci ab hac unione iterum discesserunt. Certum est episcopum Byzantinum nullam olim suprematiam habuisse, et ad patriarchalem dignitatem evertum, non nisi post tres Orientis patriarchas, nempe Antiochenum, Alexandrinum et Hierosolymitanum, sedisse : ergo, etc. Ergo 4^o, etc. aliunde, etc. Ergo Ecclesia Græca non est vera Ecclesia, sed ad minus schismaticæ.

A fortiori aliæ sectæ Orientales, ut Nestoriani, Eutychiæni, Jacobite, cophitæ, etc., non sunt vera Ecclesia. Nam Ecclesia Græca singulis illis sectis multo præstat, et tamen non habet *notas* ad veram Ecclesiam requisitas. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

UTRUM ECCLESIA ROMANA SIT VERA CHRISTI ECCLESIA.

Ex dictis jam concludi potest Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam. Certum est enim veram Ecclesiam existere : probavimus præcipuas societates Christianas ab Ecclesia Romana separatas carere *notis* veræ Ecclesiæ necessariis : restat ergo ut Ecclesia Romana sit vera Ecclesia. Ad majorem veritatis illustrationem, et ad animos etiam rebeliores convincendos, ostensuri sumus illam omnes *notas* veræ Ecclesiæ necessarias habere.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia Romana habet unitatem veræ Ecclesiæ necessariam.

Prob. Unitas veræ Ecclesiæ necessaria, est unitas doctrinæ, unitas regiminis et unitas juris : atqui Ecclesia Romana triplicem hanc unitatem habet.

1^o *Unitatem doctrinæ.* Quicumque enim vel unum fidei articulum negat, eo ipso ab illa separatur, et velut hæreticus habetur : non datur locus examini vel disputationi ; docti et indocti eidem definitioni semel emissæ ex animo adherere tenentur, sub pœna anathematis : ergo impossibile est unitatem fidei inter eos non servari. Ergo 1^o.

2^o *Habet unitatem regiminis.* Nam inter pastores ejus artissima existit communio, et quicumque eam frangit, tanquam schismaticus e sinu ejus præciditur, et extra viam salutis errare putatur. Ergo 2^o.

3^o *Habet unitatem juris.* Illa enim unitas requirit principium inconcussum quo unitas doctrinæ et ministerii infallibiliter servetur : atqui Ecclesia Romana tale habet principium, siquidem agnoscit tribunal infallibile cui omnes docti et indocti exterius et interius submitti debent. Illud autem tribunal, ex omnium confesso, est saltem in corpore episcoporum capiti suo junctorum. Ergo 3^o.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Plurimi inter catholicos contendunt, 1^o corpus episcoporum summo Pontifici præstare, dum alii tenent summum Pontificem esse concilio superiore. 2^o Alii auctoritatem conciliorum Constantiensis et Basileensis venerantur ; alii e contra eam rejiciunt : ergo non habent principium ex quo unitas necessario sequatur.

R. Nego conseq. Nam 1^o fieri potest ut major episcoporum numerus in re aliqua definienda summo Pontifici consentiat, sive in concilio legitime coadunato, sive absque concilio ; at omnes catholici fatentur definitionem summi

Pontificis et episcoporum in eo casu infallibilem esse, et cunctos obligare fideles. An autem summus Pontifex sit concilio superior, vel non, acriter inter theologos disputatur ; sed omnes fatentur hanc quæstionem ad fidem non pertinere. Ergo.

2^o Nullus catholicus negat concilium œcumenicum esse infallibile, sed multi dubitant utrum concilia Constantiense et Basileense sint œcumenica, saltem in iis sessionibus in quibus de summo Pontifice tractatum est : porro nemo non videt quod ista dubitatio principium unitatis non destruat : ergo.

Obj. 2^o. Ecclesia Romana multos in sinu suo patitur homines qui tenent dogmata fidei opposita ; imo inter sanctos cultu publico honorandos, nonnulli reperiuntur viri qui docuerunt hæreses, v. g. S. Cyprianus, etc. Ergo.

R. 1^o. *Dist. ant. quoad primam partem.* Ecclesia multos in sinu suo patitur homines, etc., id est, eorum personas tolerat, *conc.* ; id est, eorum errores approbat, *nego ant.* Equidem non semper Ecclesia sævit contra hæreticos, eos anathemate percutiendo et de sinu suo expellendo ; nonnunquam eorum personas prudenter tolerat, tum quia illi fraudulenter errores suos velant, tum quia severitas magis noecitura prævidetur quam prudens tolerantia : sed nego Ecclesiam Romanam errores contra fidem positive approbare ; semper enim confessiones fidei absque ulla ambiguitate proposuit, semper docuit ne unam quidem veritatem revelatam negari posse absque dispendio salutis. Ergo.

2^o *Dist. secundam partem ant.* Illi viri inter sanctos numerati, docuerunt hæreses materiales, *concedo* ; docuerunt errores formales atque in hæresi mortui sunt, *nego ant.* Itaque nonnulli sunt inter sanctos cultu publico honoratos, qui materiales docuerunt hæreses, non vero errores formales, nec in hæresi proprie dicta mortui sunt : ad constituendam enim hæresim non sufficit adhæsiō errori, requiritur insuper pertinax rebellio adversus Ecclesiam docentem et præcipientem ; porro viri de quibus hic agitur non fuerunt rebelles adversus Ec-

clesiam; nam veritates quas impugnabant nondum ab Ecclesia fuerant definitæ. Ergo.

Obj. 3º. Catholici circa dogmata sibi proposita interrogati non eodem modo fidem suam explicant; ergo unitas doctrinæ apud eos est in verbis et non ideis.

R. Dist. ant. Non eodem modo fidem suam explicant quoad circumstantias aut modos, *conc.*; quoad substantiam, *neg. ant.* Etenim sola substantia dogmatis ab Ecclesia proposita, est objectum fidei: circumstantiæ vero accidentales et modi liberæ discussioni sub directione Ecclesiæ relinquuntur. Porro omnes eodem sensu admittunt dogmata definita. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ecclesia Romana vere est sancta.

Prob. miraculis, zelo propagationis et conversione errantium.

1º *Miraculis.* Negari enim non potest Ecclesiam Romanam esse sanctam, si series miraculorum vere divinatorum in ea semper extiterit, quia repugnat Deum miraculis societatem minime sanctam ita confirmare: at in Ecclesia Romana semper fuit series, etc. Protestantes enim, qui revelationi adhærent, tria priora sæcula libenter nobis concedunt, et fatentur nobiscum doctrinam Christi per tria hæc sæcula ope miraculorum fuisse propagatam: atqui non minus certa in sequentibus sæculis existunt miracula in sinu Ecclesiæ Romanæ peracta: habemus namque in quarto sæculo miracula S. Antonii apud S. Athanasium, miracula S. Martini apud Sulpicium Severum; in quinto sæculo, testatur S. August. l. 22 de Civitate Dei, c. 8, se Mediolani et Carthagine propriis oculis plura conspexisse miracula; in septimo, octavo et nono sæculo, miracula in Historia Ecclesiastica *Fleury* consignata, quæ ad cultum sanctarum imaginum contra Iconoclastas commendandum peracta sunt, v. g. l. 43. n. 40; decimo sæculo, miracula in gratiam præsentis realis, apud S. Bernardum de vita S. Malachie; in undecimo et duodecimo sæculo, habemus mira-

cula ipsius S. Bernardi coram infinitis testibus patrata, ita ut in historia hujus sæculi nihil habeatur certius; demum in ultimis Ecclesiæ sæculis, multa in sinu Ecclesiæ Romanæ patrata sunt miracula a S. Francisco Xaverio, a S. Carolo Borromæo, a S. Francisco Salesio, a S. Vincentio a Paulo, etc. Atqui hæc miracula sunt certa; illa enim miracula ut certa haberi debent, quæ omnibus gaudent conditionibus quibus certissima historiæ facta constant: atqui talia sunt quæ modo retulimus miracula aliæque similia; sunt enim facta sensibilia, publica, omnibus obvia; a multis referuntur auctoribus fide dignissimis, qui sæpe fuerunt testes non tantum cœvi, sed oculati, qui adversarios in testimonium advocant; ad eorum fulgorem conversæ sunt gentes, in eorum memoriam publica erecta sunt monumenta; plurima ex illis strictissimo examini sedis Apostolicæ, quod ante solemnem sanctorum canonizationem fieri solet, subjecta sunt. Serio attendant protestantes, et fateri cogentur prædicta miracula esse certissima. Quidam ex ipsis, ut *Kæmpfer* et *Tavernier*, laudabiliter de miraculis S. Francisci Xaverii locuti sunt. Porro hæc miracula probant Ecclesiam Romanam esse sanctam; illa enim, præcipue quæ fiunt ad tumulos defunctorum, ostendunt evidenter eos esse sanctos, ac proinde sanctam esse Ecclesiam cui adhærebant. Ergo.

2º *Zelo propagationis.* Testatur enim historia Ecclesiastica Romanam Ecclesiam in cunctis ætatibus et ubique novos filios semper Christo peperisse. Sic variis temporibus ad Christum adduxit Anglos, Francos, Germanos, Suetas aliosque populos; sic vastissimas fundavit ecclesias in America, florentissimas creavit missiones fere in omnibus Asiæ regnis; multos semper habuit viros spiritu Apostolico repletos, qui per cunctas orbis partes fidem divinam sudoribus et immensis laboribus plantatam, sanguine suo confirmarunt: et, quod sane mirum est, ex omnibus sectis Christianis, sola Ecclesia Romana hunc zelum vere apostolicum indesinenter servavit. Hodierni protestantes catholicos imitari voluerunt; suas etiam habent missiones, et ingentes pecuniæ summas expendunt ut sacram Scripturam

in linguas vulgares conversam, per omnes gentes spargant; verum missionarii eorum zelum, pietatem, sui abnegationem aliasque virtutes heroicas quæ in missionariis catholicis relucent, nondum exhibuerunt, nec miracula unquam patrauerunt, nec Christianos doctrina recte imbutos, fide stabiles et opere perfectos genuerunt. Atqui Deus permittere non potest ut societas non sancta, schismatica, vel hæretica, sola jugiter impleat munus Evangelium prædicandi. Unde merito dici potest cum Hugone a S. Victore, l. de Trinitate: « Domine, si error est, a teipso decepti sumus; ista enim in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus quæ non nisi per te fieri possunt. » Ergo, etc.

3° *Conversione errantium.* Adeo quippe sancta et divina judicatur Ecclesia Romana, ut nonnulli homines qui rem maturiori examini subjiciunt, cupiditates refrenare intendunt, sanctius vivere cupiunt, et, in periculo constituti, salutem æternam diligentius inquirunt, ex aliis sectis quotidie ad eam confugiant: e contra, si paucos aliquoties ab Ecclesia Romana ad alias sectas confugere videamus, illi sunt, saltem ordinarie, qui mundi illecebris illecti, libidinibus subjecti, liberius vivere sibi proponunt, v. g. monachi disciplinæ impatientes, presbyteri uxorem ducere volentes, etc.; omnes igitur persuasum habent Ecclesiam Romanam cæteris societatibus Christianis sanctitate præcellere. Ergo, denique, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Multi errores in Ecclesia Romana docentur, multæ superstitiones in ea existunt. Ergo.

R. 1°. *Nego ant.* Nam 1° doctrina Ecclesiæ Romanæ nullam subiit mutationem et Apostolica est, ut infra probatur sumus. 2° In diversis theologiæ tractatibus ostenditur præfatas superstitiones toties a protestantibus nobis objectas, mera esse figmenta nullis rationibus innixa. Unde sic ratiocinamur adversus protestantes: Doctrina Ecclesiæ Romanæ non est evidenter falsa aut impia; in illius gratiam

vera existunt miracula nullis miraculis oppositis impugnata. Hæc igitur miracula veniunt a Deo, juxta regulam quam in Tractatu *de Vera Religione* dedimus: porro Deus miraculis confirmare non potest doctrinam quæ non est sancta. Ergo.

R. 2°. *Negari possunt consequens et consequentia.* Errores enim et superstitiones de quibus hic agitur, salutem non efficiunt, juxta protestantium principia: ergo non impediunt quin illa Ecclesia sit sancta.

Obj. 2°. Miracula superius allata forte mera sunt mendacia aut dæmonum præstigia; ergo non probant sanctam esse, etc.

R. Nego ant. Hæc enim miracula tam certo probantur quam facta historica, quam miracula Christi et Apostolorum: atqui protestantes non concedunt miracula Christi et Apostolorum fuisse mendacia aut dæmonum præstigia; contendunt, e contra, illorum ope, divinitatem religionis Christianæ clare demonstrari: ergo a pari.

Obj. 3°. Concilium Trid. sess. 25, de *Invocatione Sanctorum*, prohibuit ne nova deinceps admitterentur miracula, aut susciperentur sanctorum reliquiæ, nisi recognoscente et approbante episcopo: ergo ex una parte sanctitas Ecclesiæ per miracula astruitur et ex altera parte miracula per Ecclesiam probantur: sicque circulus vitiosus instituitur.

R. Nego consequ. Nullo modo enim concilium Trident. sibi proposuit adimere miraculis vim quam naturaliter habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur, sed præcavere voluit superstitiones, et impedire ne falsa miracula aut falsæ reliquiæ pro veris admitterentur: at talis agendi ratio est prudens et sapiens: ergo.

Præterea, fatemur Ecclesiam per miracula et miracula a per Ecclesiam probari posse, et tamen dicimus nullum tunc institui circulum vitiosum. Si enim auctoritas Ecclesiæ nobis probanda sit adversus incredulos, ope miraculorum illam demonstramus; si controversia nobis instituenda sit cum adversariis auctoritatem Ecclesiæ admittentibus, merito dicere possumus hæc aut illa miracula absque ullo

examine rejicienda esse præcise quia Ecclesie auctoritati adversantur, vel admittenda quia ut vera ab Ecclesia agnoscentur: porro concilium Trident. tulit decretum pro catholicis qui Ecclesie auctoritati adherent: ergo.

Eo sensu intelligendus esse videtur S. Aug. qui Donatistas mirabilia jactantes deridet, affirmatque, *lib. de Unitate Ecclesie*, c. 19, causam catholicorum et hæreticorum non ex miraculis, sed ex Scripturis esse dijudicandam; clare enim demonstrat ex Scripturis illos non esse veram Ecclesiam: ergo merito concludit eorum mirabilia esse mendacia vel dæmonum præstigia. Potuit etiam ab isto argumentandi genere consulto abstrahere, et illos schismaticos ex solis Scripturis quas admittebant confutare: inde non sequitur S. Aug. credidisse sanctitatem Ecclesie per miracula probari non posse.

Obj. 4^o. Narrat Socrates historicus, *lib. 7, c. 17*, quemdam Paulum episcopum Novatianum evidens miraculum patrasse: ergo miracula etiam ab hæreticis patrari possunt, ac proinde non probant sanctam esse Romanam Ecclesiam.

R. Nego conseq. Nam 1^o Socrates plurima refert facta quæ saltem dubia judicantur. 2^o Novatianis ordinarie nimis favet in historia sua. 3^o Etiam si verum esset miraculum quod refert, nobis non noceret; nam, juxta ipsius narrationem, Paulus miraculum illud operatus est coram Judæo qui baptisma Christi deridebat: in gratiam igitur religionis Christianæ, vel alicujus puncti illius doctrinæ, non autem in gratiam schismatis Novati peractum est prodigium istud: porro non repugnat Deum operari miracula in gratiam suæ religionis per hæreticos aliosve doctores, sicut veram edidit prophetiam per Balaam: ergo.

Obj. 5^o. Multo plures sunt peccatores in sinu Ecclesie Romanæ quam justi: ergo immerito dicitur sancta.

R. Nego conseq. Denominatio enim corporis moralis non deducitur ex majori numero, sed ex parte quæ dominatur et excellentior reputatur: sic civitas dicitur opulenta, quamvis pauperum numerus longe sit major;

sic homo dicitur vivere, licet plurima ipsius membra sint mortua: justi autem sunt pars nobilior Ecclesie: ergo propter illos Ecclesia merito dicitur sancta. Insuper vocatur sancta non tantum propter membra, sed ratione doctrinæ, ratione sacramentorum, ratione principii, ratione finis. Ergo.

Similiter, quamvis in ea sæpius plurimi exstiterint laxiores casuistæ, falsi doctores, pessimi pastores; quamvis non semel reformatione indigerit in capite et in membris, nihilominus semper fuit sancta; nam hæc tribuenda sunt privatis, non vero Ecclesie, quæ ea semper et detestata est et reformare statuit. Ergo denique, etc.

In novissimis temporibus multæ narratæ sunt extraordinariæ sanationes quæ a multis habentur ut miraculose. Non inficiamur eas causæ supernaturali tribuendas esse, sed nolumus eas ut vera miracula publicari, nisi prius, ad mentem S. concilii Tridentini, consensus episcopi post maturum examen accesserit.

PROPOSITIO TERTIA.

Ecclesia Romana est catholica.

Prob. Vera Ecclesia perpetuam et simultaneam habere debet catholicitatem: atqui hanc utramque catholicitatem habet Ecclesia Romana.

1^o *Perpetuam.* Qualibet enim ætate Ecclesia Romana adversarios suos debellavit, ostendendo diffusionem suam ex una parte, et paucitatem illorum ex altera parte: semper dicta est catholica, hoc est proprium ipsius nomen a nulla alia secta usurpatum, quo ipsi protestantes eam designant. Ergo 1^o.

2^o *Simultaneam* habet catholicitatem. Ad hoc enim sufficit ut per magnam orbis partem sit diffusa et cæteras societates Christianas diffusionem suam vincat: atqui hæc duo certa sunt.

1^o *Per magnam orbis partem diffusa est.* Dominatur enim in tota Italia, in Gallia, Hispania, Lusitania, Hun-

garia, Polonia, in media parte Germaniæ, Bohemiæ, Helvetiæ; septem ex octo habet partes (*sept millions sur huit*) in Hibernia, frequentes ecclesias in Anglia et Batavia, et innumeros fideles in cæteris Europæ partibus; in vastis Turcarum imperiis non paucae inveniuntur Ecclesiæ Romano Pontifici junctæ; immensas et numerosas habet dioceses in America (22,177,000 *catholiques*, dit M. de Humboldt, *Revue protest.* t. 1). In Asia usque ad imperium Sinense pervenit et multos ubique proselytas habet. Idem dicendum est de partibus Africae habitatis. Denique in cunctis regionibus, moraliter loquendo, nota est, ipsiusque existunt sequaces. Unde sic. Illa Ecclesia legitime dici potest ubique moraliter diffusa, cujus dominatio non minus extenditur quam olim dominatio Nabuchodonosor, Alexandri, Romanorum, etc.: atqui dominatio Ecclesiæ Romanæ non nimis extenditur, etc. Ergo.

2^o *Cunctas societates Christianas sua diffusionem vincit*; idque sub duplici respectu. Namque 1^o aliæ societates in varias sectas sunt divise; singillatim sumptæ, non multum diffunduntur: Romana vero Ecclesia est una, et tamen ingentem hanc habet diffusionem quam descripsimus. 2^o Sola Ecclesia Romana, inter universas societates Christianas, ubique diffunditur, ubique plures aut pauciores habet sequaces. 3^o Juxta D. de Humboldt, loco modo citato, in sola Europa 102,000,000 numerantur catholicorum, 52,000,000 tantum protestantium ex omnibus sectis, et 38,000,000 qui ritum Græcum sequuntur: ergo, etc. aliunde, etc. Ergo.

Idem probatur ex SS. Patribus quos supra retulimus ubi de catholicitate Ecclesiæ Christi: quando enim dicebant Ecclesiam Christi esse catholicam, de Ecclesia Romana loquebantur: igitur Ecclesia Romana tunc erat catholica. Atqui catholicitatem suam non amisit; nam, ex historia et ex præsentem religionis Christianæ statu, constat diffusionem Ecclesiæ Romanæ non fuisse immutatam; si enim aliquas regiones amisit, alias acquisivit, solaque inter sectas Christianas hoc privilegio gaudet, sci-

licet, quod ubique nota sit ac sectatores habeat: nullam societatem Christianam æque diffusam, æque splendidam, æque universalem ac Ecclesiam Romanam ostendere possunt hæretici. Ergo.

Notandum est infantes in omnibus sectis valide baptizatos et adultos, errori materialiter tantum adhærentes, ad Ecclesiam Romanam pertinere: porro in hac sola classe immensa est multitudo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Vix quinta pars orbis religionem Romanam profitetur: ergo Ecclesia Romana legitime dici non potest catholica.

R. Nego consequ. Nam, sicut jam diximus, Ecclesia Romana merito dicitur catholica, si eandem aut similem habeat extensionem ac habuerunt imperia Nabuchodonosor et Alexandri, cum hæc imperia dicta sint universalialia: atqui revera extensio Romanæ Ecclesiæ comparari potest imperiis Nabuchodonosor et Alexandri; imo, comparisonem facta, longe ea superat. Non solum enim in vastis regionibus dominatur, sed ubique nota est, ubique plus minusve fulget, ubique subditos habet, et sic ubique in animas vere dominatur. Et vero, non tam quærendus est numerus eorum qui religionem catholicam profitentur, quam spectanda ipsius diffusio; sicut enim sol lucere non cessat, quia multi oculos aperire nolunt, sic et vera religio Christi seu Ecclesia catholica non desinit esse universalis, quia multi eam ubique fulgentem agnoscere et profiteri renuunt. Ergo.

Obj. 2^o. Mahumetana religio magis diffusa est quam Ecclesia Romana: ergo catholicitas Ecclesiæ Christi debita, Ecclesiæ Romanæ non competit.

R. Nego ant. Mahumetani enim in varias dividuntur sectas, quæ seorsim sumptæ, non multum diffunduntur, et certe diffusionem Ecclesiæ Romanæ non superant; quinimo totus Mahumetismus simul coadunatus non est tam diffusus quam Ecclesia Romana; nam Ecclesia Romana sectatores habet in omnibus fere regionibus in

quibus Mahumetismus existit, ibique nota est, dum Mahumetismus penitus ignoratur in infinitis regionibus in quibus Ecclesia Romana fulget vel dominatur. Ergo.

R. 2^o. *Nego conseq.* Notarum enim veræ Ecclesiæ proprius finis non est illam a societatibus infidelium, sed ab aliis societatibus Christianis distinguere; in tractatu nostro præcedenti demonstravimus solam religionem Christianam esse veram: nulla nunc igitur instituenda est comparatio inter veram Ecclesiam et quamcumque religionem antichristianam. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Ecclesia Romana vere est Apostolica ratione doctrinæ.

Prob. Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ, si doctrinam Apostolorum integram retineat: atqui Ecclesia Romana, etc. Doctrinam enim Apostolorum integram retinet, si talis sit ejus constitutio, ut quælibet mutatio in ipsius doctrina fuerit impossibilis: atqui talis est constitutio Ecclesiæ Romanæ, ut, etc. Nam, ex ipsius constitutione, omnes questiones auctoritate traditionis dirimuntur, innumeri sunt episcopi circumquaque sparsi, ad custodiam illius doctrinæ vigilantes, ad traditionem semper attendentes, et nullam innovationem permittentes. *Nihil innovetur nisi quod traditum est*, aiebat S. Papa Stephanus ad B. Cyprianum. «Id verius» quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis.» Tert. adversus Marc. lib. 4, cap. 5. Nunc pariter hæc sunt principia quæ universim sequuntur episcopi: his autem positis, impossibile est aliquam fieri mutationem in doctrina Ecclesiæ.

Et vero, si qua hujusmodi mutatio serperet, vel modo sensibili, vel modo insensibili: atqui neutrum dici potest.

1^o *Non modo sensibili*, propter rationem jam expositam; aliunde, assignari posset articulus circa quem mutatio contigisset, quo tempore grassari cœpisset, ubinam primum obtinisset, quis illius auctor, quo nomine appellatus, qua patria oriundus, cujus instituti professor,

qua arte, qua audacia præditus, ut fidem antiquam corrumpere voluisset et potuisset: at tamen nihil horum invenitur nec a protestantibus citatur: ergo 1^o.

2^o *Non modo insensibili*. Nam tunc dicendum foret omnes fideles et eorum pastores, doctores et professores, prælatos regulares et seculares, per orbem terrarum, easdem admisisse innovationes in gravissimis fidei punctis, ea credidisse ut dogmata a quibus abhorrebant, ea pro quibus sanguinem fundere parati erant tanquam figmenta rejecisse; atque hæc tam unanimiter contigisse, ut nullus contra ea insurrexerit, nullus hos errores refellerit, nullus pastor gregem sibi commissum ab illis præcavendum monuerit, nullum concilium eos damnaverit, nullus apostata id objecerit; uno verbo, nullus exstiterit apud ecclesiasticos et laicos, doctos et indoctos, nobiles et plebeios, viros et mulieres, qui prioris doctrinæ memoriam retinuerit; nullus denique, in tota Ecclesia, qui hujusmodi mutationes adverterit. At nemo non videt quam talis suppositio sit absurda. Innumera enim exortæ sunt novitates ab Apostolis usque ad nos, et statim atque prodierunt, undique conclamatum est adversus eas. Novimus earum auctores, epocham, progressus, adversarios aliasque circumstantias. Quomodo ergo tanti momenti mutationes ita contingere potuissent, ut nulla reliquissent vestigia? Qui tanta fiducia eas objiciunt protestantes, similes sunt cæcis a nativitate qui de coloribus disserunt, vel sepulcri Christi custodibus, qui asserebant illum, se dormientibus, a discipulis fuisse sublatum. Ergo 2^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

PROPOSITIO QUINTA.

Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii.

Prob. Duæ requiruntur conditiones ut Ecclesia sit Apostolica ratione ministerii, scilicet, 1^o successio pastorum non interrupta, 2^o legitima missio; atqui illæ conditiones in Ecclesia Romana inveniuntur.

1^o *Successio pastorum non interrupta*. Nam, sicut S. Irenæus, Tertullianus, S. Aug., S. Optatus alique demon-

quibus Mahumetismus existit, ibique nota est, dum Mahumetismus penitus ignoratur in infinitis regionibus in quibus Ecclesia Romana fulget vel dominatur. Ergo.

R. 2^o. *Nego conseq.* Notarum enim veræ Ecclesiæ proprius finis non est illam a societatibus infidelium, sed ab aliis societatibus Christianis distinguere; in tractatu nostro præcedenti demonstravimus solam religionem Christianam esse veram: nulla nunc igitur instituenda est comparatio inter veram Ecclesiam et quamcumque religionem antichristianam. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Ecclesia Romana vere est Apostolica ratione doctrinæ.

Prob. Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ, si doctrinam Apostolorum integram retineat: atqui Ecclesia Romana, etc. Doctrinam enim Apostolorum integram retinet, si talis sit ejus constitutio, ut quælibet mutatio in ipsius doctrina fuerit impossibilis: atqui talis est constitutio Ecclesiæ Romanæ, ut, etc. Nam, ex ipsius constitutione, omnes questiones auctoritate traditionis dirimuntur, innumeri sunt episcopi circumquaque sparsi, ad custodiam illius doctrinæ vigilantes, ad traditionem semper attendentes, et nullam innovationem permittentes. *Nihil innovetur nisi quod traditum est*, aiebat S. Papa Stephanus ad B. Cyprianum. «Id verius» quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis.» Tert. adversus Marc. lib. 4, cap. 5. Nunc pariter hæc sunt principia quæ universim sequuntur episcopi: his autem positis, impossibile est aliquam fieri mutationem in doctrina Ecclesiæ.

Et vero, si qua hujusmodi mutatio serperet, vel modo sensibili, vel modo insensibili: atqui neutrum dici potest.

1^o *Non modo sensibili*, propter rationem jam expositam; aliunde, assignari posset articulus circa quem mutatio contigisset, quo tempore grassari cœpisset, ubinam primum obtinisset, quis illius auctor, quo nomine appellatus, qua patria oriundus, cujus instituti professor,

qua arte, qua audacia præditus, ut fidem antiquam corrumpere voluisset et potuisset: at tamen nihil horum invenitur nec a protestantibus citatur: ergo 1^o.

2^o *Non modo insensibili*. Nam tunc dicendum foret omnes fideles et eorum pastores, doctores et professores, prælatos regulares et seculares, per orbem terrarum, easdem admisisse innovationes in gravissimis fidei punctis, ea credidisse ut dogmata a quibus abhorrebant, ea pro quibus sanguinem fundere parati erant tanquam figmenta rejecisse; atque hæc tam unanimiter contigisse, ut nullus contra ea insurrexerit, nullus hos errores refellerit, nullus pastor gregem sibi commissum ab illis præcavendum monuerit, nullum concilium eos damnaverit, nullus apostata id objecerit; uno verbo, nullus exstiterit apud ecclesiasticos et laicos, doctos et indoctos, nobiles et plebeios, viros et mulieres, qui prioris doctrinæ memoriam retinuerit; nullus denique, in tota Ecclesia, qui hujusmodi mutationes adverterit. At nemo non videt quam talis suppositio sit absurda. Innumera enim exortæ sunt novitates ab Apostolis usque ad nos, et statim atque prodierunt, undique conclamatum est adversus eas. Novimus earum auctores, epocham, progressus, adversarios aliasque circumstantias. Quomodo ergo tanti momenti mutationes ita contingere potuissent, ut nulla reliquissent vestigia? Qui tanta fiducia eas objiciunt protestantes, similes sunt cæcis a nativitate qui de coloribus disserunt, vel sepulcri Christi custodibus, qui asserebant illum, se dormientibus, a discipulis fuisse sublatum. Ergo 2^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

PROPOSITIO QUINTA.

Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii.

Prob. Duæ requiruntur conditiones ut Ecclesia sit Apostolica ratione ministerii, scilicet, 1^o successio pastorum non interrupta, 2^o legitima missio; atqui illæ conditiones in Ecclesia Romana inveniuntur.

1^o *Successio pastorum non interrupta*. Nam, sicut S. Irenæus, Tertullianus, S. Aug., S. Optatus alique demon-

strabant Ecclesiam Romanam suo tempore esse Apostolicam, numerando ejus pontifices a B. Petro sine interruptione sibi succedentes, similiter et nos ostendimus eandem pontificum seriem usque ad Gregorium XVI perseverasse; cæteræ Ecclesiæ cum Ecclesia Romana unitæ, continuam seriem pastorum a primo fundatore descendentium et pontifici Romano communionem junctorum pariter habent: unde sic exclamat Bossuet, *Discours sur l'histoire universelle, 2^e part. chap. 31*:

» Quelle consolation aux enfants de Dieu ! mais quelle
 » conviction de la vérité, quand ils voient que d'Inno-
 » cent XI, qui remplit aujourd'hui si dignement le pre-
 » mier siège de l'Eglise, on remonte sans interruption
 » jusqu'à S. Pierre, établi par Jésus-Christ Prince des
 » Apôtres : d'où, en reprenant les pontifes qui ont servi
 » sous la Loi, on va jusqu'à Aaron et jusqu'à Moïse, de
 » là jusqu'aux Patriarches et jusqu'à l'origine du monde !
 » Quelle suite ! quelle tradition ! quel enchaînement mer-
 » veilleux ! Si notre esprit, naturellement incertain, et
 » devenu par ces incertitudes le jouet de ses propres rai-
 » sonnemens, a besoin, dans les questions où il y va du
 » salut, d'être fixé et déterminé par quelque autorité cer-
 » taine, quelle plus grande autorité que celle de l'E-
 » glise catholique, qui réunit en elle-même toute l'auto-
 » rité des siècles passés, et les anciennes traditions du
 » genre humain jusqu'à sa première origine ! » Ergo 1^o, etc.

2^o *In Ecclesia Romana legitima existit missio.* Omnes enim illius pastores alii ab aliis sine interruptione descendunt: nulli agnoscuntur successores alicujus pastoris, nisi legitime mittantur. Quicumque talem non habuerunt missionem, semper reputati sunt schismatici et omni jurisdictione destituti. Unde hæc verba Christi: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*, quotidie in Ecclesia Romana ad praxim reducuntur; sicque missio Apostolis divinitus concessa usque ad nos pervenit. Ergo 2^o, etc. Aliunde, etc. Ergo Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii.

Propterea nullo particulari nomine designatur, sed vo-

catur semper Ecclesia Christi, vel Ecclesia catholica: ipsi protestantes eam aliter designare jam non audent. Contra vero, aliæ societates Christianæ proprio fundatoris nomine appellantur, quidquid eorum defensores ad id impediendum dixerint et tentaverint. Sic designamus Lutheranos, Calvinistas, Zuinglios, etc., sicut olim appellati sunt Eutychiani, Nestoriani, Ariani, etc. Ergo illæ sectæ convincuntur initium habuisse, dum Ecclesia Romana nulla præ se fert mutationis indicia. Ergo denique, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Defuncto pontifice Romano, nullus est qui legitimam missionem alteri conferre possit. Ergo.

R. Nego ant. Nam in Ecclesia Romana quædam a B. Petro vel a successoribus suis statuta sunt regulæ ad modum successionis determinandum: qui juxta has regulas eligitur et instituitur, eo ipso legitimus sui predecessoris creatur successor, et eandem habet jurisdictionem, sicut principes qui aliis principibus juxta præscriptas regulas succedunt, eandem habent auctoritatem civilem. Ergo.

Nulla autem est difficultas pro episcopis aliis episcopis in ecclesiis particularibus succedentibus; semper enim canonicam institutionem accipiunt: qui absque legitima institutione creantur, sunt *intrusi* et schismatici.

Obj. Sedes Romana, ab anno 1378 ad annum 1429, per duos aut tres pontifices fuit dilacerata: ergo series pontificum fuit interrupta.

Antequam respondeam, quædam facta breviter sunt referenda. Clemens V, ex archiepiscopo Burdigalensi summus pontifex creatus anno 1305, post diversa per Galliam itinera venit Avenionem anno 1308, ibique mansit; successores ejus Joannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V et Gregorius XI, omnes origine Galli, manserunt etiam Avenione; hanc urbem ejusque territorium Clemens VI emit, anno 1348, a Joanna, Provinciæ comitissa et Neapolis regina: cum

autem Gregorius XI Romam ivisset, anno 1376, ibi mortuus est die 5 februarii 1378.

Tunc Romani, magna concitata turba, vehementer petierunt a cardinalibus ut papam ex Roma vel saltem ex Italia oriundum constituerent. Cardinales vero, numero sexdecim presentes, contra hujusmodi violentiam profidentes, juxta plures auctores (vide *Histoire de l'Église gallicane, et Fleury*), Bartholomaeum Prignano, archiepiscopum Bariensem in Apulia, elegerunt, qui nomen Urbani VI sumpsit. Deinde, aestimantes se ab illo quibusdam verbis et agendi ratione fuisse offensos, primo Anagninam, postea Fundum abierunt, et quinque menses post electionem ejusdem Urbani, publice contestati sunt se non fuisse liberos, palam affirmarunt Urbani electionem fuisse nullam, novum elegerunt papam Robertum, cardinalem Genevensis, qui dictus est Clemens VII. Hic venit Avenionem ibique sedem suam fixit. Ut legitimus pontifex Romanus agnitus est in Gallia, Hispania, Scotia, Sicilia et in Cypro. Benedictus XIII ei successit anno 1394, depositus fuit in concilio Pisano anno 1408, deinde in concilio Constantiensi anno 1417: at nihilominus dignitati suae renuntiare constanter recusavit, licet ab omnibus derelictus; mortuus est anno 1424: duos solummodo habebat cardinales, quibus prope mortem constitutus jussit ut post se alterum eligerent papam; elegerunt reipsa *Aegydius Magnus*, dictum Clementem VIII, qui pontificatus insignia anno 1429 abdicavit.

Urbanus VI, ex sua parte, successores habuit Romae, Bonifacium IX, Innocentium VII, Gregorium XII, qui depositus fuit in concilio Pisano.

Alexander V, in concilio Pisano electus, successorem habuit Joannem XIII, qui in concilio Constantiensi anno 1414 depositus, summo pontificatu renuntiavit. Idem fecit Gregorius XII. Martinus V, durante concilio, fuit electus et confirmatus: universus orbis Christianus eum legitimum B. Petri successorem habuit, et post cessionem Clementis VIII nullus amplius exstitit competitor, sicque finem habuit magnum Occidentis schisma, saltem

post annos 51 et probabilius post annos 39, siquidem Benedictus XIII nullo modo haberi potuit ut papa a die quo iterum depositus fuit in concilio Constantiensi et ab omnibus derelictus. His descriptis:

R. Nego conseq. Nam 1^o etsi auctoritas utriusque contententis dubia fuerit, unus tamen coram Deo legitimus erat B. Petri successor, atque series successionis in eo perseverabat, et alter nihilominus jurisdictionem necessariam habebat, juxta leges Ecclesiae, scilicet, propter titulum coloratum et errorem communem. 2^o Quamvis concederetur nullum ex diversis contententibus legitimum fuisse pontificem, non ideo series successionis proprie fuisset interrupta; non magis enim hic defectus ministerio Apostolico nocere potuisset, quam vacatio sedis per plures annos legitima successionis nocet. 3^o Ecclesia, tanquam societas perfecta usque ad finem saeculorum permansura in quocumque casu existat, sufficientem habet potestatem ad sui conservationem et gubernationem: ergo, ubi plures sunt pontifices dubii et contententes, eos depouere, vel abnegationem pontificatus ab eis exigere, et alium rite constituere potest. 4^o Omnibus contententibus semel defunctis, aut voluntarie abdicantibus, jus novum Pontificem constituendi remansit in Ecclesia: ergo qui ab omnibus ecclesiis tunc fuit agnitus legitimus erat B. Petri successor; proindeque magnum Occidentis schisma seriem successionis pontificum in sede Romana non disruptit.

Queri potest an lugendum illud schisma Occidentis unitati regiminis Ecclesiae nocuerit.

Ad solvendam hanc quaestionem notandum est duplicem distingui posse regiminis Ecclesiae unitatem; unam essentialis et alteram accidentalem. Unitas essentialis in eo consistit, ut omnes idem principium regiminis, eandem auctoritatem controversiarum fidei iudicem agnoscant, et quandam generalem communionem secum habeant: unitas vero quae dici potest accidentalis, in eo sita est ut omnes admittant eodem auctoritatis depositarios.

Lugendum Occidentis schisma unitati essentiali non nocuit, si coram Deo catholici non fuerint divisi: atqui

catholici coram Deo non fuerunt divisi; omnes enim credebant unicum esse B. Petri legitimum successorem, necessariam esse erga illum subjectionem; omnes illum venerari intendebant, sed alii hunc, alii illum arbitrabantur legitimum, sicque in solo facto dividebantur. Nihil charius ipsis erat, nihil ardentius exoptabant quam ut, illa divisione extincta, pax restitueretur Ecclesiae. Omnes igitur sedi Romanae adhaerebant, idem principium regiminis, eandem auctoritatem controversiarum fidei iudicem agnoscebant, quamdam generalem secum habebant communionem; sed non sibi consentiebant circa actuales verae auctoritatis depositarios. Haec autem dissensio nocebat tantum unitati exteriori seu accidentali, quae, Deo sic permittente, interrumpi potest per tempus cujus durationem possibilem assignare non valemus, sicut sedes Romana per plures annos vacare potest.

Tempore magni schismatis, veri catholici futuram expectabant pontificem certum cui parati erant obedire. Interea ei adhaerebant quem iudicabant probabilius legitimum, caeteros non damnantes.

Cum difficillimum erat determinare quisnam ex contententibus legitimus esset, tunc dabatur error communis circa titulos pastorum: porro ubi est error communis, Ecclesia, ex iure canonico, supplet jurisdictionem in eis qui habent titulum coloratum: ergo in utraque parte sufficiens erat iurisdictio ad sacramenta Ecclesiae valide administranda; sicque schisma saluti populi non nocebat. Revera plures simul exstiterunt sancti, nunc canonizati, in communionibus oppositis, scilicet sancta Catharina Sinensis in communionem pontificis Romani et S. Vincentius Ferrarius in communionem pontificis Avenionensis. Ergo denique, etc.

COROLLARIUM.

Ex huc usque dictis eformari potest argumentum quo unusquisque veram Ecclesiam ab aliis societatibus Christianis discernere possit: sic enim argumentari potest, v. g. contra Lutheranos: Vera Ecclesia semper catholica ac

visibilis esse debuit: atqui vestra societas ante Lutherum non existebat, nec illius nomen fuerat auditum in mundo: ergo non estis vera Ecclesia. Quaelibet secta ab Ecclesia Romana separata eodem argumento similiter confutari potest; nulla enim est secta cuius assignari non possit auctor, tempus, progressus, etc., dum, e contra, Ecclesiae Romanae origo evidenter ad Apostolos ascendit, et nullum in ea mutationis signum percipi potest. Ergo.

Quanta ergo claritate fulget undique veritas sanctae Ecclesiae Romanae! Gratitudinis necnon admirationis sensu perfusi ex intimis praecordiis exclamemus cum illustrissimo Bossuet:

« Sainte Église Romaine, mère des églises et mère de
 » tous les fidèles, Église choisie de Dieu pour unir ses en-
 » fants dans la même foi et dans la même charité, nous
 » tiendrons toujours à ton unité par le fond de nos en-
 » trailles. Si je t'oublie, Église Romaine, puissé-je m'ou-
 » blier moi même! que ma langue se sèche, et demeure
 » immobile dans ma bouche, si tu n'es pas toujours la
 » première dans mon souvenir, si je ne te mets pas au
 » commencement de tous mes cantiques de réjouissance! »
 (Sermon sur l'unité de l'Église.)

Iisdem ferme verbis sic se exprimit Fénelon! « O Église
 » Romaine! ô cité sainte! ô chère et commune patrie de
 » tous les Chrétiens! Il n'y a en Jésus-Christ ni Grec, ni
 » Scythe, ni barbare, ni Juif, ni gentil; tout est fait un seul
 » peuple dans votre sein, tous sont concitoyens de Rome,
 » et tout catholique est Romain. La voilà cette grande
 » tige qui a été plantée de la main de Jésus-Christ. Tout
 » rameau qui en est détaché se flétrit, se dessèche et tombe.
 » O mère! quiconque est enfant de Dieu, est aussi le vô-
 » tre; après tant de siècles vous êtes encore féconde. O
 » épouse, vous enfantez sans cesse à votre époux dans
 » toutes les extrémités de l'univers. Mais d'où vient que
 » tant d'enfants dénaturés méconnaissent aujourd'hui
 » leur mère, s'élèvent contre elle et la regardent comme
 » une marâtre? d'où vient que son autorité leur donne
 » tant d'ombrage? Quoi! le sacré lien de l'unité, qui doit

» faire de tous les peuples un seul troupeau, et de tous
 » les ministres un seul pasteur, serait-il le prétexte d'une
 » funeste division ?...

» O Eglise d'où Pierre confirmera à jamais ses frères,
 » que ma main droite s'oublie, si je vous oublie jamais !
 » Que ma langue se sèche et devienne immobile, si vous
 » n'êtes pas jusqu'au dernier soupir de ma vie le principal
 » objet de ma joie et de mes cantiques ! » (*Histoire de Fénelon, liv. 8, n. 16.*)

PARS SECUNDA.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE.

In ea parte dicemus 1° de auctoritatis existentia et qua-
 litate; 2° de illius subjecto, seu de iis in quibus residet;
 3° de modo quo exerceri debet; 4° de ejus objecto, id est
 de iis circa quæ versatur.

CAPUT PRIMUM.

DE AUCTORITATIS ECCLESIAE EXISTENTIA ET QUALITATE.

Christus dixit Apostolis eorumque successoribus : *Eun-
 tes docete omnes gentes... docete eos servare omnia quæ-
 cumque mandavi vobis* (Matth. xxviii, 19 et 20). Omnia
 ergo quæ docuit Christus semper docenda sunt in vera
 ipsius Ecclesia; cum autem ratione constitutionis mentis
 humanae necesse sit ut frequenter nascentur dubia circa
 res credendas aut faciendas, huic malo Christus sapientis-
 simus providere debuit, dando regulam tutissimam, om-
 nibus proportionatam, ad dirimenda dubia, seu insti-
 tuendo judicem cui competat jus dubia solvendi et cunctas
 fidei controversias dirimendi.

His præmissis, sequentes statuemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

*In Ecclesia existere debet supremus controversiarum fidei
 judex.*

Prob. 1° ex Scriptura sacra. Matth. xviii, 17 : *Dic
 Ecclesiae; si... Ecclesiam non audierit, etc.* Hæc verba
 supponunt existere in Ecclesia judicem qui controversias
 dirimat. B. Paulus, Tit. iii, 10 : *Hæreticum hominem,
 post unam et secundam correptionem, evita.* Porro hæ-
 reticus devitari non potest nisi cognoscatur, nec cog-
 nosci nisi talis manifestetur; ergo.

Prob. 2° ex traditione. Constat enim semper et ubique
 creditum esse in antiquitate dari in Ecclesia supremum
 judicem, cujus auctoritas controversias fidei dirimebat
 et contumaces declarabat hæreticos.

Prob. 3° ex ratione. Ecclesia est societas perfecta :
 porro in omni societate perfecta supremus est judex
 qui suborientes controversias ultima sententia definiat.
 Nisi enim talis existeret judex, finem non haberent dis-
 putationes, multiplicarentur opiniones, et in proximam
 ruinam societas Christiana mox abiret; quemadmodum
 societas civilis diu subsistere non posset, si lites nulla via
 ultima componi possent. Unde apud omnes gentes, in
 iis quæ ad religionem spectant, semper admissa est hujus
 generis auctoritas. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Supremus ille controversiarum judex debet esse obvius,
 clarus, communis et infallibilis.*

Prob. 1°. Debet esse *obvius*, id est, cognitu facilis. Ta-
 lis enim esse debet ut omnes illum audire queant facile,
 et nullus causam ignorantiae allegare possit : porro in-
 numeri homines cognoscere non possunt nisi quod ipsis
 est prorsus obvium, quia magis studii et diuturnæ at-
 tentionis sunt incapaces.

2° Debet esse *clarus*, adco ut nulla sit amphibologia,

» faire de tous les peuples un seul troupeau, et de tous
 » les ministres un seul pasteur, serait-il le prétexte d'une
 » funeste division ?...

» O Eglise d'où Pierre confirmera à jamais ses frères,
 » que ma main droite s'oublie, si je vous oublie jamais !
 » Que ma langue se sèche et devienne immobile, si vous
 » n'êtes pas jusqu'au dernier soupir de ma vie le principal
 » objet de ma joie et de mes cantiques ! » (*Histoire de Fénelon, liv. 8, n. 16.*)

PARS SECUNDA.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE.

In ea parte dicemus 1° de auctoritatis existentia et qua-
 litate; 2° de illius subjecto, seu de iis in quibus residet;
 3° de modo quo exerceri debet; 4° de ejus objecto, id est
 de iis circa quæ versatur.

CAPUT PRIMUM.

DE AUCTORITATIS ECCLESIAE EXISTENTIA ET QUALITATE.

Christus dixit Apostolis eorumque successoribus : *Eun-
 tes docete omnes gentes... docete eos servare omnia quæ-
 cumque mandavi vobis* (Matth. xxviii, 19 et 20). Omnia
 ergo quæ docuit Christus semper docenda sunt in vera
 ipsius Ecclesia; cum autem ratione constitutionis mentis
 humanae necesse sit ut frequenter nascentur dubia circa
 res credendas aut faciendas, huic malo Christus sapientis-
 simus providere debuit, dando regulam tutissimam, om-
 nibus proportionatam, ad dirimenda dubia, seu insti-
 tuendo judicem cui competat jus dubia solvendi et cunctas
 fidei controversias dirimendi.

His præmissis, sequentes statuemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

*In Ecclesia existere debet supremus controversiarum fidei
 judex.*

Prob. 1° ex Scriptura sacra. Matth. xviii, 17 : *Dic
 Ecclesiae; si... Ecclesiam non audierit, etc.* Hæc verba
 supponunt existere in Ecclesia judicem qui controversias
 dirimat. B. Paulus, Tit. iii, 10 : *Hæreticum hominem,
 post unam et secundam correptionem, evita.* Porro hæ-
 reticus devitari non potest nisi cognoscatur, nec cog-
 nosci nisi talis manifestetur; ergo.

Prob. 2° ex traditione. Constat enim semper et ubique
 creditum esse in antiquitate dari in Ecclesia supremum
 judicem, cujus auctoritas controversias fidei dirimebat
 et contumaces declarabat hæreticos.

Prob. 3° ex ratione. Ecclesia est societas perfecta :
 porro in omni societate perfecta supremus est judex
 qui suborientes controversias ultima sententia definiat.
 Nisi enim talis existeret judex, finem non haberent dis-
 putationes, multiplicarentur opiniones, et in proximam
 ruinam societas Christiana mox abiret; quemadmodum
 societas civilis diu subsistere non posset, si lites nulla via
 ultima componi possent. Unde apud omnes gentes, in
 iis quæ ad religionem spectant, semper admissa est hujus
 generis auctoritas. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Supremus ille controversiarum judex debet esse obvius,
 clarus, communis et infallibilis.*

Prob. 1°. Debet esse *obvius*, id est, cognitu facilis. Ta-
 lis enim esse debet ut omnes illum audire queant facile,
 et nullus causam ignorantiae allegare possit: porro in-
 numeri homines cognoscere non possunt nisi quod ipsis
 est prorsus obvium, quia magis studii et diuturnæ at-
 tentionis sunt incapaces.

2° Debet esse *clarus*, adco ut nulla sit amphibologia,

hæsitatio aut dubitatio in definitionibus ejus : alioquin finem suum non assequeretur : tunc enim de sententia ejus multi dubitarent disputarentque, et sic nova lis alteri litæ succederet ac perpetuæ forent controversiæ.

3^o Debet esse *communis*, id est omnes fideles sub jurisdictione sua complectens : si enim quidam auctoritati ejus non subjicerentur, definitiones ipsius rejicere possent, ac proinde invariabilitas fidei non servaretur.

4^o Debet esse *infallibilis*. Quod enim a judice controversiarum fidei ultima sententia definitur, sit objectum fidei : porro repugnat illud esse objectum fidei, si sententia qua fuit definitum haberi non debeat ut infallibilis : ergo.

His de necessitate et qualitate judicis fidei præmissis, nunc quærendum est quis ille sit ex institutione Christi. Protestantes assignant Scripturam sacram interpretatam spiritu privato seu libero examine, ut aiunt hodierni Calvinistæ, vel Spiritus sancti illuminatione, instinctu aut gustu, quo unusquisque verum a falso tuto secerant : « Comme on sent la lumière quand on la voit, la chaleur quand on est auprès du feu, le doux et l'amer quand on mange. » Sunt verba ministrorum *Claude et Jurieu. Bossuet, Sixième avert.* 3^e part. n. 23.

Ad priorem classem pertinent Sociniani, *Rationalistæ* seu *Latitudinarii*, et plerique hodierni protestantes qui non tantum solam agnoscere volunt rationem privatam in interpretanda Scriptura sacra et in ipsamet admittenda, sed cuncta rejiciunt dogmata rationi impervia : ad posteriorem vero ordinem revocantur *Quaqueri* seu *Tremuli*, *Anabaptistæ*, *Moravi* et varii *Methodistæ*, qui admittunt quamdam Spiritus sancti infusionem unicuique specialiter, licet diversis modis, communicatam.

Catholici autem, præter Scripturam et traditionem, quæ sunt velut codices in quibus omnes veritates revelatæ continentur, unanimiter tenent existere in Ecclesia tribunal emicans, semper accessibile, a Christo institutum, cujus auctoritate cunctæ fidei ac religionis controversiæ infallibiliter dirimantur. Quid de his om-

nibus sentiendum sit clare demonstraturi sumus per sequentes propositiones.

PROPOSITIO TERTIA.

Scriptura sacra, spiritu privato interpretata, non est supremus controversiarum fidei judex, nec tutissima et sufficiens fidei regula, ut volunt protestantes.

Prob. Ille non est supremus controversiarum fidei judex qui est incompetens, insufficiens, insolitus et in absurda ducens : atqui talis est Scriptura sacra spiritu privato intellecta.

1^o *Est incompetens.* Est enim incompetens si non habeat dotes supremo controversiarum fidei judici necessarias : atqui Scriptura sacra, spiritu privato interpretata, has dotes non habet ; dotes enim judicis fidei sunt, *ex dictis*, ut sit obvius, clarus, communis et infallibilis ; verum Scriptura sacra spiritu privato interpretata has dotes non habet. 1^o *Non est obvia*, id est, omnium captivi accommodata ; in ea enim hypothesi, unusquisque deberet proprio judicio libros sacros detegere, fidelitatem versionum agnoscere, et sensum eorum genuinum assignare : porro hæc plerisque fidelibus, imo et omnibus, sunt impossibilia. 1^o *Ipsis impossibile est libros sacros detegere* : ad hoc quippe necesse foret ut examini subicerent cunctos libros qui olim a pluribus exhibiti sunt ut canonici, momenta hinc et inde propria ratione discuterent, ponderarent, et singulari sententiâ pronuntiarent hos esse authenticos et illos apocryphos, hos veros et istos falsos, hos divinos et istos profanos. Calvinistæ admittunt in canone Scripturarum Epist. B. Pauli ad Hebræos, Epist. B. Jacobi et Apocalypsim ; Lutherani eas rejiciunt ; catholici tenent duos priores libros Machabæorum esse canonicos : omnes protestantes contendunt illos esse profanos. Numquid fideles sola ratione privata ducti gravissimas hujusmodi controversias tuto dirimere possunt ? Nemo non videt quantum istud sit absurdum. 2^o *Non minus plerisque fidelibus impossi-*

bile esset fidelitatem versionum privato examine agnoscere; hoc enim fieri non potest quin versiones conferantur textui originali: libri autem tum Veteris tum Novi Testamenti scripti sunt, alii in lingua Hebraica et alii in lingua Græca: igitur necesse foret ut cuncti fideles has linguas antiquas perfecte scirent, et cunctos libros sacros in his linguis non solum legerent, sed regulis accuratæ criticae stricto examini subjicerent; porro quis dicet tale examen captui fidelium esse proportionatum? 3° Canone Scripturarum determinato et fidelitate versionum certo cognita, res nondum esset finita; tunc enim assignandus esset genuinus saltem præcipuorum textuum sensus: at plerique fideles id præstare nequeunt; doctiores enim protestantes sibi non concordant in explicandis textibus etiam gravioris momenti, qui primo intuitu clariores esse videntur. Ergo 1° Scriptura sacra spiritu privato interpretata non est cunctis obvia.

2° *Non est clara.* Multa enim continet obscura et intellectu difficillima; id constat 1° ex ipsamet Scriptura, B. Petri II Epist. III, 16: *In quibus (in Epist. B. Pauli) sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* 2° Ex SS. Patribus. Vincentius Lirin. Commonit. 1, n. 2: « Scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia alter atque alter, alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Novatus exponit... »

3° *Experientia.* Namque hæretici omnium sæculorum errores suos in Scripturas esse fundatos contendebant, et ipsi protestantes solam Scripturam audire volentes, fere in nullo puncto sibi consentiunt: pauca hæc verba Christi: *Hoc est corpus meum*, octoginta diversis modis interpretantur; parabolam villici infidelis quæ legitur apud S. Lucam, XVI, in octoginta quinque sensibus accipiunt: horum pariter B. Pauli verborum: *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est*, Gal. III, 20, centum et quinqua-

ginta interpretationes distinctas numerat doctor *Thiess*, protestans, apud *Stareck*. Quomodo ergo mulieres, pueri, rustici et omnis multitudo fidelium totas Scripturas recte interpretari possent? Tradatur exemplar Bibliorum meditationi eorum, et postea quærat ab eis quid credant, quodnam corpus doctrinæ collegerint, qua ratione ei adhærent, respondere nequibunt. Impossibilitatem hujusmodi examinis ipsiusque absurditatem experientia superabundanter demonstrabit. Vide *la Discussion amicale*, t. 1; *l'Excellence de la religion catholique*, par *M. Milner*, t. 1; *Conférences sur le Protestantisme* par *Mg. Wisemann*, etc. Ergo 2°.

3° *Non est communis.* Scriptura quidem in se spectata est auctoritas communis; sed spiritu privato interpretata hanc auctoritatem non habet, quia unusquisque eam in sensum suum detorquere potest: omnes enim sunt æqualiter independentes in judicando, proindeque in fide sua efformanda, ut continuo jactitabant primi reformatores et aiunt hodierni protestantes. Ergo.

4° *Non est infallibilis.* Certum est iterum Scripturam sacram ex se infallibilem esse; verum cum a spiritu privato interpretata, diversos habeat sensus sibi contradictorios, quicumque fidem suam efformat, judicare debet omnes aliter sentientes errare: quomodo autem pronuntiare potest se, sua ratione innixum, veritatem infallibiliter percipere, dum omnes alii eandem viam sequentes, errant? Aliunde judex qui multos decipit, privilegio infallibilitatis non gaudet: porro Scriptura spiritu privato interpretata multos decipit, ut patet exemplo antiquorum hæreticorum, hanc regulam sequentium et tot sententias sibi oppositas defendentium. Ergo 4°, aliunde, etc. Ergo primo Scriptura, spiritu privato interpretata, est judex controversiarum fidei incompetens.

II° *Est insufficientis.* Etiam si enim Scriptura esset judex controversiarum fidei competens, non ideo sufficeret, si cunctas veritates revelatas non contineat: atqui Scriptura sacra cunctas veritates revelatas non continet, ut notum fecimus ubi de traditione. Præterea, Scriptura est respectu

fideliū in Ecclesia sicut leges respectu subditorum in regno : at leges etiam perfectissimæ non sufficerent ad componendas lites, nisi existeret tribunal visibile ab eis distinctum : ergo *a pari* nec sola sufficit Scriptura ad controversias fidei dirimendas. Ergo secundo, etc.

III^o *Est insolitus*. Iudex namque a Christo institutus semper existere et in usu esse debuit in Ecclesia : verum Scriptura sacra spiritu privato interpretata, non semper habita est in Ecclesia ut supremus controversiarum fidei iudex, nam 1^o Christus nullam scripturam Apostolis suis reliquit ; non præcepit eis ut scriberent, bene vero ut irent per orbem universum, prædicarent Evangelium omni creaturæ, fidem exigerent, credentes baptizarent, et docerent servare quæcumque ipse mandaverat eis. Plerique Apostoli nihil scripserunt ; nullos libros revelationes Christi continentes primis fidelibus exhibere ; qui scripserunt, quasi per occasionem et accidentaliter scripsisse videntur, et nullus sibi proposuit corpus doctrinæ Christi per ordinem exhibere ; integrum Novum Testamentum non nisi longe post mortem Christi existit : ergo primæ Ecclesiæ formatae sunt et diu exstiterunt sine scripturis Novi Testamenti ; imo solo ecclesiarum testimonio libri Novi Testamenti habiti sunt ut doctrinam Christi et Apostolorum continentes, proindeque ut canonici. Testatur S. Irenæus, in secundo sæculo, plures suo tempore existere ecclesias quæ nullas habebant Scripturas. Ergo. 2^o Negare non possunt protestantes cunctas fidei controversias, saltem in primis Ecclesiæ sæculis, non via examinis privati, sed via auctoritatis semper diremptas fuisse. 3^o Mulieres, infantes et multitudinem fidelium ad interminabiles privati examinis discussiones ipsi non remittunt, sed positive eos docent quid credere, quid agere debeant ; sua habent symbola quorum fidem a tyronibus exigunt. Ergo tertio ille iudex est insolitus.

IV^o *Ad absurda ducit*. Via enim privati examinis admissa ut solo fidei iudice, hinc sequitur 1^o actum fidei saltem plerisque per totum vitæ eorum curriculum esse impossibilem, quia examinis necessarii sunt incapaces, ut

jam ostendimus ; 2^o unumquemque, sive doctum, sive ignarum, debere rationi suæ arrogare infallibilitatem quam doctioribus et universæ Ecclesiæ denegat ; 3^o destrui omnia religionis Christianæ dogmata : nam si unusquisque propriæ rationi stare debeat, quidquid credat aut dicat jam redargui non potest ; 4^o totam religionem ruere : si quis enim articulos fidei et principia morum unum post alterum denegat, affirmando se ea non invenire in Scriptura sacra ; si Scripturam rejiciat, dicendo se percipere non posse illam esse divinam, nulla ratione firma iste convinci potest : tota igitur religio penitus evellitur, quod quidem exemplo suo confirmarunt multi protestantes. Statim enim atque Lutherus, primus reformator, regulam privati examinis instituit, alii prodierunt reformatores, qui, ex eodem principio incedentes, ipsam reformationem variis modis reformarunt, ut *Carlostadt*, *Zwingle*, *OEcopolampade*, *Muncer* et innumeri alii. Frustra Lutherus, ira inflammatus, graviter eos increpavit, tormenta inferni eis minando ; nihilominus magis ac magis inter se divisi sunt et in præceptis abierunt. Calvinistæ, eandem regulam admittentes, facilius adhuc in ruinam fidei prolapsi sunt. *Jurieu* solos Socinianos excludebat a salute ; sed quæsitum est ab illo cur illos potius quam alios sic excluderet, et nihil solidum respondere potuit : hinc latissimus natus est *tolerantismus* qui nunc ubique viget ; in Anglia et in America via salutis Mahumetanis, Deistis ipsisque Paganis aperitur ; in Germania, etiam in Universitatibus, fere nulla remanent Christianismi vestigia, ut videre est apud *de Starck*, in opere jam citato, et in alio opere dicto : *Histoire des sectes religieuses*, auctore *Grégoire*. Hinc variis in locis, et præsertim in Prussia, ecclesiæ Lutherane et Calvinistæ simul conjunctæ sunt anno 1817, absque ulla mentione dogmatum, quæ exhibentur velut subtilitates scholæ. Ecclesia Genevensis jam non tenet peccatum originale, nec divinitatem Christi profitetur ; et jubet ut pastores ab hujusmodi quæstionibus abstineant in docendo. In opere periodico, *la Revue protestante*, a Calvinistis edito, t. 1, p. 201, an. 1825, sic exprimitur professio fidei

de divinitate Christi : « Tous, nous admettons qu'il y a » eu dans la personne du Sauveur et de la divinité et de » l'humanité, mais le mode d'union de ces deux choses » est resté un mystère, comme celui de l'union de l'âme » et du corps. » Nolunt aperte dicere Christum esse Deum. Novissime in Gallia quidam theologiæ professor protestans symbola variabilia, identidem derelinquenda, ac proinde inania esse asserebat.

In Germania qui inter protestantes maxime sunt eminentes, ut *Heyne, Eichorn, Gesenius, Wescheider*, etc. in puro versantur rationalismo; paulatim negaverunt omnia dogmata, imo nec admittunt ut vera facta Bibliorum historica: ea habent ut *mythos*, quorum arcana se dilucidare jactitant. Audiamus *Strauss* recenter famosissimum:

« Lorsque l'empire romain ayant été christianisé et les » grandes hérésies ayant été connues, le principe chrétien » acquit une domination de plus en plus exclusive; lors- » que les écoles de la sagesse chrétienne se formèrent, et » que des peuplades incultes de la Germanie se soumi- » rent à l'instruction de l'Eglise, alors le monde, durant les » longs siècles du moyen âge, vécut satisfait du Christia- » nisme, tant pour la forme que pour le fond; et toute » trace disparut de ces conceptions interprétatives qui » supposent une rupture entre la civilisation du peuple et » du monde, et la religion. La Réforme porta le premier » coup à la prospérité de la croyance de l'Eglise; elle fut » le premier signe de l'existence d'une culture, qui, comme » cela s'était vu jadis dans le paganisme et le judaïsme, » avait désormais pris, au sein même du Christianisme, » assez de force et de consistance pour réagir contre le sol » qui l'avait portée, c'est-à-dire contre la religion reçue. » Cette réaction, tournée d'abord seulement contre l'E- » glise dominante, forma le drame noble, mais rapide- » ment terminé de la Réforme. Plus tard, elle se dirigea » vers les documents bibliques; et se manifesta au dé- » but par les arides tentatives révolutionnaires du déisme, » elle est arrivée jusqu'aux temps les plus modernes par » des transformations variées. » (*Vie de Jésus, Introd.*)

In toto exitiosi operis sui decursu exhibet facta Evangelica ut *mythos* quos suo modo explicare conatur. Multi alii præsertim in Germania non aliter loquuntur aut scribunt.

Abs re non videtur hic quædam dicere de novo systemate in Universitate Oxoniensi introducto a pluribus anglicanis doctoribus, qui, talibus quasi territi excessibus, mediam tenere voluerunt viam inter ultraprotestantismum et Romanismum, ut aiunt. Simul cum sacra Scriptura admittunt traditionem in quantum est ejus interpretes, Patres venerantur, concilia suscipiunt modo a tota Ecclesia sint approbata, quæ conditio ea de facto subvertit.

Ecclesia catholica, juxta eos, ex diversis coalescit sectis servantibus hierarchiam et principium auctoritatis in iis quæ spectant ad fidem. Ideo libenter concedunt Ecclesiam Romanam esse partem veræ ac catholicæ Ecclesiæ, licet eam, quasi ex veteri more, sæpe calumniis lacessant. Dicunt unitatem veræ Ecclesiæ necessariam non importare perfectam unitatem fidei in omnibus membris, nec communionem minime interruptam, nec apostolicitatem personalem in regimine et hierarchia. Asserunt vero vitam spiritualem apud eos etiam hauriri posse, quia doctrinam Christi, sacramenta, validas ordinationes et dona Spiritus sancti habent; sed fatentur veram pietatem, fidem activam, zelum pro oratione et bonis operibus nimis abesse, et meliora sperant cum patientia. Sic præsertim recenter celebris *D. Pusey*.

Hæc quidem a sana Ecclesiæ Romanæ doctrina longe distant: attamen constat jam plures inde exiisse felices eventus, scilicet fidem in dogmata derelicta, disciplinæ et cultus instaurationem saltem sub quibusdam respectibus, plurimorum etiam notabilium conversionem, etc.

Inter doctores talis reformationis auctores, qui permultos obtinuerunt asseclas, sive in clero anglicano, sive in laicis, eminent *G. Palmer, B. Pusey*, cujus nomen scholæ novæ fuit impositum, etc. Plures quos olim inter eos dicebamus ab eo tempore ad fidem catholicam feliciter conversi sunt; jam fere quadraginta, anno nuper elapso, in

ephemeridis ipsis anglicanis numerabantur, et quidem præstantiores: sic *Newman, Ward, Oakeley*, etc.

Multa insuper adjici possent: sed hæc abunde sufficere videntur: ergo 4º, etc. aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Christus ipse remittit Judæos ad Scripturas, Joan. v, 39: *Scrutamini Scripturas; illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ergo admittit Scripturas esse judicem fidei.

R. 1º. Verbum *scrutamini* non in imperativo, sed in indicativo sensu intelligendum est, juxta nonnullos interpretes: in eo autem casu Christus non remittit ad Scripturas, sed supponit Judæos quotidie eas legere et perscrutari.

Scripturæ sacræ allegari possunt et sæpe allegantur in confirmationem veritatum quæ in controversiam non adducuntur.

2º *Nego consequentiam.* Christus enim missionem suam Judæis manifestare tunc intendebat, et ideo plurima operabatur miracula: *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*, ibid. 36. Porro Scripturæ, quibus addictissimi erant Judæi, ex sua parte testimonium reddebant Christo: merito igitur Christus dicere poterat Judæis, *per argumentum ad hominem*: *Creditis Scripturis, scrutamini eas, illæ testimonium perhibent de me.* Inde autem concludi non potest solam Scripturam esse judicem cunctarum circa fidem controversiarum. Ergo.

Obj. 2º. Act. xvii, 11, de Bereensibus sic legitur: *Hi autem erant nobiliores eorum:.... qui susceperunt verbum eum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas si hæc ita se haberent.* Ergo Scriptura tunc habebatur ut sola fidei regula.

R. Nego consequ. Nam infidelis cui fides Christiana proponitur amplectenda, potestati ecclesiasticæ nondum est subjectus; potest, imo et debet perpendere motiva quibus innititur, ut rationabiliter sese determinet: probabilis est discipulos Bereenses nondum fuisse baptizatos. Ergo.

Præterea, qui mysteria fidei Christianæ credunt, nihi-

ominus licite perpendere possunt momenta quæ ea credibilia efficiunt, non quidem ut depellantur dubia, sed ut in fide constantiores et ad alios docendos aptiores fiant: ergo, etiamsi Bereenses tunc fuissent baptizati, licite tamen scrutari potuissent Scripturas *si hæc ita se haberent*, et inde concludi non posset solam Scripturam controversiarum fidei supremum esse judicem.

Obj. 3º. II Tim. iii, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo.

R. Nego consequ. Ex illo enim textu sequitur quidem Scripturam esse utilem, quod nemo inficiatur, sed non asserit eam esse necessariam, et multo minus eam spiritu privato interpretatam sufficere ac controversiarum fidei futuram esse judicem. Ergo.

Obj. 4º. Si Scriptura ad dirimendas controversias fidei non sufficiat, admittenda erit auctoritas verbo Dei superior: atqui hoc est absurdum: ergo.

R. Nego maj. Sæpiissime enim leges principis interpretatione magistratum indigent: atqui auctoritas magistratum auctoritate legum non ideo præstat: ergo *a pari*, licet Scriptura sacra interpretatione indigeat, non idcirco alia requiritur auctoritas ipsa superior, ipsius enim auctoritas est divina et necessario infallibilis; sed requiritur ut legitimus illius sensus certo assignetur: porro Ecclesia, juxta catholicos, legitimum sensum Scripturæ infallibiliter determinat: auctoritas igitur Ecclesiæ, quamvis infallibilis, nullo modo auctoritati Scripturæ opponitur, nec illa superior dici potest.

PROPOSITIO QUARTA.

Spiritus privatus, quocumque donetur nomine, sive inspirationis, sive illuminationis, sive gustus, legitimus esse non potest controversiarum fidei judex, aut regula tutissima, ad sensum protestantium.

Prob. Ille haberi non debet ut legitimus controversiarum

fidei iudex, qui 1^o dotes requisitas non habet, 2^o cunctis erroribus viam aperit et confutationi januam præcludit, 3^o multis contradictionibus implicatur, 4^o ducit ad absurda: atqui omnibus his vitiis laborat spiritus privatus, etc.

1^o *Dotes requisitas non habet.* Supremus enim controversiarum fidei iudex debet esse obuius, clarus, communis et infallibilis: atqui spiritus privatus sensu præfato intellectus has dotes evidenter non habet. 1^o Non est obuius, cum nulla sit regula qua tuto a spiritu erroris secerni possit. Dicunt adversarii illum esse lumen internum quo veritas menti ostenditur, quemdam spiritualem gustum quo verum a falso sicut dulce ab amaro secernitur: at manifestum est huiusmodi regulas illusorias esse, siquidem eis utentes varie illuminantur et gustant, aut mentiuntur. 2^o Non est clarus, seu non clare loquitur, cum ii qui illum audiunt, sibi concordare nequeant. 3^o Haberi non potest ut infallibilis pro foro externo, quidquid sit in se, propter eandem rationem. Ergo non habet dotes requisitas.

2^o *Cunctis erroribus viam aperit.* Nam, in principiis huius doctrinæ, quilibet homo cuncta imaginationis suæ deliramenta velut totidem divinas revelationes suscipere et ubique prædicare potest, ut patet: nullo modo confutari poterit, quidquid enim ipsi opponatur, semper respondebit se a spiritu sic illuminari, se veritatem ita gustare; imo sibi persuadere poterit se a spiritu Dei ad cædes et immaniora scelera impelli. Ergo.

3^o *Multis contradictionibus implicatur illud systema.* 1^o Namque Spiritus Dei sic intellectus, simul datur et non datur omnibus: datur quidem, cum ex hypothesi unumquemque privatum doceat; non datur tamen omnibus, quia contradictoria dictare non potest. 2^o Cum infantes et multitudinem virorum ac mulierum erudiunt protestantes, eos ad lumen internum et Spiritus Dei gustum non remittunt, quod tamen facere deberent, si sibi consentirent. 3^o Redarguunt eos qui non credunt vel qui, ut arbitrantur, errant in credendo: attamen eos redarguere non debent si principiis suis starent. Ergo 3^o.

4^o *Ducit ad absurda.* Admisso enim prædicto systemate,

sequitur 1^o ignaros et simplicem muliereulam credere debere se melius totam intelligere posse Scripturam quam Patres, doctores et cuncta concilia, tum particularia, tum etiam universalia, ut fateri coactus est D. Claude, in colloquio cum Bossuet: porro illud est cumulus absurditatis: ergo 4^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Dices: Joan. I Epist. II, 27, ait: Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus (Christi) docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Ergo B. Joannes agnoscit solum Spiritum esse audiendum.

R. Nego conseq. Etenim si B. Joannes persuasum habuisset solum spiritum privatum, ad sensum adversariorum, esse audiendum, cur ipse Epistolas ad fideles scripsisset, cur præcepta nova ac mandata dedisset? quomodo B. Paulus dixisset: *Fides ex auditu*, Rom. x, 17; *Prædica verbum*, etc. II Tim. IV, 2?

Genuinus autem sensus verborum quæ nobis objiciuntur est, quod in nova lege multo abundantiora sint auxilia gratiæ quam in antiquo fœdere; Apostolus enim intendit avertere fideles ab erroribus qui tunc incipiebant grassari; hortatur eos ut firmiter maneant in doctrina quam ab initio acceperant, quam unctio Spiritus Dei intus eos docuerat, occasione prædicationis et sacramentorum baptismi et chrismatis susceptionis; igitur non indigent ut novus doctor aliquid novi eos doceat: quid inde concludere possent Enthusiastæ in gratiam systematis sui? Ergo.

Sequentia adhuc objiciuntur B. Pauli verba: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei... spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur*, I Cor. II, 25. Sed nullatenus adversarios juvant; ibi enim Apostolus redarguit Corinthios, qui, in fide adhuc recentes et imperiti, affectibus carnalibus nimis adhærentes, inter se de ministris Christi vane disputabant, dicentes: *Ego quidem sum Pauli... ego Apollo*, ibid. III, 4. Affirmat Paulus spiritualem hominem non sic insanire, sed omnia quæ sunt Dei multo rectius judicare, seu potius discernere, ut fert textus Græcus; et ipsum, cum sit spiritualis, a nemine merito judicari, id est condemnari posse, quia nihil est in

eo quod merito reprehendi queat (*Vide Estium in hunc textum*). Hic ergo non agitur de iudicio circa dogma ferendo, sed de actu morali. Aliunde directio Ecclesiae non excluditur.

Sic pariter facillime refelluntur cunctae objectiones quas adversarii ex aliis Scripturae sacrae textibus, plus minusve contortis, male nobis opponunt,

PROPOSITIO QUINTA.

Christus instituit in Ecclesia corpus docens, cui competit jus controversias circa fidem infallibiliter dirimendi; sicque sola admittenda est via auctoritatis.

Prob. 1^o. Vel Christus quoddam instituit in Ecclesia tribunal visibile ad controversias infallibiliter dirimendas, vel sola agnoscenda est Scriptura sacra, vel admittendus est spiritus Dei unicuique infusus; nullus enim alius excogitari potest supremus controversiarum fidei iudex: atqui, *ex probatis*, duo posteriora sunt falsa et absurda: ergo.

Prob. 2^o. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura sacra, traditione et rationibus theologicis: atqui, triplici hac via constat Christum instituisse in Ecclesia tribunal visibile ad, etc.

1^o Scriptura sacra. Matth. x, 14: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhæorum in die Iudicii, quam illi civitati.* Luc. x, 16: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit cum qui misit me.* Matth. xviii, 17: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Unde sic: Ex his textibus stricta est obligatio audiendi Apostolos prædicantes et Ecclesiam docentem; ergo Christus voluit ut haberent supremam auctoritatem cunctas fidei controversias infallibiliter dirimendi.

Multo clarius hanc supremam auctoritatem contulit illis post resurrectionem suam, quando dixit, Matth. xxviii,

18: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Certum est Christum his verbis Apostolos constituisse corpus docens, et specialem ad hoc ipsis concessisse potestatem: atqui hæc verba non solos spectabant Apostolos, sed eorum successores usque ad consummationem sæculi, ut fert textus et ipsi fatentur protestantes: igitur successores Apostolorum eandem habent potestatem docendi, et eadem existit obligatio eos audiendi. Porro talis non existeret obligatio eos audiendi, si in docendo errare possent. Ergo 2^o.

B. Paulus, Eph. iv, 11: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Unde sic: Christus pastores in Ecclesia instituit ad opus ministerii, ne sicut parvuli feramur omni vento doctrinae, ne astutia et nequitia hominum circumveniamur et in errorem dejiciamur: at, nisi constituisset corpus pastorum et doctorum ad cunctas fidei controversias infallibiliter dirimendas, tanquam parvuli essemus fluctuantes, omni vento doctrinae ferremur in astutia et nequitia hominum, etc., ut patet. Ergo 1^o constat Scriptura sacra Christum instituisse, etc.

2^o Traditione. Quod enim constanter creditum est ab Apostolis usque ad nos, in dubium revocari non potest: sed ab Apostolis usque ad nos semper creditum est Christum instituisse corpus infallibiliter docens in Ecclesia; namque a primis Ecclesiae sæculis usque ad protestantium tempora, quaecumque exortae sunt questiones circa fidem, sive apud Ecclesiam Romanam, sive apud sectas ab ea separatas, ad tribunal pastorum docentium delatae sunt, et eorum definitionibus adhærendum esse plebs Christiana semper credidit. Sic in controversia de legalibus observationibus inter fideles Antiochenos exorta, Act. xv, mise-

eo quod merito reprehendi queat (*Vide Estium in hunc textum*). Hic ergo non agitur de iudicio circa dogma ferendo, sed de actu morali. Aliunde directio Ecclesiae non excluditur.

Sic pariter facillime refelluntur cunctae objectiones quas adversarii ex aliis Scripturae sacrae textibus, plus minusve contortis, male nobis opponunt,

PROPOSITIO QUINTA.

Christus instituit in Ecclesia corpus docens, cui competit jus controversias circa fidem infallibiliter dirimendi; sicque sola admittenda est via auctoritatis.

Prob. 1^o. Vel Christus quoddam instituit in Ecclesia tribunal visibile ad controversias infallibiliter dirimendas, vel sola agnoscenda est Scriptura sacra, vel admittendus est spiritus Dei unicuique infusus; nullus enim alius excogitari potest supremus controversiarum fidei iudex: atqui, *ex probatis*, duo posteriora sunt falsa et absurda: ergo.

Prob. 2^o. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura sacra, traditione et rationibus theologicis: atqui, triplici hac via constat Christum instituisse in Ecclesia tribunal visibile ad, etc.

1^o Scriptura sacra. Matth. x, 14: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhæorum in die Iudicii, quam illi civitati.* Luc. x, 16: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit cum qui misit me.* Matth. xviii, 17: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Unde sic: Ex his textibus stricta est obligatio audiendi Apostolos praedicantes et Ecclesiam docentem; ergo Christus voluit ut haberent supremam auctoritatem cunctas fidei controversias infallibiliter dirimendi.

Multo clarius hanc supremam auctoritatem contulit illis post resurrectionem suam, quando dixit, Matth. xxviii,

18: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Certum est Christum his verbis Apostolos constituisse corpus docens, et specialem ad hoc ipsis concessisse potestatem: atqui haec verba non solos spectabant Apostolos, sed eorum successores usque ad consummationem saeculi, ut fert textus et ipsi fatentur protestantes: igitur successores Apostolorum eandem habent potestatem docendi, et eadem existit obligatio eos audiendi. Porro talis non existeret obligatio eos audiendi, si in docendo errare possent. Ergo 2^o.

B. Paulus, Eph. iv, 11: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Unde sic: Christus pastores in Ecclesia instituit ad opus ministerii, ne sicut parvuli feramur omni vento doctrinae, ne astutia et nequitia hominum circumveniamur et in errorem dejiciamur: at, nisi constituisset corpus pastorum et doctorum ad cunctas fidei controversias infallibiliter dirimendas, tanquam parvuli essemus fluctuantes, omni vento doctrinae ferremur in astutia et nequitia hominum, etc., ut patet. Ergo 1^o constat Scriptura sacra Christum instituisse, etc.

2^o Traditione. Quod enim constanter creditum est ab Apostolis usque ad nos, in dubium revocari non potest: sed ab Apostolis usque ad nos semper creditum est Christum instituisse corpus infallibiliter docens in Ecclesia; namque a primis Ecclesiae saeculis usque ad protestantium tempora, quaecumque exortae sunt quaestiones circa fidem, sive apud Ecclesiam Romanam, sive apud sectas ab ea separatas, ad tribunal pastorum docentium delatae sunt, et eorum definitionibus adhaerendum esse plebs Christiana semper credidit. Sic in controversia de legalibus observationibus inter fideles Antiochenos exorta, Act. xv, mise-

runt Paulum et Barnabam Jerusalem, ut Apostolos con-
sulerent : tunc Apostoli et seniores *convenerunt videre de
verbo hoc*, suamque sententiam in hanc formam tulerunt :
Visum est Spiritui sancto et nobis. Defunctis Apostolis,
dum adhuc savirent persecutiones, pastores Ecclesiae fre-
quenter congregati sunt, dogmata fidei definierunt atque
haereses proscripserunt. Sic concilium Antiochenum ad-
versus Paulum Samosatenum fuit congregatum; sic in
causa Rebaptizantium, multa concilia, sive Romae, sive in
Africa, celebrata sunt, et in omnibus pastores velut judi-
ces definierunt : pace data Ecclesiae, frequentiora et solem-
niora habita sunt concilia, non solum apud catholicos, sed
etiam apud sectas haereticas aut schismaticas : sic Ariani
concilia agebant, et definitiones fidei edebant; Graeci
schismatici aliaeque sectae orientales auctoritate pastorum
ducuntur : ergo a primis Ecclesiae saeculis usque ad pro-
testantium tempora et usque ad nos semper creditum
fuit, etc. Ergo.

Hanc praxim testimonia Patrum confirmant.

Origenes, Homil. 5 in Jerem. • Ecclesia Dei viventis ve-
ritate Verbi munita est. • S. Basilius, Epist. 114 : Nul-
lam vocem in ea (fide Nicæna) rejiciatis, sed sciatis tre-
centos Patres qui citra contentionem convenerunt, non
sine Spiritus sancti afflatu locutos esse. •

S. August. de Symb. (t. 6, p. 554) : • Ecclesia sancta,
Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra
omnes haereses pugnans, pugnare potest, expugnari ta-
men non potest... portæ inferi non vincunt eam. •

Vincentius Lirinensis, Com. 1, n° 23 : • Christi vero Ec-
clesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum
custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit,
nihil addit. • Innumera alia citari possent testimonia
non minus clara. Ergo, etc.

3° *Rationibus theologis*. Omnes societates humanae
auctoritate semper rectae sunt : sola auctoritate filii paren-
tes cognoscunt, subditi huic vel illi principi obediendum
esse sciunt, cives jura sua distinguunt, patres familiam
suam regunt, reges status suos gubernant, magistratus et

quilibet superiores inferiores suos moderantur. Omnis
ordo in qualibet societate ita pendet ab auctoritate, ut, ea
sublata, sempiternus sit horror : ergo a fortiori necesse est
ut in societate religiosa existat auctoritas a qua omnia pen-
deant.

Deus statuerat in veteri Lege ut omnes controversiae sa-
cerdotum auctoritate dirimerentur : *Qui autem superbie-
rit nolens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, morie-
tur homo ille, et auferes malum de Israel*, Deut. XVII, 12.
Ad hanc auctoritatem alludebat Christus quando Judaeis
dixit : *Super cathedram Moysis sederunt scribae et pha-
risaei : omnia ergo quaecumque dixerint vobis, facite*,
Matth. XXIII, 2. Tota autem religio Christiana, sicut reli-
gio Judaica, nititur factis, scilicet scripturis, miraculis,
prophetiis, verbis a Christo et ab Apostolis prolatis : atqui
non nisi via auctoritatis haec cognosci, transmitti et in vero
sensu accipi possunt : ergo, etc. ergo 3°, etc. aliunde, etc.
Ergo.

¶ Multi protestantes confessi sunt auctoritatem in Eccle-
sia necessariam esse; ipsi, ut remedium contra perpetuas
divisiones suas invenirent, ad auctoritatem recurrere co-
acti sunt; consistoria, colloquia, synodos provinciales et
nationales instituerunt Calvinistae. In famosa controver-
sia inter Armimianos et Gomaristas celebrem convocave-
runt synodum Dordracenam, anno 1618, et ex auctori-
tate dissidia componere frustra tentaverunt, ut narrat
Bossuet, Histoire des Variations, lib. 14, n° 21. Vide etiam
la Discussion amicale, t. 1, de Stark, etc.

In caeteris ecclesiis reformatis etiam nunc existit aliqua
species auctoritatis, cui subscribere tenentur ministri.
Omnes protestantes pueros et idiotas per viam auctoritatis
ad notitiam divinae revelationis ducunt. Admittunt ergo
necessitatem auctoritatis (saltem pro maxima parte fide-
lium. Cujus autem valoris est auctoritas doctorum qui
sibi ne concordare quidem possunt, in punctis majoris
momenti?

COROLLARIUM.

Sequitur ex dictis distinguendum esse in Ecclesia corpus

docens et corpus audiens, id est fideles qui pastoribus sub-
jici tenentur.

Fatentur protestantes Ecclesiam subsistere non posse nisi sint in ea pastores et ministri qui verbis et sacramentis populum Dei pascant; imo plerique nunc admittunt Ecclesiam universalem quadam infallibilitate passiva donari; dicunt enim fieri non posse ut error adversus fidem essentiali prævaleat, idque concludunt ex verbis Christi: *Ecce ego vobiscum sum, etc.* At, impudenter sibi contradicentes, negant infallibile esse corpus docens in Ecclesia. Catholici, e contra, utrumque firmiter credunt, scilicet, Ecclesiam universalem infallibilem esse in credendo, et corpus pastorum similiter infallibile esse in docendo, idque solide probant, ut ostendimus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Fides tam impossibilis est idiotis et simplicibus per viam auctoritatis quam per viam privati examinis: ergo rejicienda est via auctoritatis.

R. 1^o. Ex hoc argumento sequeretur fidem omnino impossibilem esse idiotis et simplicibus, imo et doctis, siquidem constat, ex dictis, eam via privati examinis obtineri non posse.

R. 2^o. *Nego ant.* Quod enim de facto existit dici non potest impossibile: at multi via auctoritatis edocti veram habent fidem; multi enim sunt qui Scripturas non examinauerunt, non comparaverunt, imo non legerunt, nec legere possent, et nihil omnino sciunt, nisi quod a parentibus, magistris et parochis didicerunt, sicque sola via auctoritatis fuerunt edocti: attamen veram habent fidem. Fides enim, juxta omnes, est actus supernaturalis quo firmiter adheremus veritatibus a Deo revelatis propter revelantis auctoritatem: porro talis fides sæpe invenitur in iis qui sola via auctoritatis fuerunt edocti: namque in iisveniuntur 1^o firma mentis adhæsiō veritatibus sibi propositis; 2^o adhæsiō supernaturalis, siquidem a gratia procedit et circa objectum supernaturale versatur; 3^o adhæsiō veritatibus a Deo revelatis, nempe veritatibus quas docet

Ecclesia, continent Scripturæ aut traditio, et credunt doctores; 4^o adhæsiō propter Dei auctoritatem; dicunt enim: *Credo quæ revelasti, quia revelasti et non potes falli nec me fallere.* Ergo ii omnes, etsi idiotæ aut simplices, veram habent fidem. Ergo, etc.

Et vero, in primis sæculis plures exstiterunt ecclesiæ quæ nullas habebant Scripturas: tunc ergo fideles non via privati examinis, sed sola via auctoritatis edocebantur et fidem obtinebant. Ipse Christus docuit, et misit Apostolos ad docendum, non vero ad disputandum, nec ad præbendas Scripturas legendas et discutiendas. Merito igitur B. Paulus dixit (Rom. x, 17), *Fides ex auditu*, non autem ex lectione, ex examine. Ergo, etc.

Inst. 1^o Auctoritas docens tuto audiri non potest nisi ejus existentia certo cognoscatur: at existentia auctoritatis docentis certo cognosci non potest nisi examine privato; ergo simplices et idiotæ non sola via auctoritatis docentur.

R. Dist. maj. Auctoritas docens... nisi ejus existentia aliquo modo noscatur, *concedo*, idque patet; nisi perfecte noscatur antequam doceat, *nego maj.* Fides enim supernaturalis eodem modo acquiritur ac fides naturalis. Porro fidem naturalem acquirunt pueri, simplices et idiotæ a matre, a patre, a circumstantibus, antequam perfecte sciant quæ sit matris, patris, nutricis aliorumque auctoritas, et ideo credunt quia natura impelluntur ad credendum: sed postea, quando vident alios homines easdem credere veritates, quando illarum veritatum concordantiam percipiunt, agnoscunt se prudenter egisse, matri, patri, nutrici credendo, quamvis rationem hujusmodi fidei sibi tunc non redderent. Eadem via pueri et simplices ad finem supernaturalem ducuntur, primo veritatibus a parentibus, parochis aliisque hominibus circumstantibus sibi propositis, simpliciter adherent, ne cogitantes quidem de ratione qua ad credendum determinantur. Postea vero, ipsorum intelligentia crescente, Ecclesiam audiunt, veritates ab ea edoctas sibi concordare percipiunt, fundamenta ejus auctoritatis perlustrant, læti agnoscunt quanta prudentia ei credatur, et quo magis jura illius considerant, eo

plenius firmantur in fide. In ea autem fide efformanda minime ducuntur examine privato. Ergo pueri et simplices, etc.

Hinc ruit celebris objectio ministri *Claude*. Cum enim *Bossuet* eum fortiter premeret, in publico quod inter se habuerunt colloquio, anno 1675, asserens quod, admissa privati examinis necessitate, infans ad aetatem discretionis perveniens actum fidei circa librorum sacrorum canonicitatem elicere non posset, imo et in aliquo instante de omnibus articulis fidei positive dubitaret, *D. Claude* idem argumentum contra illustrem adversarium suum statim retorquere conatus est his verbis, referente *Bossuet*: « Le » fidèle à qui on propose l'autorité de l'Eglise, ou la croit » sans l'examiner, ou il en doute: s'il doute, il est infidèle; s'il ne doute pas, par quelle autorité est-il assuré? » L'autorité de l'Eglise: est-ce une chose évidente par elle-même? et ne faut-il pas la trouver par quelque examen? » Voilà votre difficulté que vous avez à résoudre aussi » bien que moi; ou quittons-la tous deux, ou résolvons-la ensemble. Je vous déclare, pour moi, que je répondrai » pour l'Ecriture ce que vous me répondrez pour l'Eglise. » Hæc autem gravis difficultas manet soluta per responsionem modo datam.

Differentia inter modum quo ad fidem per examen privatum deveniendum esset, et modum quo ad eum per viam auctoritatis ducimur.

Actus fidei per viam privati examinis impossibilis est, saltem respectu puerorum et simplicium, facilis vero per viam auctoritatis.

1° Actus fidei per viam privati examinis impossibilis est pueris et simplicibus: *id sequitur ex dictis*. Si infans apud protestantes educatus, fidem in veritates revelatas habeat, ductus fuit auctoritate parentum et magistrorum, non vero proprio examine; imo, si solam sequeretur viam examinis privati, deberet primo de divinitate Evangeliorum aliorumque librorum canonicorum positive dubitare

ac proinde de tota religione; nam, his libris sibi oblatis, actum fidei circa illorum canonicitatem elicere non posset quin prius eos legisset, comparavisset et genuinum eorum sensum obtinuisset, siquidem profiteretur nullam existere auctoritatem infallibilem qua regi debeat. Ergo constituitur in dubio circa divinitatem Scripturæ. Porro repugnat hominem baptizatum, fide habituali imbutum de religione positive dubitare teneri. Quod fatebatur *Claude*: ergo 1°.

2° Admissa via auctoritatis, pueri et idiotæ actum fidei facile elicere possunt: *quod ut melius intelligatur, quædam sunt prænotanda.*

1° Certum est apud protestantes sicut et apud catholicos, infantes baptizatos esse filios Dei, Spiritum sanctum per gratiam sanctificantem in eis habitare, et fide habituali, sine qua *impossibile est placere Deo*, Hebr. XI, 6, eos informare.

2° Certum est fidem actualem divinum esse pariter donum Spiritus sancti. At existere non potest in nobis quin veritates revelatas certo cognoscamus. Ordinarie autem Spiritus sanctus, non immediate, notiones istas in nobis infundit, sed quibusdam utitur mediis externis ad illas in mentibus nostris inculcandas. An autem sola Scriptura, ut volunt protestantes; an vero Ecclesia, per quam Scriptura aliæque fidei veritates noseuntur, ut dicunt catholici: en nodus difficultatis.

Notandum est in actu fidei distinguenda esse 1° obiectum, id est, res revelatas quæ credendæ proponuntur; 2° principium fidei, quod est gratia divina voluntatem nostram ad credendum impellens; 3° motivum fidei proprium, quod est ultima ratio propter quam credimus, id est auctoritas Dei revelantis et summe veracis; 4° motiva credibilitatis quibus existentia revelationis evidenter constat; 5° regula qua sensus revelationis nobis certo innotescat. Hæc regula, juxta reformatos, est sola Scriptura; juxta catholicos, est Ecclesia Scripturæ libros infallibiliter tradens, et docens quænam veritates a Deo sint revelatæ.

plenius firmantur in fide. In ea autem fide efformanda minime ducuntur examine privato. Ergo pueri et simplices, etc.

Hinc ruit celebris objectio ministri *Claude*. Cum enim *Bossuet* eum fortiter premeret, in publico quod inter se habuerunt colloquio, anno 1675, asserens quod, admissa privati examinis necessitate, infans ad ætatem discretionis perveniens actum fidei circa librorum sacrorum canonicitatem elicere non posset, imo et in aliquo instante de omnibus articulis fidei positive dubitaret, *D. Claude* idem argumentum contra illustrem adversarium suum statim retorquere conatus est his verbis, referente *Bossuet*: « Le » fidèle à qui on propose l'autorité de l'Église, ou la croit » sans l'examiner, ou il en doute: s'il doute, il est infidèle; s'il ne doute pas, par quelle autorité est-il assuré? » L'autorité de l'Église: est-ce une chose évidente par elle-même? et ne faut-il pas la trouver par quelque examen? » Voilà votre difficulté que vous avez à résoudre aussi » bien que moi; ou quittons-la tous deux, ou résolvons-la ensemble. Je vous déclare, pour moi, que je répondrai » pour l'Écriture ce que vous me répondrez pour l'Église. » Hæc autem gravis difficultas manet soluta per responsionem modo datam.

Differentia inter modum quo ad fidem per examen privatum deveniendum esset, et modum quo ad eum per viam auctoritatis ducimur.

Actus fidei per viam privati examinis impossibilis est, saltem respectu puerorum et simplicium, facilis vero per viam auctoritatis.

1° Actus fidei per viam privati examinis impossibilis est pueris et simplicibus: *id sequitur ex dictis*. Si infans apud protestantes educatus, fidem in veritates revelatas habeat, ductus fuit auctoritate parentum et magistrorum, non vero proprio examine; imo, si solam sequeretur viam examinis privati, deberet primo de divinitate Evangeliorum aliorumque librorum canonicorum positive dubitare

ac proinde de tota religione; nam, his libris sibi oblatis, actum fidei circa illorum canonicitatem elicere non posset quin prius eos legisset, comparavisset et genuinum eorum sensum obtinuisset, siquidem profiteretur nullam existere auctoritatem infallibilem qua regi debeat. Ergo constituitur in dubio circa divinitatem Scripturæ. Porro repugnat hominem baptizatum, fide habituali imbutum de religione positive dubitare teneri. Quod fatebatur *Claude*: ergo 1°.

2° Admissa via auctoritatis, pueri et idiotæ actum fidei facile elicere possunt: *quod ut melius intelligatur, quædam sunt prænotanda.*

1° Certum est apud protestantes sicut et apud catholicos, infantes baptizatos esse filios Dei, Spiritum sanctum per gratiam sanctificantem in eis habitare, et fide habituali, sine qua *impossibile est placere Deo*, Hebr. XI, 6, eos informare.

2° Certum est fidem actualem divinum esse pariter donum Spiritus sancti. At existere non potest in nobis quin veritates revelatas certo cognoscamus. Ordinarie autem Spiritus sanctus, non immediate, notiones istas in nobis infundit, sed quibusdam utitur mediis externis ad illas in mentibus nostris inculcandas. An autem sola Scriptura, ut volunt protestantes; an vero Ecclesia, per quam Scriptura aliæque fidei veritates noseuntur, ut dicunt catholici: en nodus difficultatis.

Notandum est in actu fidei distinguenda esse 1° objectum, id est, res revelatas quæ credendæ proponuntur; 2° principium fidei, quod est gratia divina voluntatem nostram ad credendum impellens; 3° motivum fidei proprium, quod est ultima ratio propter quam credimus, id est auctoritas Dei revelantis et summe veracis; 4° motiva credibilitatis quibus existentia revelationis evidenter constat; 5° regula qua sensus revelationis nobis certo innotescat. Hæc regula, juxta reformatos, est sola Scriptura; juxta catholicos, est Ecclesia Scripturæ libros infallibiliter tradens, et docens quænam veritates a Deo sint revelatæ.

His prænотatis sic explicari potest quomodo pueri et illiterati apud catholicos actum fidei prudenter elicere possint.

Fidem habitualement divinitus sibi infusam habent; Spiritus sanctus in eis habitat, agit et operatur, illos paulatim disponit ad veritates revelatas explicite credendas statim atque certo noscuntur; illa fides est respectu fidei actualis sicut sunt radices respectu arboris.

Præcipuæ autem veritates revelatæ sic noscuntur.

Primo infantes et imperiti discunt a parentibus, a patre, ab aliis magistris et a circumstantibus, se fuisse baptizatos, ac baptismate factos filios Dei et Ecclesiæ; deinde Symbolum Apostolorum memoriter retinent, quotidie recitant, et in eo, simul agente Spiritu sancto, discunt Ecclesiam, unam, sanctam, catholicam et Apostolicam; discunt se in ea fuisse baptizatos, se in ea vivere et doceri, discunt illam a Christo filio Dei esse fundatam, speciali ipsius assistentia semper duci, privilegio infallibilitatis donari, et in omnibus esse audiendam. Hæc semina veritatis primo germinant in cordibus, radices produunt, crescunt, et plenam ac perfectam tandem informant fidem divinam in Ecclesiam, absque ulla discussione proprie dicta, sine ullo ratiocinio, sine ullo dubio interposito. Tam facile enim pueri et simplices fidem in Ecclesiam habere possunt, Spiritu sancto divinitus in eis agente, quam fidem naturalem in Deum in aliasque veritates naturales et evidentes; fidem naturalem in has veritates sic habent pueri et simplices: primas eorum notiones a parentibus accipiunt, eas paulatim percipiunt, deinde clare vident ac firmiter credunt. Nec dici potest illos prævia discussione indiguissse, vel in dubio circa illas veritates constitutos fuisse. Ergo similiter catholici non necessario constituuntur in dubio circa primas fidei veritates. Necessitatem auctoritatis facile percipiunt, vel potius sentiunt; existentiam Ecclesiæ cum auctoritate docentis quasi naturaliter credunt, modo diligenter instruantur in fide: accedentibus aliis notitiis, quotidie obfirmantur sicque paulatim ad *rationabile obsequium* perveniunt. Hoc autem articulo semel admissio, nihil facilius est quam cæteras

veritates fide divina credere. Unde sic lucide et egregie *D. Fénelon, Lettre sur la religion*:

« Représentons-nous un paralytique qui veut sortir de son lit, parce que le feu est à la maison; il s'adresse à cinq hommes qui lui disent: Levez-vous, courez, percez la foule, sauvez-vous de cet incendie. Enfin il trouve un sixième homme qui lui dit: Laissez-moi faire, je vais vous emporter entre mes bras. Croira-t-il les cinq hommes qui lui conseillent de faire ce qu'il sent bien qu'il ne peut pas? Ne croira-t-il pas plutôt celui qui est le seul à lui promettre le secours proportionné à son impuissance? Il s'abandonne sans raisonner à cet homme, et se borne à demeurer souple et docile entre ses bras. Il en est précisément de même d'un homme dans son ignorance; il ne peut écouter sérieusement les sectes qui lui crient: Lisez, raisonnez, décidez, lui qui sent bien qu'il ne peut ni lire, ni raisonner, ni décider; mais il est consolé d'entendre l'ancienne Église qui lui dit: Sentez votre impuissance, humiliez-vous, soyez docile, confiez-vous à la bonté de Dieu, qui ne nous a point laissés sans secours pour aller à lui. Laissez-moi faire, je vous porterai entre mes bras. »

Inst. 2^o. Pueri et simplices fidem auctoritati docenti adhibere non debent quin ipsius auctoritatis existentiam et jura sedulo examinauerint; ergo ad fidem pervenire nequeunt absque privato examine.

R. Nego ant. Eodem modo enim pueri et simplices, ut jam diximus, fidem supernaturalem suscipiunt ac fidem naturalem. Porro fidem naturalem suscipiunt a matre et a circumstantibus sine ullo prævio examine, sicque firmiter credunt, v. g. talem principem regno præesse, tales leges nos regere, etc.; ita parentes, magistros, parochos aliosque de rebus supernaturalibus loquentes audiendo, paulatim suscipiunt fidem, in ea firmanur et ne ullo quidem instanti privato utuntur examine. Ergo, etc.

Inst. 3^o. Rationabilis esse debet fides nostra: at rationabilis non esset, si existentia et jura auctoritatis docentis stricto subjecta non fuissent examini: ergo, etc.

R. Nego min. Rationabilis quippe est ea fides quæ via naturali unicuique proportionata efformatur : at talis est fides puerorum et simplicium auctoritate matris, patris, magistri, parochi, etc., credentium, licet fundamenta et jura hujusmodi auctoritatis non exploraverint. Rationabilis enim est fides qua veritates naturales et facta humana admittunt; ergo a pari et fides qua veritates supernaturales credunt.

Inst. 4^o. Qui fundamenta fidei auctoritate parentum, magistrorum, parochorum susceptæ explorare voluerint, ut tenentur adulti ratione præditi, dubitare incipient; ergo fides sic suscepta non est firma.

R. Nego ant. Filius qui titulos a patre sibi transmissos perfectius cognoscere intendit, eos legit, perlustrat, examini subjicit, sicque rationabilem acquirit certitudinem eosdem esse authenticos, veros, gloriosos, tutos, et ne uno instante dubitat de iis quæ adhuc puer a parentibus didicit; sic et Christianus bene edoctus, in scientia religionis proficiens, historiam Ecclesiæ percurrit, fundamenta et jura auctoritatis ejus examinat, rationes fidei suæ quarit, veritatibus a Deo revelatis sibi antea traditis magis ac magis firmiter adhæret et eas nunquam habet ut dubias. Ergo, etc.

Inst. 5^o. Fides quæ non est omnino certa non est vera fides : atqui fides puerorum et simplicium non est omnino certa. Ergo, etc.

R. Nego min. Illa enim fides est omnino certa quæ habet veritatem supernaturalem pro objecto, omnem excludit formidinem errandi, et infallibili nititur fundamento seu motivo : atqui talis esse potest fides puerorum et simplicium : potest enim 1^o habere veritatem supernaturalem pro objecto, si nempe accurata fuerit instructio; 2^o omnem errandi formidinem excludere, quando scilicet est firma, ut sæpe contingit; 3^o infallibili motivo inniti, videlicet auctoritate Dei. Ergo, etc.

Inst. 6^o. Fides puerorum et simplicium auctoritate parentum et parochi nititur; ergo non nititur motivo infallibili.

R. Nego ant. Pueri enim et simplices ducuntur quidem ad fidem auctoritate parentum et parochi : at fides eorum ipsamet Dei auctoritate per parentes et parochum eis manifestata innititur, ac proinde motivo infallibili. Sedulo igitur distinguenda sunt in fide, ut supra diximus, 1^o objectum, id est, veritates a Deo revelatæ; 2^o principium, scilicet gratia Dei; 3^o motivum proprium, quod est auctoritas Dei summe veracis, et 4^o media quibus ad fidem ducimur, et sunt motiva credibilitatis.

Inst. 7^o. Certitudo ad fidem requisita debet esse absoluta : atqui certitudo qua pueri et simplices veritates a parentibus et parochi sibi traditas credunt est tantum relativa : ergo pueri et simplices auctoritate parentum et parochi credentes veram non habent fidem.

R. Nego min. Media quibus pueri et simplices ducuntur ad fidem, sunt quidem relativa; unum convincunt et ad alium convincendum non sufficiunt. At certitudo his mediis acquisita est absoluta : importat enim conformitatem cum suo objecto, firmam mentis adhæSIONem et infallibilitatem in motivo adhæSIONis, videlicet in auctoritate Dei revelantis ac summe veracis. Sicut ergo ex fallibilibus individuorum testimoniis ad testimonium collectivum infallibile ducimur, sic et mediis relativis ad certitudinem absolutam pervenimus.

Inst. 8^o. Edificium firmiter esse non potest fundamento, ergo repugnat nos motivis relativis ad absolutam fidei certitudinem duci.

R. Nego conseq. Fides enim non nititur motivis credibilitatis sicut ædificium suo fundamento, sed nititur auctoritate Dei revelantis. Porro ad notitiam Dei revelantis variis ducimur mediis; ubi auctoritatem ejus noscimus, ea firmiter nitimur et in ea plene quiescimus.

Inst. 9^o. Fieri potest ut parochus impius oves sibi commissas in errorem inducat etiam circa dogmata magis essentialia : ergo fideles hac via prudenter credere non possunt.

R. Nego conseq. Fideles enim prudenter agunt quando sola via quam divina Providentia eis dedit utuntur, et

consuetas intelligentiarum regulas sequuntur : at sic agunt fideles in casu proposito, et fides naturalis qua totum societatis humanæ subsistit ædificium, non aliter formatur. Ergo, etc.

Aliunde vix contingere potest ut parochus oves suas, saltem diu, circa fidei essentialia decipere possit : mox enim reprehenderetur ab episcopo, ab aliis parochis aut sacerdotibus ; vel etiam a suis parochianis, qui facile comperirent illum non eandem prædicare doctrinam quam alii pastores annuntiant, sicque error detegeretur. Ergo, etc.

Inst. 10^o. Pueri et simplices eadem habent motiva credendi apud Græcos aliasque sectas quæ auctoritate ducuntur, ac apud nos : atqui tamen non prudenter credunt ; ergo, etc.

Ita adhuc minister *Claude* contra *Bossuet* in colloquio.

R. 1^o. *Negari potest major.* Eo magis enim lucidior est Ecclesiæ Romanæ auctoritas, quo attentius consideratur, dum Ecclesia Græca aliæque Orientales sectæ, si stricto subjiciantur examini, principio unitatis, caractere universitatis destitui videntur : hæc autem sufficiunt ut quædam saltem exurgant dubia.

R. 2^o. *Nego min.* Pueri enim et simplices apud Græcos aliasque sectas in quibus admittitur auctoritas docendi, prudenter agunt parentibus et pastoribus credendo, cum aliam non habeant viam sibi proportionatam qua de religione doceri queant ; si falluntur, hoc per accidens evenit.

Cæterum, non repugnat eos saltem frequenter veram habere fidem : illi enim veram habent fidem qui veritatibus a Deo revelatis firmiter ob ipsam Dei summe veracis auctoritatem adherent : atqui fieri potest et sæpe fit ut apud Græcos et alias sectas quæ auctoritate ducuntur, pueri et simplices veritatibus a Deo revelatis firmiter et ob ipsam Dei summe veracis auctoritatem adhæreant. Quod ut melius intelligatur, notandum est cum *Bossuet*, in colloquio citato, apud schismaticos et hæreticos vera a falsis accurate secernenda esse : qui apud illos valide baptizati sunt, eandem habent gratiam sanctificantem,

eandem dona Spiritus sancti, eandem fidem infusam ac ii qui apud nos baptizantur. Spiritus sanctus in eis habitans similiter eos impellit ad credenda mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis et alia vera, clare sibi exposita ; eos adhuc impellit ad credendam Ecclesiam, illius auctoritatem et infallibilitatem ; huc usque non errant et veram habent fidem. Quando autem præiudiciis attracti, aut falsis documentis decepti, notiones veræ Ecclesiæ sectis suis applicant, tunc incipiunt errare, et sub hoc respectu verum fidei actum elicere non possunt ; nam Spiritus sanctus eos impellere non potest ad falsa. Ergo. Attamen, si in hunc in aliosve errores invincibiliter inducantur, non peccant, nec virtutem fidei amittunt. Unde si alia non habeant peccata, salvabuntur.

Inst. 11^o. In his principiis puer et simplex, apud schismaticos et hæreticos, peccarent suam societatem deserendo ut veram Christi Ecclesiam amplecterentur : atqui hoc repugnat : ergo.

R. Dist. maj. Peccarent contra conscientiam, si falsitatem sectæ suæ nondum adverterent, *concedo* ; peccarent contra fidem, *nego*. *Ratio huius distinctionis patet.*

Inst. 12^o. Nunquam puer catholicus auctoritati parentum et parochi fidem denegare potest absque peccato : at auctoritas parentum et parochi eadem est respectu pueri Græci, v. g., ac respectu catholici : ergo.

R. 1^o. *Nego maj.* Si enim contingat puerum catholicum ex bona fide sibi persuadere quod parentes et parochus falsum dixerint, non peccabit fidem eorum auctoritati denegando.

R. 2^o. *Nego min.* Qui enim in vera Ecclesia erudiuntur, eo clarius iudicant eam esse veram quo magis in illius notitia proficiunt. Contra vero, qui alias sectas cum Ecclesia catholica comparant, ex qua parte stet veritas non difficile intelligunt. Ergo.

Inst. 13^o. Catholicus non majori zelo veritatem prosequitur quam Græcus aut alius Orientalis, qui auctoritate

parentum et parochi simpliciter credit quidquid sibi proponitur : ergo non facilius salvari potest.

R. Nego conseq. Meritum enim non ex solo hominis arbitrio deducitur, sed præcipue ex gratia Christi : at catholicus multo pluribus donatur gratiis, præsertim ad credendum, quam hæreticus aut schismaticus ; solam enim veritatem circa fidem docetur, etiam in teneris annis, dum alter, e contra, errorem sugit cum lacte, et ab illo postea non nisi difficile sese expedit. Ergo.

Hic objici posset quod Buddhistæ, Mahumetani et alii via auctoritatis ducti, in errorem impellantur, vel in ea retineantur. Verum qui via auctoritatis ducuntur, debent, quando usum rationis adepti sunt, motiva credibilitatis convenienter examinare : porro si Mahumetani, Buddhistæ aliique infideles motiva credibilitatis sedulo examini subiciant, aut si prædicatorem veritatis audiant, facile comperient suam religionem nullis fide dignis innixam esse fundamentis. Ergo, etc.

Obj. 2º. Ex una parte auctoritatem Ecclesiæ per auctoritatem Scripturæ probamus, et ex altera parte contendimus auctoritatem Scripturæ per Ecclesiam esse cognoscendam : ergo admittitur circulus vitiosus.

R. Retorqueo argumentum. Si a protestantibus quaeratur cur hos vel illos libros esse canonicos credant, respondebunt se id compertum habere ex Spiritu sancto, vel ex privato examine ; si vero ab ipsis petatur unde sciant unctionem Spiritus sancti aut privatam examen viam esse tutam ad cognoscendas Scripturas canonicas, affirmabunt se id cognoscere ex Scripturis illud aperte docentibus : ergo in circulo vitioso implicantur.

R. 2º. Distinguo ant. Ex una parte auctoritatem Ecclesiæ per auctoritatem Scripturæ probamus, et ex altera parte, etc., sub diverso respectu, *conc.* ; sub eodem respectu, *nego ant.* Itaque, vel adversarii admittunt Scripturas, vel non. Si prius, ipsis probare possumus auctoritatem Ecclesiæ per Scripturam, nempe *per argumentum* quod vocatur *ad hominem* : hinc secundum strictas logi-

cæ regulas argumentamur contra protestantes, dum ex Scripturis quas admittunt ut divinas, infallibilem Ecclesiæ auctoritatem astruimus.

Si autem cum his qui divinitatem Scripturæ non cognoscunt disputandum sit, aliam instituimus methodum : primo libros divinos considerantes velut monumenta humana, eorum authenticitatem, integritatem et veritatem, sicut aliorum cujusvis generis operum, demonstramus, testimonia Patrum aliaque traditionis monumenta colligimus : deinde hæc attente spectantes, videmus celebrem exstitisse hominem qui per evidentissima signa probavit se esse Deum, et religiosam instituisse societatem cui plures concessit prerogativas, et in primis auctoritatem infallibilem : inde concludimus definitiones hujus societatis absque ulla errandi formidine audiendas esse ; postea ostendimus eam nobis tradere Scripturas ut divinas, in hoc vel in illo sensu intelligendas : eas ergo ut tales accipere, venerari et intelligere debemus. Porro in hac utraque argumentandi methodo nullus instituitur circulus vitiosus, *ut patet : ergo.*

Hinc quando erudiuntur fideles, non proponitur ipsi Scriptura perscrutanda, sed fides *in unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Ergo.

Eodem principio aliud refellitur sophisma sic formatum : Ex una parte jus rationis in iis quæ pertinent ad fidem negatur, ex altera parte suprema rationis auctoritas admittitur, nempe in eis qui fidei quæstiones modo absoluto et irrevocabili definiunt.

Verum qui fidei quæstiones sic absolute definiunt, non ex propria ratione sic agunt, sed ex superna atque infallibili Spiritus Dei assistentia ; nova non creant dogmata, sed revelationis depositum magis explicant. Nulla ergo deprehenditur contradictio, nec ulla est apparentia hujus in credendo perfectibilitatis quam examinis privati defensores tantopere jactitant.

Obj. 3º. Hæc verba Christi quibus præcipue nititur infallibilitas Ecclesiæ : *Ecce ego vobiscum sum*, etc., intelligi possunt de promissione gratiæ ad bene docendum :

atque gratia finem suum non obtinet infallibiliter : ergo.

R. Dist. min. Gratia gratum faciens non obtinet finem suum infallibiliter, *concedo* ; gratia gratis data, *nego min.* Itaque duplex distinguitur gratia ; alia enim quæ immediate ad sanctificationem recipientis tendit : talis est gratia concessa peccatori ut convertatur, et justo ut perseveret ; a theologis vocatur gratia gratum faciens. Aliæ sunt gratiæ quæ ad spirituales recipientis utilitatem non conceduntur, sed ad gloriam Dei aut ad salutem populi ordinantur : talis est facultas operandi miracula et potestas administrandi sacramenta. Revera fatemur gratias gratum facientes suum non obtinere effectum nisi dependentes a libero hominis arbitrio ; sed gratiæ gratis datæ sunt independentes a dispositione recipientis et a bono aut malo usu libertatis : id omnes fatentur. Porro gratia pastoribus ad bene docendum collata est gratia gratis data, siquidem ad Ecclesiæ utilitatem ordinatur. Ergo.

Et vero, promissa Dei circa visibilitatem et perpetuitatem Ecclesiæ a nulla pendent conditione, alioquin nihil esset certum in prophetiis : at eodem sensu accipienda sunt hæc verba : *Ecce vobiscum sum*, etc. ; perpetua enim visibilitas Ecclesiæ pendet a ministerio pastorum. Insuper de promissione huius verbis expressa idem dicendum est ac de promissione facta Judæis de mittendo Salvatore : atque hæc promissio irritari non potuit ob multorum Judæorum malitiam : *Namquid incredulitas illorum fidem evacuabit ? absit*, Rom. III, 3 : ergo a pari promissio facta Ecclesiæ per hæc verba : *Ecce vobiscum sum*, etc., malitia pastorum evacuari non potest.

Inst. 1^o. Non solum infallibilitate, sed et aliis privilegiis Apostolorum, v. g. dono miraculorum, gauderent episcopi, si prædicta Christi verba ad eos extenderentur : atque *falsum antecedens ; ergo et consequens*.

R. Nego maj. Prædicta enim verba nihil aliud per se exprimunt quam auxilium efficax ad recte docendum ; cætera privilegia quibus gaudebant Apostoli alio nitebantur fundamento : vi ergo illius textus : *Ecce ego vobiscum sum*, etc., successoribus eorum tribui non possunt.

Præterea hæc verba non ad singulos Apostolos, sed ad totum collegium Apostolorum diriguntur : si ergo alia privilegia his verbis exprimerentur, ad corpus pastorum solummodo pertinerent, non vero ad singulos pastores seorsim sumptos. Ergo.

Inst. 2^o. Singuli episcopi seorsim errare possunt : ergo et eorum collectio.

R. Nego consequ. Nam privilegium infallibilitatis, de quo hic loquimur, a voluntate libera Christi pendet : potuit ergo Christus illud corpori pastorum tribuere, et singulis pastoribus seorsim sumptis denegare : porro id fecit, *ut patet* tum ex verbis citatis, tum ex constanti traditione. Sic in ordine naturali multa quæ individuis tribui nequeunt, collectioni competunt : v. g. multi collective sumpti possunt exercitum debellare, urbem obsidere, factum aliquod infallibiliter testari : hæc autem privati efficere non possunt : ergo.

Inst. 3^o. Fideles uniuscujusque diocesis tenentur, in principiis catholicorum, iudicio doctrinali proprii episcopi obedire : at iudicium unius episcopi non est infallibile : ergo.

R. Distinguo maj. Fideles iudicio episcopi sui obedire tenentur, obedientia subjectionis externæ et reverentiæ, *concedo* ; obedientia interna intellectus et voluntatis, *subdistinguo* : si iudicium episcopi doctrinam Ecclesiæ manifeste contineat, *concedo ant.* ; si iudicium episcopi non contineat manifeste doctrinam Ecclesiæ, *nego ant.* Etenim omnes fideles tenentur, juxta catholicos, episcopo suo iudicanti, definienti et docenti externam subjectionem, v. g. abstinere a legendo libro qui prohibetur, a propugnanda opinione quæ damnatur ; quia episcopus legitimam habet potestatem docendi, præcipiendi, prohibendi et obligandi : quotiescumque igitur potestate sua manifeste non abutitur, fideles ipsi obedire tenentur. Debent illi pariter obedientiam reverentiæ ; quia donec contrarium evidenter appareat, præsumitur recte docere. Item absolutam intellectus et voluntatis obedientiam illi præstare tenentur, si ipsius iudicium doctrinam Ecclesiæ clare contineat ; tunc

enim non præcise episcopo fallibili, sed Ecclesiae infallibili se subjiciunt.

Si autem episcopus errorem aperte doceat, vel meras opiniones pro dogmatibus proponat, tunc in hoc puncto nulla subjectio ipsi debetur; imo contra hujusmodi iudicium plures insurrexerunt doctores et simplices fideles. Ubi vero clare non advertitur an iudicium ejus doctrinae Ecclesiae consentiat vel dissentiat, fideles actum fidei circa illud elicere nec tenentur, nec possunt; actum enim fidei elicere non possumus nisi circa propositionem certo revelatam: at, in casu præsentis, propositio quam enuntiat episcopus non est certo revelata, siquidem auctoritas ejus est fallibilis. Ergo.

Obj. 4^o. Deus expressis verbis, Deut. xvii, 8 et 9, Synagogam constituerat supremum controversiarum fidei iudicem: atqui tamen Synagoga non erat infallibilis: ergo nec Ecclesia.

R. 1^o. *Nega maj.* Verbis enim allatis Deus constituit Synagogam iudicem inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, id est, in causis criminalibus, civilibus et caeremonialibus: illae autem causae non pertinebant ad fidem: immerito igitur concluderetur Deum constituisse Synagogam supremum controversiarum fidei iudicem.

R. 2^o. *Negari posset minor.* Multi enim contendunt Synagogam privilegio infallibilitatis fuisse donatam, et contrarium nullo facto demonstratur. Præcipuum quippe factum allegari solitum, quod minister *Claude* objecit *Bossuet*, est juridica Christi condemnatio: at factum istud non probat Synagogam infallibilitate fuisse destitutam. Etenim Deus eam instituerat ad tempus duraturam, prædixerat eam fore abrogandam, et novum foedus ei substituendum: at protestantes nobiscum admittunt Christum hoc foedus instituisse, Synagogam abrogasse, et evidentibus signis missionem suam probasse: splendida ergo tunc existebat auctoritas, nempe ipsa Veritas hominibus facta visibilis. Protestantes igitur hoc factum nobis objicere nequeunt. Unde *Bossuet* contra *Claude*:

« Avant Jésus-Christ nous avions la Synagogue: au point que la Synagogue devait défailir, Jésus-Christ parut lui-même; quand Jésus-Christ s'est retiré, il a laissé son Église à qui il a envoyé son Saint-Esprit. Faites venir Jésus-Christ enseignant, prêchant, faisant des miracles, je n'ai plus besoin de l'Église: mais aussi ôtez-moi l'Église, il me faut Jésus-Christ en personne, enseignant, parlant, prêchant, décidant avec des miracles et une autorité infallible. »

R. 3^o. *Nega conseq.* Etiam si ambæ concederentur præmissæ, nihil adversus propositionem nostram concludi posset. Nam 1^o sub lege Moysis paucissimæ erant veritates fidei necessario credendæ, scilicet, Deum esse remuneratorem et Messiam venturum: facillimum igitur erat duas veritates istas conservare et transmittere integras. 2^o Synagoga non erat sola controversiarum fidei iudex; Deus enim sæpe extraordinario Prophetarum ministerio suas manifestabat voluntates: si ergo Synagoga errorem docuisset, mox contra illam insurrexissent Prophetæ; e contra, in Ecclesia multæ sunt veritates fidei credendæ, sive explicitæ, sive saltem implicite; nihil facilius est quam errare in intelligendis Scripturis et in doctrina Christi spiritu privato interpretanda, et tamen nulla est in illa extraordinaria auctoritas. 3^o Tandem institutio Synagogæ et Ecclesiae fuit opus Dei externum et liberum: ergo Deus potuit uni infallibilitatem conferre et non alteri, ac proinde *admitti non potest argumentum a pari*, ut prætendit *Claude*.

Obj. 5^o. B. Paulus, II Cor. i, 23, ait: *Non quia dominamur fidei vestræ*: attamen Ecclesia fidei nostræ dominaretur, si quæstiones circa fidem cum infallibili auctoritate definiret et internum a nobis exigeret obsequium. Ergo. Sic iterum *Claude* contra *Bossuet*.

R. Distinguo textum B. Pauli. *Non dominamur fidei vestræ*, id est, eam non instituiamus aut reformamus pro arbitrio nostro, *concedo*; id est, non decernimus quæ sint credendæ, *nego*. Itaque Apostolus fidei Corinthiorum priori sensu non dominabatur; sed noluit affirmare se non decernere quid esset revelatum aut non revelatum,

quid proinde credendum vel non credendum; totus enim est in Epistolis suis ut sanam doctrinam Christi ostendat, abusus reprimat, errores avertat aut destruat. Porro non alio sensu Ecclesia fidei nostræ dominatur: decernit quid sit revelatum, quid igitur credi debeat; et sicut fideles credere tenebantur quidquid B. Paulus ipsos docebat, sic credere debemus quidquid Ecclesia nobis proponit ut revelatum; quia ex speciali Spiritus sancti assistentia, tam infallibilis est in interpretando revelationem, quam B. Paulus aliique scriptores sacri in eam promulgando et divina inspiratione scribendo. Unde S. Gregorius Magnus, Epist. ad Savinum subdiaconum, sic habet: « Quatuor synodos » sanctæ universalis Ecclesiæ sicut quatuor libros sancti » Evangelii recipimus. »

Cum tamen Ecclesia nihil novi possit revelare, sed tantum revelationem interpretari, ipsius definitiones non sunt proprie verba Dei, licet eadem gaudeant infallibilitate: inter eas igitur et Scripturam sacram notabile existit discrimen.

Obj. 6^o. Omnes Christiani auctoritatem Scripturæ admittunt, de auctoritate vero Ecclesiæ disputatur: ergo methodus protestantium certior est methodo catholicorum.

R. Negi conseq. Nam infallibilitas auctoritatis Ecclesiæ evidenter probatur, tum indirecte, confutatis aliorum opinionibus; tum directe, ut ex probationibus nostris constat. Imo hanc Ecclesiæ auctoritatem sæpe confessi sunt protestantes, sive expressis verbis, ut *Grotius, Leibnitz, de Starck, etc.*, sive sua agendi ratione, v. g. in synodo Charentoua, anno 1644, in qua error *Independentium* prescriptus est. Ergo.

Præterea, omnes Christiani conveniunt quidem infallibilem esse auctoritatem Scripturæ generatim sumptæ, sed inter se non consentiunt de divinitate talis aut talis libri in particulari, et multo minus de genuino sensu librorum quos venerantur ut sanctos: ergo falsum est methodum protestantium certiorum esse methodo supremæ auctoritatis quam admittunt catholici.

Circa gravissimam quæstionem hic agitatam, utilissime

legetur opus dictum: *Controverse pacifique sur la foi des enfants et des adultes ignorants, par Lefranc de Pompignan, necnon colloquium celebre Bossuet cum ministro Claude, pluries citatum, ex quo sequentia excerptimus, ut melius dignoscatur quid sentiendum de fide eorum qui apud hæreticos nascuntur et erudiuntur: « Distinguons dans » la créance des Grecs et des autres fausses Églises ce qu'il » y a de vrai, ce qu'elles ont de commun avec la vraie » Église universelle, en un mot, ce qui vient de Dieu » d'avec ce qui vient de la prévention humaine. Dieu met, » par son Saint-Esprit, dans le cœur de ceux qui sont » baptisés dans ces Églises, qu'il y a un Dieu et un Jésus- » Christ et un Saint-Esprit. Jusqu'ici l'erreur n'y est pas, » tout cela vient de Dieu... mais voici où commencent » les préventions humaines. C'est que ce baptisé, séduit » par ses parents ou par ses pasteurs, croit que l'Église où » il est est la véritable, et il attribue en particulier à cette » fausse Église tout ce que Dieu lui fait croire en général » de la vraie. Ce n'est pas le Saint-Esprit qui lui met cela » dans le cœur... En cet endroit, il commence à croire » mal. Ici donc commence l'erreur, ici la foi divine, in- » fuse par le baptême, commence à périr. Heureux ceux » en qui les préjugés humains sont joints à la vraie créance » que le Saint-Esprit met dans le cœur! Ils sont exempts » d'une grande tentation, et de la peine terrible qu'il y a » à distinguer ce qui est de Dieu dans la foi de leur Église, » d'avec ce qui est des hommes. Mais, quelque peine » qu'aient les hommes à distinguer ces choses, Dieu les » connaît et les distingue; et il y aura une éternelle diffé- » rence entre ce que son Saint-Esprit met dans le cœur » des baptisés, lorsqu'il les dispose intérieurement à croire » la vraie Église, et ce que les préventions humaines y » ont ajouté, en attachant leur esprit à une fausse Église. » Comment ces baptisés pourront démêler ces choses dans » la suite, et par quels moyens ils peuvent sortir de la » prévention qui leur a fait confondre l'idée de la fausse » Église où ils sont, avec la foi de la vraie Église, que le » Saint-Esprit leur a mise dans le cœur avec le Symbole,*

» ce n'est pas de quoi il s'agit ; et il suffit que nous ayons
 » vu dans tous les baptisés une créance de l'Église qui
 » leur vient de Dieu, distinguée de la pensée qui leur vient
 » des hommes. Cela étant, je soutiens qu'à cette créance
 » de l'Église, que le Saint-Esprit nous met dans le cœur
 » avec le Symbole, est attachée une ferme foi, qu'il faut
 » croire cette Église aussi certainement que le Saint-Es-
 » prit à qui le Symbole même la joint immédiatement, et
 » que c'est à cause de cette foi à l'Église, que le fidèle ne
 » doute jamais de l'Écriture. » *Cætera legantur apud Bos-*
suet.

Nota. Antequam discussioni huic gravis momenti finem imponamus, opportunum nobis videtur indicare perniciosum G. Hermesii systema, a sancta Sede condemnatum, et tamen a pluribus Catholicis susceptum ac defensum Coloniae, Bonnae, etc. Georgius *Hermes*, anno 1775 natus, et 1831 vita functus, a gubernio Prussiae professor theologiae catholicae in universitate Bonnensi nominatus, quaesivit media protestantes et Catholicos conciliandi. Ad fundamenta certitudinis fidei deveniens, docuit neminem actum fidei prudentem ac certum elicere posse quin prius de omnibus seriis sibi efformaverit dubium, neque rationabiliter credere, nisi praeviis demonstrationibus singulorum dogmatum veritatem ac consensum cum aliunde cognitum perceperit. Asserebat se, post anxias per multos annos disquisitiones, ad hunc scopum tandem feliciter pervenisse.

Patet, ex dictis, quantum illud systema fidei Christianae sit eversivum.

CAPUT SECUNDUM.

DE HIS IN QUIBUS RESIDET AUCTORITAS ECCLESIAE.

Recentiores quidam novatores, post *Antoine de Dominis* et fanaticum auctorem libelli anonymi, *du Témoignage de la vérité*, contenderunt omnes fideles vel esse fidei ju-

dices, vel necessarios ejus testes, ita ut definitiones episcoporum neminem obligare queant, nisi prius a Christi fidelibus approbentur. Hinc si qua sit divisio inter episcopos, licet pauci stent contra omnes, sola vox populi certa erit veritatis regula.

Haeretici communionis Anglicanae totam jurisdictionem et Ecclesiae potestatem regi suo vel reginae tribuunt, et apud eos suprema curia (*le parlement*) omnium fidei controversiarum est iudex.

Alii vero docent potestatem de controversiis fidei iudicandi episcopis et presbyteris pariter esse commune : ita praesertim auctor libri cui titulus : *Les pouvoirs légitimes du premier et du second ordre*, a facultate Nannetensi et a clero Gallicano proscripti.

Alii denique facultatem definiendi controversias fidei solis episcopis reservant, sed volunt eorum decretum esse nullum, si inconsultis ipsorum presbyteris feratur.

Quaestio itaque movetur 1° de plebe Christiana ; 2° de principibus saecularibus ; 3° de clericis et presbyteris ; 4° de episcopis. Primo diversos errores per sequentes propositiones impugnaturi sumus ; deinde per conclusionem manifestabimus veritatem.

PROPOSITIO PRIMA.

Plebs Christiana nullo modo est particeps jurisdictionis ecclesiasticae et potestatis dirimendi controversias circa fidem.

Hæc propositio habenda est ut de fide, ut pote æquivalenter contenta in definitione concilii Trid. sess. 23, cap. 8, et in Epist. Pii VI diei 10 martii 1791, contra constitutionem civilem cleri Gallicani directam, universae Ecclesiae nota et ab omnibus episcopis catholicis admissa.

Prob. Aliunde procul rejicienda est sententia quæ adversatur Scripturae sacrae, praxi Ecclesiae et rationi : atqui talis est sententia quæ simplicibus fidelibus tribuit potestatem de controversiis circa fidem iudicandi.

1° *Adversatur Scripturae sacrae.* Scripturae enim sacrae

» ce n'est pas de quoi il s'agit ; et il suffit que nous ayons
 » vu dans tous les baptisés une créance de l'Église qui
 » leur vient de Dieu, distinguée de la pensée qui leur vient
 » des hommes. Cela étant, je soutiens qu'à cette créance
 » de l'Église, que le Saint-Esprit nous met dans le cœur
 » avec le Symbole, est attachée une ferme foi, qu'il faut
 » croire cette Église aussi certainement que le Saint-Es-
 » prit à qui le Symbole même la joint immédiatement, et
 » que c'est à cause de cette foi à l'Église, que le fidèle ne
 » doute jamais de l'Écriture. » *Cætera legantur apud Bos-*
suet.

Nota. Antequam discussioni huic gravis momenti finem imponamus, opportunum nobis videtur indicare perniciosum G. Hermesii systema, a sancta Sede condemnatum, et tamen a pluribus Catholicis susceptum ac defensum Coloniae, Bonnae, etc. Georgius *Hermes*, anno 1775 natus, et 1831 vita functus, a gubernio Prussiae professor theologiae catholicae in universitate Bonnensi nominatus, quaesivit media protestantes et Catholicos conciliandi. Ad fundamenta certitudinis fidei deveniens, docuit neminem actum fidei prudentem ac certum elicere posse quin prius de omnibus seriis sibi efformaverit dubium, neque rationabiliter credere, nisi praeviis demonstrationibus singulorum dogmatum veritatem ac consensum cum aliunde cognitis perceperit. Asserebat se, post anxias per multos annos disquisitiones, ad hunc scopum tandem feliciter pervenisse.

Patet, ex dictis, quantum illud systema fidei Christianae sit eversivum.

CAPUT SECUNDUM.

DE HIS IN QUIBUS RESIDET AUCTORITAS ECCLESIAE.

Recentiores quidam novatores, post *Antoine de Dominis* et fanaticum auctorem libelli anonymi, *du Témoignage de la vérité*, contenderunt omnes fideles vel esse fidei ju-

dices, vel necessarios ejus testes, ita ut definitiones episcoporum neminem obligare queant, nisi prius a Christi fidelibus approbentur. Hinc si qua sit divisio inter episcopos, licet pauci stent contra omnes, sola vox populi certa erit veritatis regula.

Haeretici communionis Anglicanae totam jurisdictionem et Ecclesiae potestatem regi suo vel reginae tribuunt, et apud eos suprema curia (*le parlement*) omnium fidei controversiarum est iudex.

Alii vero docent potestatem de controversiis fidei iudicandi episcopis et presbyteris pariter esse commune : ita praesertim auctor libri cui titulus : *Les pouvoirs légitimes du premier et du second ordre*, a facultate Nannetensi et a clero Gallicano proscripti.

Alii denique facultatem definiendi controversias fidei solis episcopis reservant, sed volunt eorum decretum esse nullum, si inconsultis ipsorum presbyteris feratur.

Quaestio itaque movetur 1º de plebe Christiana ; 2º de principibus saecularibus ; 3º de clericis et presbyteris ; 4º de episcopis. Primo diversos errores per sequentes propositiones impugnaturi sumus ; deinde per conclusionem manifestabimus veritatem.

PROPOSITIO PRIMA.

Plebs Christiana nullo modo est particeps jurisdictionis ecclesiasticae et potestatis dirimendi controversias circa fidem.

Hæc propositio habenda est ut de fide, ut pote æquivalenter contenta in definitione concilii Trid. sess. 23, cap. 8, et in Epist. Pii VI diei 10 martii 1791, contra constitutionem civilem cleri Gallicani directam, universae Ecclesiae nota et ab omnibus episcopis catholicis admissa.

Prob. Aliunde procul rejicienda est sententia quæ adversatur Scripturae sacrae, praxi Ecclesiae et rationi : atqui talis est sententia quæ simplicibus fidelibus tribuit potestatem de controversiis circa fidem iudicandi.

1º *Adversatur Scripturae sacrae.* Scripturae enim sacrae

textus quibus nititur potestas docendi et iudicandi in Ecclesia, sunt hi: *Docete omnes gentes, etc. Prædicate Evangelium, etc. Quæcumque alligaveritis, etc. Qui vos audit, me audit, etc. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; Posuit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dci, etc.* At illi textus, in quantum potestatem divinam docendi et iudicandi exprimunt, ad fideles nullo modo diriguntur. Ergo.

2^o *Adversatur praxi Ecclesiæ.* Illi namque non sunt fidei iudices qui tales nunquam habiti sunt: atqui fideles, etc. In veteri enim Lege, non laicorum, sed tantum presbyterorum erat de rebus ad religionem pertinentibus iudicare, ut videre est præsertim Deut. xvii, 8. Similiter in nova Lege, soli Apostoli et seniores convenerunt ut questionem de legalibus definirent: ex conciliis plus quam sexcentis quæ jam celebrata sunt, ne unum citari potest in quo simplices laici de rebus fidei iudicaverint; semper appellata sunt ab historicis conventus episcoporum, nusquam vero dicta sunt cœtus laicorum. Ergo.

3^o *Adversatur rationi.* Repugnat enim 1^o Christum eos instituisse fidei iudices, quorum iudicium necessario esset tumultuosum et incertum; atqui tale esset iudicium multitudinis fidelium in materiis fidei, ut evidens est. Ergo 3^o, etc. aliunde, etc. Ergo.

Salvantur objectiones.

Obj. 1^o. B. Paulus, I Cor. v, 4, jubet ut fideles congregati incestuosum per excommunicationem ejiciant; et ibid. 11, 8, eosdem hortatur ut charitatem in illum confirmant, et aliquid ei magis donent: ergo fideles jurisdictionis ecclesiasticæ sunt participes.

R. Nego consequ. Nam in ipso loco Epistolæ citatæ B. Apostolus ait *ŷ. 3: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam iudicavi ut præsens eum qui sic operatus est... congregatis vobis... tradere hujusmodi Satanæ.* Ergo ipse sententiam tulerat, et executionem illius duntaxat Corinthiis mandat: in secunda vero Epistola, quos prioris sententiæ aliquo modo consortes fecerat, ab-

solutionis participes similiter facit: at inde concludi non potest simplices fideles jurisdictionis ecclesiasticæ esse participes. Imo probabile est sacerdotes apud Corinthios tunc exstantes, non vero laicos, sententiam Pauli significasse. Ergo.

Obj. 2^o. In concilio Hierosolymitano sederunt Apostoli, et seniores, et fratres, juxta textum Græcum, Act. xv, 23: atqui per fratres necessario intelligendi sunt laici: ergo.

R. Nego maj. et dico legendum esse, non ut in Græco, sed ut habetur in Vulgata, *Apostoli et seniores fratres.* Nam 1^o peritiores critici, post maturum examen, censuerunt Vulgatam in hoc puncto textui Græco anteponendam esse. 2^o Act. xv, 2, de fratribus ab Antiochia super hoc negotio missis, legitur eos ascendisse *ad Apostolos et presbyteros*; et *ŷ. 6* dicitur: *Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc.* Postea, *ŷ. 41, cap. seq.* Paulus, electo Sylla, præcipit fidelibus per Syriam et Ciliciam custodire præcepta *Apostolorum et seniorum.* Tollendæ sunt igitur particule Græcæ *xxi, u,* et legendum sicut in Vulgata, *et seniores fratres,* id est, episcopi.

PROPOSITIO SECUNDA.

Principes sæculares nullam habent auctoritatem in Ecclesia jure proprio.

Hæc propositio, sicut et præcedens, est de fide, ob eadem fundamenta.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Verba Christi superius citata, *Euntes docete... Qui vos audit...* non magis ad principes diriguntur quam ad simplices laicos, sed solummodo ad Apostolos eorumque successores: ergo ex his aliisque Scripturæ verbis probari non potest Christum aliquam auctoritatem in Ecclesia principibus concessisse: attamen nullam hujusmodi potestatem habere possunt, nisi Christus eam illis concesserit: ergo.

B. Paulus, Eph. iv, 11, eos enumerans quos dedit Chri-

stus ad ædificationem corporis sui mystici, id est, Ecclesie; nominat Apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores: nullo modo autem principes sæculares designat: ergo.

2^o *Traditione.* Principes vere Christiani libenter agnoverunt se nullam habere auctoritatem in res spirituales, et ipsis plausit universus orbis. Sic Constantinus Magnus patres Nicænos alloquens exhibetur. Hist. eccl. Euseb. l. 10, c. 2: « Deus vos constituit sacerdotes, et dedit vobis potestatem de nobis quoque judicandi, et ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis a nobis judicari. »

Theodosius junior ad concilium Ephesinum dicit: « Nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere. » *Labbe.* Eodem sensu præstantissimi regum nostrorum semper locuti sunt.

Quando autem nonnulli principes minus pii ecclesiasticam auctoritatem usurpare voluerunt, publicam totius Ecclesie indignationem provocaverunt: unde celebrer Osius, Cordubensis episcopus, ad Constantium imperatorem scribens, ait: « Ne te immisceas rebus ecclesiasticis: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit: quemadmodum qui tibi imperium abripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ad te Ecclesiam trahas, magni criminis reus fias. » *Labbe.* Ergo.

3^o *Ratione.* Principes infideles, v. g. Nero, Diocletianus, Julianus Apostata cæterique Christianorum persecutores non erant controversiarum fidei iudices, nec jurisdictionis ecclesiasticæ participes: atqui principes fideles non plus habent jurisdictionis in Ecclesia quam infideles; si talem enim haberent jurisdictionem, vel quatenus sunt principes, vel quatenus sunt Christiani: atqui neutrum dici potest. 1^o Non quatenus sunt principes; sub eo enim respectu infidelibus non præcellunt. 2^o Non quatenus sunt Christiani, siquidem Baptismus non plus auctoritatis confert principibus quam aliis Christianis. Ergo.

Præterea, supremam potestatem civilem ipsæ mulieres

nonnunquam obtinent; at illas jurisdictione ecclesiastica potiri quam indecens ac inauditum sit nemo non videt. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Tempore veteris Legis, principes sæculares auctoritatem spirituales exercebant, ut patet de Moyse, Josue, David, Salomone, Josaphat, etc. Ergo.

R. 1^o. Dist. ant. Principes sæculares auctoritatem spirituales exercebant, extraordinarie, per concessionem Dei specialem, *conc.*; ordinarie et velut principes, *nego.* Etenim 1^o Moyses specialem potestatem ea statuendi quæ religionem spectabant a Deo acceperat. 2^o Josue, David, Salomon, Josaphat alique principes nonnulla statuerunt aut præscripserunt circa religionem, sed vel tanquam prophetæ et ex missione extraordinaria, vel ut diligentius ea quæ Lex præcipiebat implerentur: porro in ea agendi ratione nihil erat quod jura sacerdotum læderet. 3^o Quando rex Ozias thus adolere voluit, Azarias, summus pontifex, eum repulit, dicens: *Non est tui officii, Ozia, adolere incensum Domino, sed sacerdotum,* II Paral. XXVI, 18; cum autem graviter insisteret, extemplo horrenda percussus est lepra. Ergo.

R. 2^o. Nego conseq. In iis enim quæ a libera voluntate Dei pendent, admitti non potest *a pari*: at concessio auctoritatis spiritualis a libera Dei voluntate pendet. Ergo, etiamsi constaret principes sæculares eam sub veteri Legge exercuisse, nihil inde concludi posset.

Obj. 2^o. Multi principes Christiani varias leges ad Ecclesie regimen spectantes promulgaverunt, ut constat ex omnibus historiis, et præsertim ex Capitularibus Caroli Magni, Ludovici Pii, etc. Ergo.

R. Disting. ant. Varias leges ad Ecclesie regimen spectantes promulgaverunt, sed de consensu episcoporum et summi Pontificis, *concedo*; absque ullo consensu, *subdistinguo*: et potestatem suam excedebant, *conc.*; secus, *nego ant.* Itaque fateor principes sæculares non semel tulisse leges ad regimen Ecclesie pertinentes: sed ordinarie id fa-

ciebant ex consensu, et aliquando ex precibus episcoporum et summi Pontificis, qui potestatem civilem in adjumentum auctoritatis spiritualis advocabant. Si autem consensus pastorum legibus hujusmodi non accedebat, tunc limites potestatis suæ excedere censebantur principes. Unde nonnulla eorum edicta ab Ecclesia fuerunt rescissa, v. g. *Ecthesis Heraclii et Typus Constantis*. Si vero aliquoties contigerit ut contra istiusmodi leges non statim reclamaverint pastores, id ex prudentia, ad vitanda majora mala, factum est.

Quod ad Capitularia regum nostrorum attinet, certum est illa non tantum civili, sed simul utraque potestate, ecclesiastica et civili, fuisse condita; nam in comitiis generalibus in quibus condebantur, semper aderant episcopi cum primoribus regni. Aliunde nihil continebant nisi quod Ecclesiæ canonibus jam erat statutum. Ergo.

Inst. Principes sæculares impedire possunt ne quædam Ecclesiæ decreta vim in ditionibus suis habeant: ergo quamdam auctoritatem spiritualem habent.

R. Dist. ant. Principes sæculares impedire possunt ne decreta disciplinam spectantia, etc., *transcat*; ad fidem aut mores pertinentia, *nego ant.* Equidem non negamus principes sæculares aliquando impedire posse ne quædam disciplinæ decreta vim in ditionibus suis habeant, quia spectant materias mixtas, civiles simul et ecclesiasticas, et ideo utrique potestati subjiciuntur: at principes impedire non possunt ne decreta Ecclesiæ fidem aut mores spectantia vim in ditionibus suis habeant; tunc enim potestatem spiritualem exercerent, quam non acceperunt a Christo, et quæ ipsis nunquam tributa fuit in traditione. Ergo.

DIRECCIÓN GENERAL DE
PROPOSITIO TERTIA.

Simplices presbyteri non sunt jure divino controversiarum fidei iudices.

Prob. Simples presbyteri hoc sibi vindicare non possunt quod Scriptura non fundatur, praxi Ecclesiæ et ra-

tionem adversatur: atqui tale est jus quod sibi vindicarent de questionibus circa fidem judicandi.

1^o *Scriptura sacra non fundatur.* Nullus enim exhibetur textus alicujus momenti. Cura docendi, predicandi, populo Christiano invigilandi, Ecclesiam regendi Apostolis eorumque successoribus committitur: nulla autem fit mentio de simplicibus presbyteris: ergo.

2^o *Praxi Ecclesiæ adversatur.* 1^o A concilio Hierosolymitano usque ad Tridentinum, plus quam sexcenta celebrata sunt concilia, tum generalia, tum nationalia aut provincialia: in paucis simplices presbyteri sederunt, et in paucioribus subscripserunt. 2^o Subscribendo utebantur modo speciali, a forma episcopis consueta diverso. Sic namque subscribebant episcopi: *Ego N. definiens vel judicans subscripsi*: presbyteri vero simpliciter scribebant: *Ego N. subscripsi*. 3^o Non omnes ad subscriptionem admittebantur, verum ii duntaxat qui ab episcopis erant deputati, eos representabant ac ipsorum nomine subscribebant. 4^o Innumera celebrata sunt concilia absque presbyteris, ut ex Actibus eorum patet. 5^o Nunquam directe convocati sunt, sed soli episcopi. 6^o A deliberatione et subscriptione pluries repulsi sunt, ut in concilio Lugdunensi II, anno 1274, ex quo sacerdotes, qui nominatim non fuerunt convocati, ejecti sunt, et in concilio Tridentino cujus patres vocem deliberativam concedere noluerunt D. Soto, celebri theologo. Ergo 2^o.

3^o *Adversatur rationi.* Vel enim sacerdotes ignorassent se talem habere potestatem, vel non: at neutrum dici potest. Non prius; nam potestas de fide judicandi est essentialis Ecclesiæ: si ergo Christus eam simplicibus presbyteris concessisset, non permisisset eam tanto tempore penitus ignorari: universa quippe Ecclesia in gravissimum errorem tunc impegisset. Posterius similiter dici non potest; si enim simplices presbyteri tale jus sibi competere novissent, certe illud sibi auferri tam facile non tulissent, ut ne unum vestigium alicujus reclamationis inveniatur.

Præterea, inter adversarios, alii omnia concilia generalia admittunt, alii saltem quatuor priora; ita protestantes: at,

ex hypothesi quod simplices presbyteri jus habeant sedendi in conciliis et quæstiones fidei judicandi, omnes eodem jure ac episcopi convocari debuissent : verum nunquam generatim convocati sunt ad concilia sive generalia, sive particularia : ergo 3^o, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Plurima Scripturæ sacræ verba quibus fundatur auctoritas controversias circa fidem judicandi, non minus presbyteris quam episcopis conveniunt, v. g. *Quæcumque alligaveritis super terram, Matth. xvii, 18; Qui vos audit, etc. Dedit quosdam apostolos... quosdam pastores et doctores.* Ergo.

R. Distinguo ant. Quædam ex prædictis testimoniis non minus presbyteris quam episcopis conveniunt, in aliquibus, nempe in his quæ ipsis cum episcopis sunt communia, v. g. baptizare, prædicare, offerre Eucharistiam et penitentiam administrare, *concedo ant.*; conveniunt in omnibus et eodem modo, *nego ant.* Etenim quædam sunt ita propria episcopis ut presbyteris non conveniant, fatentibus adversariis, qualis est potestas confirmandi, ordinandi, sententias depositionis ferendi. Hæc tamen episcoporum potestas in iisdem supradictis textibus specialiter fundatur, et ex perpetuo Ecclesiæ usu ac constanti traditione concluditur eam solis episcopis competere. Porro non minus constat, ex praxi et usu Ecclesiæ, auctoritatem judicandi et controversias circa fidem dirimendi ad solos episcopos pertinere. Ergo.

Inst. 1^o. Nomen episcopi communiter tribuitur in Scriptura presbyteris et episcopis; v. g. Act. xx, 28, Paulus vocavit majores natu Ecclesiæ Ephesinæ et eis dixit: *Attendite vobis, etc.* Unicus esse poterat episcopus Ephesi: igitur majores natu erant presbyteri, Philip. 1. 1, B. Paulus loquitur *sancis qui sunt Philippis cum episcopis et diaconibus*; unicus pariter debebat esse episcopus in illa civitate, et Apostolus non omisisset presbyteros, si illos sub nomine episcoporum non designasset, etc. Ergo

eadem auctoritate ac episcopi donantur presbyteri ad docendum, sicque ad judicandum de fide.

R. 1^o. Si premerentur hæc argumenta, sequeretur nullum dari discrimen inter episcopos et presbyteros: atqui novatores quos hic impugnamus hanc sequelam non admittunt: ergo prædicta argumenta nihil probant.

R. 2^o. Nego ant. Episcopi pluries vocantur in Scripturis sacerdotes aut presbyteri; verum non ita constat simplices presbyteros per nomen episcopi designatos esse: vocavit quidem Apostolus majores natu Ecclesiæ ab Epheso, et eos appellat episcopos. Hinc recte infertur episcopos vocari posse majores natu vel seniores: at non sequitur presbyteros dici posse episcopos. Tunc enim non solus episcopus Ephesinus, sed alii viciniore potuerunt simul B. Paulum adire Miletum: et merito idem Apostolus illis dicere potuit: *Attendite vobis, etc.* Hæc itaque verba de solis episcopis sunt intelligenda, prout ea de facto intellexerunt patres concilii Tridentini, sess. 23, de Ordine, c. 4; similiter et abbas *de Saint-Cyran*, ac quatuor episcopi qui primi a constitutione *Unigenitus* ad futurum generale concilium appellaverunt. Ergo.

R. 3^o. Nego conseq. Etiam si concederetur nomen episcopi in Scripturis commune esse ipsis episcopis et presbyteris, non sequeretur episcopos presbyteris superiores non esse; in usu enim civili, sub communi nomine omnes magistratus designantur: attamen alii sunt aliis superiores: ergo *a pari, etc.*

Insuper, Epist. B. Pauli quæ ad Philippenses inscribitur, juxta plures, non tantum directa est ad eos qui habitabant Philippis, sed ad vicinas quoque civitates in quibus erant episcopi cum diaconis. Sæpe tunc temporis nullus erat presbyter in ecclesiis, sed episcopi duntaxat quibus serviebant diaconi, et tot erant episcopi quot civitates. *Vide Estium* in hunc locum. Ergo.

Inst. 2^o. Illi pares sunt episcopis qui alios presbyteros et etiam episcopos ordinabant: atqui simplices presbyteri alios, etc., ut patet ex verbis B. Pauli, I Tim. iv, 14:

Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii. Ergo.

R. 2º. Nego mia. Sæpe enim episcopi, ut jam diximus, vocantur presbyteri; quando autem de consecrando episcopo agitur, ex antiquissimo usu Ecclesiæ plures episcopi manus imponunt, licet unus sacramentum conficiat: ergo ibi forte agitur de episcopis qui, in ordinatione Timothei, caeremoniam manuum impositionis impleverunt.

Et revera, Apostolus per impositionem manuum presbyterii, hic propriam manuum suarum impositionem exprimere intendit; nam in Epistola secunda, 1, 6, ad eundem Timot. dicit: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ergo.

Obj. 2º. In concilio Hierosolymitano simplices presbyteri sederunt et judicarunt, ut patet ex Act. xv, 2: *Et statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas... ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem;* et v. 23: *Apostoli et seniores fratres qui sunt Antiochia,* etc. Ergo.

R. Nego aut. Nam, ut vera esset propositio objecta, probandum foret 1º vocem presbyteros tam sacerdotes quam episcopos significare; 2º simplices sacerdotes non tantum sedisse, sed etiam judicasse; 3º judicasse ex jure proprio, non ex solo privilegio: at tria hæc probari nequeunt. Ergo.

Constat voces presbyteros et seniores non raro designare episcopos. Sic B. Joannes, secunda et tertia Epist. 1, 1, seipsum vocat seniore. B. Paulus ad Titum, 1, 5: *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros,* et statim subjungit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse.* Ergo illæ voces, presbyteri, seniores, non semper sacerdotes secundi ordinis designant.

Præterea, vox apud nos usitata, *clerus*, episcopis et presbyteris est communis: attamen sæpe, ex circumstantiis et absque ullo addito, solos episcopos designat; v. g. quando dicitur comitia cleri Gallicani, *clerus Gallicanus* has aut illas propositiones damnavit: ergo a pari, etsi voces istæ seniores, presbyteri, sacerdotibus primi et secundi ordinis

sint communes, possunt tamen ex circumstantiis solos episcopos designare: porro, ex omnium sæculorum traditione et universa praxi Ecclesiæ, constat ad solos episcopos pertinere de fide judicare: ubi ergo legitur seniores aut presbyteros circa fidem aut mores judicasse, dicendum est illos fuisse episcopos.

Obj. 3º. Sacerdotes secundi ordinis, et præsertim parochi, jure divino deputantur ad docendum: at auctoritas quæstiones circa fidem judicandi annexa est potestati institutæ ad docendum: ergo.

R. Dist. maj. Sacerdotes secundi ordinis, et præsertim parochi, jure divino deputantur ad docendum, sed dependent et auctoritate limitata, et quantum ad institutionem ipsius sacerdotii, *conc.*; absolute et primaria auctoritate, *nego maj.* Similiter, *distincta minore, nego conseq.* Itaque fateor sacerdotes secundi ordinis specialiter a Deo fuisse institutos ut docerent, sacramenta administrarent, etc., sed non nisi dependenter et limitata auctoritate, ut toto traditionis decursu constat et adversarii fatentur. Porro ex traditione non minus constat jus controversias circa fidem dirimendi eis solis competere qui absolutam habent potestatem docendi et Ecclesiam Dei regendi: ergo.

Obj. 4º. Simples sacerdotes deputari possunt ab episcopis, et tunc in conciliis admittuntur, cum episcopis sedent ac judicant; duo sacerdotes Romani ex delegatione summi Pontificis, concilio Nicæno I cum celebri Osio præfuerunt; religiosorum ordinum generales et abbates, cardinales presbyteri, ex usu in conciliis sedent ac judicant. Ergo.

R. 1º. Ex hoc argumento concludendum foret non solum presbyteros, sed et diaconos controversiarum fidei esse judices; nam diaconi ab episcopis deputari possunt, et revera pluries in conciliis admissi sunt: atqui nolunt adversarii diaconos controversiarum fidei esse judices: ergo.

R. 2º. Nego conseq. et dico nihil ex his factis adversus propositionem nostram concludi posse; contendimus enim simplices sacerdotes non esse jure divino controversiarum

fidei iudices : at prædicta facta contrarium non probant, *ut patet*, sed tantum monstrant episcopos per sacerdotes aut diaconos representari posse.

Constat autem hujusmodi delegatos non nisi ex speciali concessione in conciliis sedisse ut consultores, et vocem deliberativam non habuisse; concilium Tridentinum hanc facultatem ipsis denegavit; vix obtentum est ut suffragia trium abbatum Cassinensium pro unico computarentur (Palav. l. 6, c. 2). Ergo.

Quoad abbates et generales ordinum, nonnulli arbitrantur suffragia illorum vim consultationis tantum habuisse, non autem vim deliberationis et iudicii. Communius docetur, si agatur de conciliis generalibus, eos esse convocandos et habere suffragium decisivum, sed ex consuetudine ac privilegio, non vero ratione dignitatis, quæ non a Christo, sed ab Ecclesia tantum fuit instituta. In conciliis vero particularibus, non habent suffragium decisivum, nec etiam necessario convocari debent, nisi habeant, quod aliquando accidit, jurisdictionem quasi episcopalem. Vide *Ferraris*, vº Concil. art. 1, nº 30.

Inst. 1º. Potestas de fide iudicandi a solo Deo pendet: nemini ergo ab Ecclesia conferri potest.

R. Nego conseq. Etenim tota jurisdictio ecclesiastica a solo Deo pendet: at tamen singuli episcopi eam delegare possunt: potestas autem de rebus fidei iudicandi ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinet: ergo non repugnat eam simplicibus presbyteris ab Ecclesia conferri posse.

Inst. 2º. Qui habent facultatem de fide iudicandi, privilegii infallibilitatis fiunt participes: at repugnat Ecclesiam privilegium infallibilitatis alicui conferre: ergo.

R. Dist. maj. Qui habent facultatem... privilegii infallibilitatis fiunt participes, id est, cooperantur infallibili sententiæ, *concedo*; ipsi infallibilitatis fiunt realiter participes, *nego maj.* Etenim privilegium infallibilitatis non individuis, sed corpori episcoporum fuit promissum: ita omnes sentiunt. Unde hæc sola sententia est infallibilis quæ nomine episcoporum fertur. Verum accessio quorundam cardinalium non episcoporum, abbatum aut genera-

lium ordinum regularium ex privilegio subscribentium non impedit quin sententia nomine episcoporum feratur.

Nullus est locus timendi ne presbyteri in nimio numero admissi episcopis prævaleant; cum enim vocem deliberativam habere non possint nisi ex libera episcoporum concessione, nunquam in majori numero admittentur. Aliunde, vel episcopis consentirent, vel non. Si prius, nulla difficultas; sententia esset episcoporum: si posterius, tunc decretum ut legitima fidei definitio non haberetur. Ergo.

Quæritur 1º quo fundamento simplices presbyteri delegari possint ad iudicandum de fide.

R. Juxta communem theologorum sententiam sic rationandum est: Ex pluribus factis constat simplices presbyteros aliquando suffragium decisivum habuisse in conciliis, sed nunquam nisi ex speciali episcoporum vel summi Pontificis concessione: proprio igitur titulo non sunt fidei iudices, sed ex commissione tales fieri possunt. Inde concludunt eos capacitatem iudicandi in ordinatione sua accipere. Rem illustrent exemplo: Soli episcopi sunt ordinarii ministri sacramenti Confirmationis: attamen presbyteri, ex delegatione seu ex commissione summi Pontificis, valide et licite illud sacramentum administrare possunt: ergo in ordinatione sua quamdam facultatem circa hoc sacramentum accipiunt: similiter dici potest eos certam iudicandi capacitatem in ordinatione accipere.

Imo et diaconi hujusmodi capacitatem accipere videntur; nam ad sacram hierarchiam pertinent, et aliquando sederunt in conciliis ac suffragium dederunt, v. g. cardinales diaconi. Ergo. At privilegium istud ab Ecclesia concedi non posset subdiaconis et aliis clericis, quia de hierarchia non sunt. *Ita communiter theologi.*

Quæritur 2º an episcopi dicti *in partibus infidelium* ordinarii sint fidei iudices.

R. Qui ad infideles vere mittuntur, etiam tanquam vicarii Apostolici, juxta communem opinionem, habent vocem deliberativam; item qui sub titulo coadjutoris instituantur, quia jurisdictionem episcopalem habent et Ecclesiam Dei regunt. Contra vero qui simpliciter sunt titu-

lares, aliorum episcoporum suffraganei. Ita *Cannus*, de auctoritate concil. c. 2, et *Suarz*. Multi alii theologi ac canonistæ contendunt titulares episcopos jurisdictionem in actu primo habere, et, remota infidelium tyrannide, eam in ecclesiis quarum sunt titulares exercere posse: unde concludunt eos ad concilia generalia eum suffragio decisivo convocandos esse. Ita *Jacobatius*, *Ferraris*, v^o *Concil.* art. 1, n. 29.

Qui autem sedibus suis renuntiarunt, juxta omnes, non sunt fidei iudices; quia nullam jurisdictionem habent nec ullo modo Ecclesiam Dei regunt.

Qui aperte sunt hæretici aut publice schismatici, ad concilia aliquando vocantur ut causam suam defendant, et ad veram fidem adducantur; sed vocem deliberativam non habent.

PROPOSITIO QUARTA.

Simplices presbyteri non sunt necessarii fidei testes et episcoporum consilarii.

Prob. Si presbyteri jure divino necessarii essent fidei testes et episcoporum consultores, ut quidam Jansenii et *Quæsnel* discipuli volunt, nullam vim haberent conciliorum decreta non vocatis et inconsultis presbyteris lata: atqui tamen multa celebrata sunt concilia non vocatis nec consultis presbyteris, et nihilominus eorum decreta ab omnibus semper habita sunt ut legitima: ergo.

Et vero, si presbyteri necessarii essent fidei testes, vel omnes, vel aliquos tantum episcopi consulere deberent: atqui neutrum dici potest: non prius, quia sæpe est impossibile et nunquam fuit in usu; non posterius, alioquin illorum testimonium non esset jure divino necessarium, quia omnes ratione dignitatis jure divino sunt æquales. Itaque convenit quidem episcopos, ut mos est, nonnullos sibi adungere sacerdotes scientia, pietate et experientia conspicuos, quorum expectant consilium, præsertim in rebus alicujus momenti, v. g. in controversiis circa fidem. At validitas sententiæ episcopalis ab hujusmodi consultatio-

nibus non pendet; tota enim potestas, tum judicandi, tum præcipiendi et gubernandi, in solis episcopis residet; sufficientem autem rerum notitiam obtinere possunt ex Scripturis sacris, ex SS. Patribus, ex diversarum ecclesiarum traditionibus, ex historia ecclesiastica, ex testimonio et opinione aliorum episcoporum, etc. Ergo.

PROPOSITIO QUINTA.

In propria sua diœcesi simplices presbyteri jus non habent causas fidei judicandi et leges ferendi, nec necessario sunt episcopi consultores.

Prob. 1^o. Simples presbyteri non sunt necessarii fidei testes et episcoporum consilarii in Ecclesia generatim spectata, ut probavimus; ergo nec in propria diœcesi: non majorem enim habent auctoritatem jure divino in propria diœcesi quam in Ecclesia generatim spectata; 2^o simplices presbyteri jus istud sibi vindicare non possunt nisi ex Scriptura sacra aut traditione: atqui neque ex Scriptura sacra, neque ex traditione probari potest tale jus ad sacerdotes pertinere. 1^o *Non ex Scriptura.* Nam textus ex quibus deducitur jus Ecclesiam gubernandi, auctoritas docendi et controversias circa fidem dirimendi, solos episcopos spectant, ut supra ostendimus. 2^o *Non ex traditione.* Nullum enim affertur exemplum lucidum in gratiam hujus propositionis; contra vero ex universa praxi Ecclesie videtur episcopos per seipsos, et independenter a sacerdotibus, suam ecclesiam rexisse, leges condidisse, dogmatica decreta tulisse, etc. Et revera, legitur in constitutionibus Apost. 1. 2, c. 26: « Qui episcopus est.. hic princeps et dux vester est; hic vester rex et dynastes; hic vobis post Deum terrenus deus, cui honorem debetis præstare: de eo quippe et de similibus aiebat Deus: » *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes; et diis non maledices.* Igitur episcopus vobis præsideat tanquam Dei dignitate condecoratus, ob quam clero præest et plebi universæ imperat. » *Cotel.* Porro episcopus non diceretur rex, dynastes, deus, si independenter a sacerdoti-

lares, aliorum episcoporum suffraganei. Ita *Canus*, de auctoritate concil. c. 2, et *Suarz*. Multi alii theologi ac canonistæ contendunt titulares episcopos jurisdictionem in actu primo habere, et, remota infidelium tyrannide, eam in ecclesiis quarum sunt titulares exercere posse: unde concludunt eos ad concilia generalia eum suffragio decisivo convocandos esse. Ita *Jacobatius*, *Ferraris*, v^o *Concil.* art. 1, n. 29.

Qui autem sedibus suis renuntiarunt, juxta omnes, non sunt fidei iudices; quia nullam jurisdictionem habent nec ullo modo Ecclesiam Dei regunt.

Qui aperte sunt hæretici aut publice schismatici, ad concilia aliquando vocantur ut causam suam defendant, et ad veram fidem adducantur; sed vocem deliberativam non habent.

PROPOSITIO QUARTA.

Simplices presbyteri non sunt necessarii fidei testes et episcoporum consilarii.

Prob. Si presbyteri jure divino necessarii essent fidei testes et episcoporum consultores, ut quidam Jansenii et *Quæsnel* discipuli volunt, nullam vim haberent conciliorum decreta non vocatis et inconsultis presbyteris lata: atqui tamen multa celebrata sunt concilia non vocatis nec consultis presbyteris, et nihilominus eorum decreta ab omnibus semper habita sunt ut legitima: ergo.

Et vero, si presbyteri necessarii essent fidei testes, vel omnes, vel aliquos tantum episcopi consulere deberent: atqui neutrum dici potest: non prius, quia sæpe est impossibile et nunquam fuit in usu; non posterius, alioquin illorum testimonium non esset jure divino necessarium, quia omnes ratione dignitatis jure divino sunt æquales. Itaque convenit quidem episcopos, ut mos est, nonnullos sibi adungere sacerdotes scientia, pietate et experientia conspicuos, quorum expectant consilium, præsertim in rebus alicujus momenti, v. g. in controversiis circa fidem. At validitas sententiæ episcopalis ab hujusmodi consultatio-

nibus non pendet; tota enim potestas, tum judicandi, tum præcipiendi et gubernandi, in solis episcopis residet; sufficientem autem rerum notitiam obtinere possunt ex Scripturis sacris, ex SS. Patribus, ex diversarum ecclesiarum traditionibus, ex historia ecclesiastica, ex testimonio et opinione aliorum episcoporum, etc. Ergo.

PROPOSITIO QUINTA.

In propria sua diœcesi simplices presbyteri jus non habent causas fidei judicandi et leges ferendi, nec necessario sunt episcopi consultores.

Prob. 1^o. Simples presbyteri non sunt necessarii fidei testes et episcoporum consilarii in Ecclesia generatim spectata, ut probavimus; ergo nec in propria diœcesi: non majorem enim habent auctoritatem jure divino in propria diœcesi quam in Ecclesia generatim spectata; 2^o simplices presbyteri jus istud sibi vindicare non possunt nisi ex Scriptura sacra aut traditione: atqui neque ex Scriptura sacra, neque ex traditione probari potest tale jus ad sacerdotes pertinere. 1^o *Non ex Scriptura.* Nam textus ex quibus deducitur jus Ecclesiam gubernandi, auctoritas docendi et controversias circa fidem dirimendi, solos episcopos spectant, ut supra ostendimus. 2^o *Non ex traditione.* Nullum enim affertur exemplum lucidum in gratiam hujus propositionis; contra vero ex universa praxi Ecclesie videtur episcopos per seipsos, et independenter a sacerdotibus, suam ecclesiam rexisse, leges condidisse, dogmatica decreta tulisse, etc. Et revera, legitur in constitutionibus Apost. l. 2, c. 26: « Qui episcopus est... hic princeps et dux vester est; hic vester rex et dynastes; hic vobis post Deum terrenus deus, cui honorem debetis præstare: de eo quippe et de similibus aiebat Deus: » *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes; et diis non maledices.* Igitur episcopus vobis præsideat tanquam Dei dignitate condecoratus, ob quam clero præest et plebi universæ imperat. » *Cotel.* Porro episcopus non diceretur rex, dynastes, deus, si independenter a sacerdoti-

bus non posset Ecclesiam regere, leges condere, decreta ferre, etc. Quamvis ille textus non sit authenticus, saltem est antiquissimus. Ergo.

Unde solus episcopus est absolute pastor suæ diocesis; solus habet auctoritatem regendi ac gubernandi Ecclesiam suam; solus est jure divino perpetuus seu *inamovibilis*; solus habet jurisdictionem tanquam in fonte eamque aliis communicat; sacerdotes quoslibet, etiam parochos, canonicos, suis legibus obstringere, censuris ligare potest, sicut et simplices fideles, quia hæc omnia sunt consecrataria plenitudinis ejus auctoritatis.

Dices: Concilium Carthaginense IV, can. 23, jubet ut « episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia. » Ergo.

R. 1^o. Inde sequeretur omnes clericos facultatis iudicandi et potestatis leges condendi esse participes: hoc autem consecrarium negant adversarii. Ergo.

R. Dist. ant. Jubet ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum, ut solemnior et firmiter sit sententia atque regimen episcopale suavius appareat, *concedo ant.*; quasi episcopus sufficientem non habeat jurisdictionem ad leges condendas et controversias fidei iudicandas, *nego ant.* Sic evidenter explicari possunt prædicta concilii Carthag. verba, ac consequenter nihil contra nos probant.

Idem cum debita proportionem dicendum est de collegio cardinalium in Ecclesia Romana respectu summi Pontificis; tota jurisdictione sedi Romanæ annexa, in solo Pontifice maximo residet, et non nisi ex institutione ecclesiastica cardinales sunt illius consultores.

Nota. Quidquid de simplicibus presbyteris diximus, de parochis similiter intelligendum est. Multi quidem theologi, præsertim in Gallia, acriter contendunt, contra Bellarminum et plures alios, parochos septuaginta duorum discipulorum quorum fit mentio apud S. Lucam, c. 10, legitimos esse successores, eos proinde divinitus esse institutos et jurisdictionem immediate a Christo obtinere. Ita cum Facultate Parisiensi, *Habert*, de Ord. c. 6; *Collet*, de

Ord. c. 5; *Bailly*, de Eccles. 3^a parte, c. 2; *Conf. d'Ang. des États et de la Hiér.* At nihilominus omnes consentiunt eos ab episcopis pendere, tum in sua institutione, tum in jurisdictionis suæ limitibus aut exercitio, et solum jure ecclesiastico esse inamovibiles. Etenim, saltem in tribus primis Ecclesiæ sæculis, et probabilius in sequentibus adhuc sæculis, territorium diversarum dioceseon non erat in parochias divisum: unica communiter erat Ecclesia in qua episcopus cœtibus fidelium præerat, verbum divinum prædicabat et Missæ sacrificium pro populo offerebat. Sacerdotes, diaconos aliosque inferiores clericos sibi adjunctos habebant, qui illum ratione dignitatis plus minusve adjuvabant. Multitudine fidelium nimis crescente, permittebat ut novi cœtus alibi fierent: his præficiabant sacerdotes qui nomine ipsius populum docebant, sacra peragebant et diversis ministerii sacri officiiis fungebantur: hujusmodi cœtus decursu temporum multiplicati sunt, et paulatim conversi sunt in parochias.

Sacerdotes ad nutum episcopi ita missi, sic et revocari poterant. Decursu temporum, ut regimen Ecclesiæ firmiter esset, et præsertim ut gravia tollerentur incommoda ex *amovibilitate* provenientia, v. g. dissidia, ambitiones, simoniacæ conventiones in collatione beneficiorum, sive ex parte collatorum laicorum, sive ex parte clericorum petentium, statutum est non in aliquo concilio, vel aliqua constitutione apostolica generali, sed paulatim, ex usu, ut titulares semel instituti revocari seu amoveri non possent, nisi secundum regulas sat difficiles: unde dicti sunt *inamovibiles*. Quo tempore hæc inamovibilitas evasit generalis et firma, non constat. *Nardi*, auctor eruditus operis in lingua italiana scripti, cui titulus: *Dei parochi*, 2 vol. in 4^o, *Pesaro* typis mandati annis 1829 et 1830, contendit eam non fuisse consummatam nisi in duodecimo sæculo.

Nunc autem in Gallia, post Concordatum anni 1801, soli parochi primarii (*curés de canton*) hoc privilegio gaudent. Cæteri, qui *deservientes* appellantur, ad voluntatem episcopi, sicut vicarii et quicumque delegati, revocari possunt.

Hæc autem disciplinæ mutatio non ex sola potestate civili facta est, ut quidam asserere non dubitant, sed ex consensu utriusque, videlicet auctoritate civili proponente, et auctoritate ecclesiastica accedente. Articulo 9 Concordati statutum fuerat episcopos novas facturos esse circumscriptiones parochiarum dioceseon suarum. Enormis facta est parochiarum reductio, gubernio exigente, sed episcopis consentientibus, et multæ aliæ creatæ sunt parochiæ vulgo dictæ *succursales*. Qui eis gubernandis præponuntur, vocantur in administratione civili *desservants*; vulgo vero dicuntur *curés* et ordinariam habent jurisdictionem, sicut parochi primarij. Vide dicenda in tractatu *de Ordine*, cap. v, art. 2, § 2, prop. xiv.

Sive autem parochi sint amovibiles, sive non, constat episcopum immediatam habere jurisdictionem in tota diocesi. Nec admitti potest opinio eorum qui volunt parochos ita jure divino existere, ut episcopus in diversas diocesis suæ parochias solummodo mediatam jurisdictionem habeat: nam, ante parochiarum existentiam, immediatam habebat jurisdictionem in totam diocesim: porro divisio parochiarum jurisdictionem ejus tollere non potuit: ergo. Vide *Confer. d' Ang., de la Hiér.*

COROLLARIUM PRIMUM.

Constat ex dictis solos episcopos jure divino esse judices controversiarum circa fidem. Probavimus enim 1º Christum instituisse in Ecclesia corpus docens; 2º potestatem ei dedisse cunctas fidei controversias infallibiliter dirimendi; 3º hanc potestatem plebi Christianæ non competere; nec principibus sæcularibus, nec simplicibus presbyteris, sive sint parochi, sive non: restat ergo ut soli episcopi eam habeant.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Sequitur pariter ex dictis episcopos non simpliciter habendos esse tanquam fidei testes, sed proprie loquendo tanquam judices; non solum enim testantur has aut illas veritates in deposito revelationis contineri, sed insuper

decernunt eas fide divina esse credendas, et anathemate plectunt eos qui contrarium dixerint.

Quædam tamen sunt notanda, nempe 1º episcoporum esse invigilare in suis dioceseibus ne sana doctrina corrumpatur; 2º nascentem errorem denunciare privatim aut publice, prout opportunum ipsis videbitur, ac reprimere teneri; 3º silentium circa novitatem exortam imponere posse etiam sub pœna excommunicationis, donec summus Pontifex, ad cujus judicium causam deferre debent, pronuntiaverit: at internum fidei actum episcopus exigere non potest in materiis nondum definitis, quia privilegio infallibilitatis non gaudet. Unicum quippe est tribunal certo infallibile in Ecclesia, scilicet corpus episcoporum capiti suo junctorum, et sola hujus tribunalis sententia internum fidei actum exigere potest.

4º In materiis controversis episcopus non habet jus cohibendi in sua diocesi libertatem opinandi, sentiendi, judicandi, discutiendi: attamen si contententes notas hæresis vel schismatis publice inurerent adversariis, ab eis exigere posset, etiam cum censuris, ut ab hujusmodi denominationibus abstinerent; quia solius est Ecclesiæ propositiones definire, et decernere quid sit hæreticum vel schismaticum.

5º Si dubium sit an propositio aliqua sit in materia controversa vel ad fidem pertineat, episcopus respectuosum præscribere potest silentium donec sententia Romani pontificis intervenerit, et tunc omnes parere tenentur, quia præsumptio est pro superiore.

6º In conciliis œcumenicis sententia per modum unius fertur, et omnes episcopi ad eam active tanquam judices concurunt, licet præcipua pars ad summum Pontificem, quatenus est pars Ecclesiæ, pertineat.

7º Si vero summus Pontifex dogmaticum ex cathedra ferat decretum, illudque ad omnes transmittat episcopos, docetur Romæ episcopos illud judicare non posse, quia jam est completum, ut judicium, sed tantum illud acceptare. Eo sensu Clemens XI scripsit ad clerum Gallicanum qui arbitratus fuerat se bullam *Vinea Domini Sabaoth*

judicare posse. (*Vide* d'Argentré, *Collect. Jud.* tom. 3, part. 2, p. 453 et seq.)

CAPUT TERTIUM.

DE MODO QUO AUCTORITAS ECCLESIE DOCENTIS EXERCERI DEBET. UT ILLIUS DECISIO SIT INFALLIBILIS.

Quinque hic proponi possunt quæstiones : 1^o qualis esse debeat unanimitas episcoporum, ut eorum sententia sit infallibilis ; 2^o utrum episcopi per orbem dispersi controversias circa fidem infallibiliter dirimere possint ; 3^o utrum in eo casu requiratur consensus eorum expressus, an vero tacitus sufficiat ; 4^o quid de condemnatione propositionum *in globo* sentiendum sit ; 5^o quamnam sit auctoritas conciliorum. De his omnibus in quinque articulis dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNANIMITATE EPISCOPORUM UT SENTENTIA EORUM SIT INFALLIBILIS.

Duplex distingui potest episcoporum unanimitas, physica scilicet et moralis : dici posset episcopos physice unanimes esse, si omnes, ne uno quidem excepto, circa idem punctum consentirent ; unanimitas autem est moralis, ubi multo major pars eorum in idem consentit.

Certum est 1^o unanimitem physicam non esse necessariam ut iudicium episcoporum sit infallibile ; alioquin nulla hæresis legitime damnata fuisset, nulla enim fuit quæ saltem aliquos patronos inter episcopos non habuerit : aliunde, sæpe difficile et aliquando impossibile est omnes episcopos assensum suum manifestare et suffragium emitte : ergo unanimitas moralis sufficit.

Certum est 2^o minorem numerum episcoporum, cæteris contradicentibus, sententiam infallibilem proferre non posse ; nam infallibilitas corpori episcoporum promissa

est : at minor numerus, majori oppositus, corpus illud non repræsentat, *ut evidens est* : ergo.

Sola *majoritas*, seu pluralitas suffragiorum, communiter sufficit in collegiis virorum deliberantium, ut feratur sententia quæ totius corporis esse censetur. Sic causæ terminantur in tribunalibus nostris, in publicis conventibus, etc. Attamen hæc dispositio est arbitraria, et alias formas homines statuere potuissent, sicut de facto aliquoties statutum est, v. g. pro electione Papæ ; duo enim ex tribus vocibus necessario requiruntur (*les deux tiers*). Nullum est dubium quin Christus efficere potuerit ut sola pluralitas sufficiat : sed, cum nihil circa hoc punctum expresse dixerit, ad constantem Ecclesiæ praxim recurrendum est, ut quid semper factum sit noscatur, et quid faciendum iudicetur.

Certum est 3^o nullam habitam fuisse rationem, in sæculis præteritis, episcoporum numero evidenter inferiori reluctantium. Sic episcopi Ariani, Donatiste, Nestoriani, Græci, etc., rejecti sunt velut hæretici aut schismatici.

Certum est 4^o Ecclesiam nunquam tulisse sententiam ob pluralitatem stricte sumptam ; non quia iudicavit talem sententiam futuram esse nullam, sed quia sapientius arbitratur in hujusmodi divisione opinionum nihil definire. Quæstio igitur ad hoc præcipue reducitur, an scilicet pars episcoporum notabiliter major, summo Pontifici conjuncta, privilegio infallibilitatis in decisionibus fidei certe gaudeat, ita ut unanimitas moralis non sit necessaria.

Duplicem unanimitem episcoporum distinguunt Jansenista, unam antecedentem ad decretum, et alteram subsequentem. Fatentur unanimitem antecedentem necessariam non esse, nec ordinarie possibilem ; at contendunt unanimitem subsequentem omnino necessariam esse. Vel, inquirunt, episcopi reluctantes ab Ecclesia rejiciuntur, vel non : si prius, perfecta est unanimitas, siquidem dissentientes jam non sunt de Ecclesia ut pote excommunicati : si posterius, quæstio non censetur definita, cum reluctantes adhuc sint in Ecclesia. *His notatis*, sit

PROPOSITIO.

Pars notarie major episcoporum, summo Pontifici junctata, infallibilis est in decisionibus fidei, licet quidam episcopi ex adverso reclamant, nec nominatim excommunicentur.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiae, testimoniis Patrum et rationibus theologicis.

1° *Scriptura sacra.* Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum, etc.* Unde sic. Infallibilitas his verbis promissa Apostolis et eorum successoribus, ad eos spectat quatenus sunt corpus morale : ergo, ut iudicium illorum sit infallibile, requiritur tantum consensus hujus corporis : at ubi pars notabiliter major capiti junctata pronuntiat, sententia merito iudicatur esse totius corporis : ergo.

2° *Praxi Ecclesiae.* Ut haeretici habiti sunt Pelagiani, quibus decem et octo patrocinabantur episcopi ; Donatistae, quibus centum et quinquaginta : Ariani, quibus multo plures, etc. : velut schismatici habentur Graeci, non obstantibus tot episcopis, archiepiscopis et patriarchis causam eorum defendentibus eosque gubernantibus. Ergo.

3° *SS. Patrum testimoniis.* Patres concilii Ephesivi sic aiunt : « Perabsurdum est ducentorum et decem sanctorum episcoporum synodo, quibus et universa Occidentium sanctorum episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero sese opponere. » Idem habent S. Athanasius contra Arianos, S. Aug. contra Donatistas et Pelagianos, etc. Ergo, etc.

4° *Rationibus theologicis.* 1° Si majori episcoporum parti summo Pontifici junctata standum non esset, unusquisque expendere deberet an veritas cum majori vel cum minori numero episcoporum reperitur, sicque admittenda esset via examinis privati cujus absurditatem demonstravimus. 2° Auctoritas a Christo Ecclesiae concessa nihil prodesset, quia fere nunquam infallibiliter pronuntiaret. Ergo.

Hinc 1° decretum a parte episcoporum notabiliter ma-

jori summo Pontifici junctata, latum, eo ipso ad fidem pertinet, quamvis plures alii episcopi adversus illud reclamant.

Hinc 2° praedicto decreto semel lato, et promulgato, omnes sive laici, sive presbyteri, sive episcopi, quidquid huc usque opinati fuerint, sincere et interne adhaerere tenentur.

Hinc 3° qui postea pertinaciter reluctantur, sunt haeretici, licet nominatim non excommunicentur ; articulo enim catholicae fidei reipsa adversantur.

Nec dici potest definitionem nondum esse consummatam, quia Ecclesia reluctantes e sinu suo non eiecit ; nam eieci possunt, cum iudicio decretorio obstant : ergo constat veritatem apud eos non esse. Si autem non eiciantur nominatim, id fit ex prudentia, ne scilicet majora inde nascantur scandala, ne ipsi fiant contumaces et fideles in ruinam suam inducant, etc. ; at pessime inferretur rem non esse finitam.

Quaeritur utrum mera episcoporum pluralitas ad decisionem fidei sufficeret.

R. Mera pluralitas a summo Pontifice sejuncta non sufficeret ; merito namque dici non posset totum corpus tunc representari ; sed mera pluralitas summo Pontifici junctata totum corpus episcopale sufficienter representare videtur : sic corpora politica et tribunalia representari censentur. Cum tamen inde maxima exurgerent incommoda, *ut patet*, praesumere licet Christum non permissurum ut episcopi sic dividantur ; vel si de facto ita dividerentur, majoritas a ferendo fidei decreto abstineret, quemadmodum pluries a pronuntiando abstinuerunt Patres Tridentini, et tunc controversia non terminata esset : talis diu fuit quaestio Rebaptizantium olim famosissima inter summum pontificem Stephanum et S. Cyprianum.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN EPISCOPI PER ORBEM SPARSI CONTROVERSAS CIRCA FIDEM INFALLIBILITER DIRIMERE POSSINT.

Quaestio non est utrum episcopi per orbem dispersi

omnes controversias fidei judicare debeant, sed utrum infallibiliter eas dirimant, ex hypothese quod judicent. Nonnulli novatores, Jansenii et *Quesnel* asseclae contendunt solum concilium generale quæstiones fidei obscuras infallibiliter dirimere posse; libenter tamen concedunt Ecclesiam dispersam, seu episcopos per orbem diffusos, in quæstionibus claris et apertis infallibiliter judicare. Dicunt autem eas quæstiones esse apertas, quæ communiter de fide credebantur ante suscitatum hæresim, qualis erat divinitas Verbi cum exortus est Arius; eas vero esse obscuras in quibus hinc et inde disputatur in scholis, salva fidei substantia. Juxta catholicos, Ecclesia dispersa aliquando a ferendis judiciis abstinet; quia, ex variis circumstantiis, prudenter æstimat necessarium esse concilium generale. At quotiescumque essentiam emittit, infallibiliter judicat, nec quisquam sub prætextu obscuritatis dissentire potest: cum quibus sit

PROPOSITIO.

Episcopi per orbem dispersi, summo Pontifici juncti, quascumque fidei controversias, sive claras, sive obscuras, infallibiliter judicant, seu infallibiles sunt in omnibus decisionibus suis.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1º *Scriptura sacra.* Matth. xxviii, 20: *Ecce ego vobiscum sum*, etc. Christus promisit infallibilitatem corpori docenti in Ecclesia: verum episcopi dispersi, sicut et congregati, corpus docens in Ecclesia constituunt: ergo.

Insuper Christus testatur se *omnibus diebus* adfuturum esse cum Apostolis docentibus et eorum successoribus usque ad consummationem sæculi: his præsertim verbis nititur privilegium infallibilitatis quo munita est Ecclesia docens: at impossibile est episcopos *omnibus diebus* in unum coadunatos remanere. Et reipsa Christus non dixit: *Congregemini, et ego ero vobiscum*, sed: *Ite, docete omnes gentes*, id est: *Dispergamini per mundum univrsam, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Ergo.

2º *Traditione.* Pelagiani et Semipelagiani semper habitati sunt ut hæretici a tempore S. Aug. usque ad nos: attamen nullum concilium generale adversus illos fuit celebratum, sed tantum concilia particularia, et præsertim duo, unum Africanum et Arausicanum II. Duo hæc concilia « missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam » rescripta venerunt: causa finita est, utinam aliquando « finiatur error! » S. Aug. Serm. 131, t. 5, col. 645 de Verbis Evang. Joan. Porro nulla unquam fuit hæresis magis intricata quam Pelagiana et Semipelagiana: ergo.

Aliunde, per tria priora Ecclesiae sæcula, usque ad concilium Nicænum I, anno 325 celebratum, multa damnatae sunt hæreses, et sancti Patres omnes hæreticos ex auctoritate Ecclesiae convincebant: ergo velut certum habebatur Ecclesiam dispersam infallibilitate gaudere.

3º *Ratione.* 1º Non concilium generale, sed episcopi per orbem sparsi populum Christianum doctrina pascunt: unde si errori obnoxii essent docendo, contingere posset majorem Ecclesiae partem a veritate deficere: tunc infallibilitas ejus passiva cum activa destrueretur, catholicitas periret et portæ inferi adversus illam prævalerent: porro hæc consecutaria admitti nequeunt: ergo.

2º Difficillimum et sæpe impossibile est concilium œcumenicum congregare: attamen necesse est ut tribunal ad terminandas quæstiones fidei destinatum semper existat, alioquin error in Ecclesia Dei serpere posset, et nullum adesset medium quo efficaciter cohiberetur: ergo necesse est ut Ecclesia dispersa privilegio infallibilitatis gaudeat, non solum in quæstionibus manifestis, sed in obscuris et etiam intricatis; facilius enim error in his quam in aliis grassaretur et obfirmaretur: sufficiens igitur remedium præparare debuit Christus contra hujusmodi malum: atqui nullum aliud excogitari potest præter infallibilitatem jugiter in Ecclesia permanentem et apud quascumque causas se extendentem: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. S. Aug. pluribus in locis excusat resistantiam

S. Cypriani decreto S. Stephani, ex eo quod concilio œcumenico obtemperare paratus esset : ergo non existimabat auctoritatem Ecclesiæ dispersæ sufficientem esse ad finiendam controversiam de baptismo ab hæreticis collato.

R. 1^o. Dist. ant. S. Aug. S. Cyprianum excusat ex eo quod paratus esset obtemperare concilio œcumenico et auctoritati Ecclesiæ dispersæ, sufficienter sibi notæ, *concedo*; ex eo quod soli concilio œcumenico obtemperare vellet, *neg.* *ant.* Nam ibi S. Doctor, l. 1 de Baptismo, cap. 18, agnoscit quod *postea totus catholicus orbis amplectus sit* opinionem S. Cypriano oppositam; eo tempore igitur nondum hac de re clara apparuerat totius Ecclesiæ dispersæ consensus. Præterea, expresse testatur idem S. doctor, l. 2 de Bapt. c. 4, S. Cyprianum semper paratum fuisse auctoritati Ecclesiæ cedere, et forsitan cessisset antequam moreretur : atqui tamen nullum tunc existebat concilium generale in quo error Rebaptizantium fuisset damnatus : ergo.

R. 2^o. Nego consq. Libenter enim admittimus tales contingere posse circumstantias in quibus necessarium sit concilium generale, non quidem ut sententia Ecclesiæ sit infallibilis, sed ut evidentius appareat et omnis disputandi prætextus tollatur, ac tutius pax inter contententes restituatur : porro gravissimæ sub omni respectu erant circumstantiæ in quibus versabatur Ecclesia relative ad questionem de Rebaptizantibus; omnes enim Ecclesiæ Africa, Numidiæ, Mauritaniæ, Ponti et fere totius Orientis opinionem S. Cypriani tenebant; cæteræ vero summo Pontifici Stephano hanc opinionem damnanti adhærebant : vix igitur urgentiores excogitari possent circumstantiæ ut concilium generale sit necessarium. Ergo.

Obj. 2^o. Sæpe concilia œcumenica articulos ab Ecclesia dispersa definitos de novo tractarunt, v. g. errores Nestorii, Eutychni, Monothelitarum, etc., jam proscriptos proscripterunt : ergo persuasum habuerunt Ecclesiam dispersam privilegio infallibilitatis non donari.

R. Dist. ant. Sæpe concilia œcumenica articulos ab Ecclesia dispersa definitos tractarunt, ut eos confirma-

rent, *conce.*; ut eos tanquam incertos novo examini subicerent, *nego ant.* Equidem sæpe concilia œcumenica articulos ab Ecclesia dispersa, imo a conciliis antecedentibus etiam generalibus definitos de novo tractarunt, ut iterum eos confirmarent, contumaciam hæreticorum efficacius contunderent, eorum animos ad unitatem facilius inclinarent et dogmata Christiana magis ac magis elucidarent : sic secunda synodus Constantinopolitana quatuor priora concilia generalia confirmavit, et tamen de illorum auctoritate non dubitavit; sic concilium Tridentinum multa definiuit quæ in antiquis Ecclesiæ conciliis fuerant decreta : atqui patres Tridentini de antiquorum conciliorum infallibilitate non dubitant : ergo.

Exempla nobis allegata, ex damnatione errorum jam proscriptorum petita, pro responsione nostra pugnant; nam concilium Ephesium et concilium Chalcedonense definierunt capita quæ jam erant de fide, nempe concilium Ephesium unicam in Christo esse personam, et concilium Chalcedonense duas in eodem Christo esse naturas. Ergo.

COROLLARIUM.

Hinc manifestum est appellationem ad futurum concilium generale esse illicitam, quando de morali episcoporum dispersorum unanimitate constat. Nam 1^o hæc unanimitas est infallibilis, ex dictis. 2^o Talis appellatio est illusoria; saltem enim difficillimum et sæpe impossibile est concilium generale congregare; interea errores legitimam condemnationem non formidantes impune grassarentur. 3^o Eadem est Ecclesia dispersa et congregata; ridicule autem fit appellatio ab Ecclesia ad Ecclesiam. 4^o Talis appellatio inter catholicos est insolita, a Pelagianis in quinto sæculo fuit excogitata, a Lutheranis in decimo sexto fuit renovata. 5^o Pelagianos futurum concilium invocantes sic confutavit Aug. lib. 4 ad Bonifac. cap. ultimo, n. 34 : « Quid est ergo quod dicunt, *Simplificibus episcopis sine congregatione synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est?*... Aut vero congre-

» gatione synodi opus erat, ut aperta perniciēs damnare-
 » tur : quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congrega-
 » tione damnata sit ! cum potius rarissima inveniatur,
 » propter quas damnandas necessitas talis exstiterit ; mul-
 » toque sicut atque incomparabiliter plures quæ, ubi existi-
 » terunt, illic (Romæ) improbari damnarique meruerunt,
 » atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere po-
 » tuerunt. » Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

UTRUM AD INFALLIBILE FIDEI JUDICIUM EXPRESSUS REQUI-
 RATUR EPISCOPORUM CONSENSUS, AN VERO TACITUS SUFFI-
 CIAT.

Tacitus episcoporum consensus est vera eorum adhesio alicui circa fidem definitioni, sed non expresse manifesta. Sensus præsentis quæstionis non est, an hujusmodi adhesio infallibilem fidei definitionem efficiat, sed an silentium episcoporum sufficiens sit indicium eos propositioni sibi notæ adhærere, seu tacite consentire : partem affirmantem docuerunt abbas *de Saint-Cyran*, in opere suo de Hierarchia ecclesiastica, sub nomine Petri Aurelii, et *Quesnel*, *Tradition de l'Église Romaine*. Postquam vero constitutio *Unigenitus* fuit promulgata, *Quesnel* et tota Jansenianorum caterva, ut ab illius auctoritate se expedirent, conclamarunt eam ab episcopis per orbem sparsis sufficienter non fuisse acceptatam, aut saltem id ex silentio eorum concludi non posse. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Quoties dogma aliquod a Romano pontifice definitum ad omnes episcopos dirigitur, et nulla alicujus ponderis exsurgit eorum reclamatio, tunc tacitus omnium moraliter consensus necessario est præsumendus, et infallibilis est definitio.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ex S. Aug.

1º *Scriptura sacra, Matth. XVI, 18 : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et porta*

inferi non prævalebunt adversus eam. Unde sic : Nunquam error prævalere potest in Ecclesia : at si hujusmodi definitio infallibilis non esset, error prævaleret in Ecclesia, cum nulla tunc existeret via ad eum præcavendum aut rejiciendum : ergo.

2º *Praxi Ecclesiæ.* Omnes fatentur errores Pelagianorum et Semipelagianorum legitime fuisse proscriptos : atqui nulla existit declaratio episcoporum, sive congregatorum, sive dispersorum, expressa contra illos. Idem dicendum est de erroribus Baii et Molinosi, de quinque propositionibus Jansenii quæ ab adversariis habentur ut hæreticæ. Ergo.

3º *Ex S. Aug. Epist. 55, alias 119, c. 19, ad Januarium :* « Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit (Ecclesia). » Nisi autem præfata fidei definitio infallibilis esset, Ecclesia quæ sunt contra fidem et bonam vitam taceret. Ergo.

Ut autem silentium episcoporum velut sufficiens indicium taciti eorum consensus haberi debeat, tres requiruntur conditiones, scilicet : 1º ut fidei decretum de quo agitur ipsis innotescat, decretum enim ignotum nec approbare nec rejicere possunt ; 2º ut ad eos tanquam regula fidei totam obligans Ecclesiam dirigatur vel perveniat ; non enim reclamare tenentur episcopi contra errores particulares, quia doctrina Christi non periclitatur in Ecclesia ; 3º ut illud decretum ad fidem, mores aut disciplinam generalem et essentialem respiciat, nam de his solis Ecclesia infallibiliter judicat, *ut infra dicemus* : si ergo de aliquo facto personali vel de rebus politicis ageretur, nihil ex silentio episcoporum concludi posset.

Solvantur objectiones.

Obj. 1º. Semper aliquis erit locus timendi ne omnes episcopi dispersi definitionem Apostolicam non cognoverint, aut eam non legerint, aut cum debita meditatione non examinaverint, aut suam oppositionem nondum manifestare potuerint : ergo ex eo quod sileant, merito concludi non potest eos consentire.

R. 1^o. Retorqueo argumentum. Semper erit locus timendine omnes episcopi ad concilium generale non fuerint debito modo convocati, aut rem eum debita attentione non expenderit, aut aliqua consideratione humana ad consentiendum inducti fuerint, etc. Ergo de sufficienti illorum consensu, licet expresso, nunquam constabit.

Qualibet auctoritas humana eodem ratiocinio rueret, quia semper aliqua hujusmodi fingi posset hypothesis.

R. 2^o. Nego ant. Nullus enim est timendi locus ubi certitudo moralis habetur: at si definitio Apostolica ad omnes episcopos directa fuerit, quod facile constabit, moraliter certum erit eos illam accepisse, legisse et sufficienter examinasse; supponi quippe non potest omnes episcopos numeri suo simul deesse, propter continuam Christi assistentiam. Quamvis autem nullum præcise assignari possit tempus ut oppositio refragantium manifestari possit, certum est tamen quod longum esse non debeat. Præterea Christus dare debuit regulam fidei omnibus obviam: verum si examen conditionum ad sufficientiam consensus episcoporum requisitarum omnibus necessarium esset, Christus non dedisset regulam omnibus obviam. Ergo.

Inst. Qui tenent summum Pontificem esse infallibilem, ipsius decreta accipiunt sine examine. Ergo timendum est ne plerique episcopi definitionem Apostolicam sufficienter non examinaverint.

R. Nego ant. Qui enim tenent summum Pontificem esse infallibilem habent etiam ut certum episcopos esse jure divino fidei iudices: ergo nihilominus legere et examinare debent propositiones a summo Pontifice definitas, forte non ut dubium evanescat, sed ut veritas clarius pateat.

Dicunt quidem Jansenistæ plerosque episcopos librum Jansenii non legisse; sed omnes illius sensum agnoscere poterunt, tum examinibus et discussionibus Romæ alibi que celebratis, tum ipsis Jansenistarum confessis. Ergo.

Fatendum est insuper Christum prævidisse fore ut plerique episcopi crederent summum Pontificem esse infallibilem, et tamen infallibilitatem corpori episcoporum certo

promisit: quidquid sit ergo de illa infallibilitate, negari non potest decisiones episcoporum infallibiles esse. Ergo.

Obj. 2^o. Summus pontifex Honorius, in epistola ad Sergium, patriarcham Constantinopolitanum, errorem Monothelitarum docuit; atqui tamen episcopi contra hanc epistolam non reclamarunt: ergo.

R. 1^o. Non constat Honorium errorem Monothelitarum docuisse; multi enim ipsius epistolas ad Sergium, Sophronium et Cyrillum ab omni labe hæresis excusant. Sergius ad eum scripserat litteras dolo plenas, quibus illi persuadere nitetur pro bono et pace Ecclesiæ maxime necessarium esse ut nec *una* nec *duplex* in Christo *voluntas* et *operatio* diceretur: his testimoniis Sergii nimis credens Honorius, altum circa hanc quæstionem præscripsit silentium; silentium istud magnum veræ fidei attulit detrimentum, sed præter Honorii intentionem. Ergo 1^o.

R. Nego consequ. Etiam si Honorius in epistolis suis errorem Monothelitarum docuisset, nihil contra propositionem nostram ex silentio episcoporum inferri posset: nam 1^o decisio Honorii non erat dogmatica, siquidem non definiebat quid esset credendum aut rejiciendum; 2^o ad omnes ecclesias non fuit directa: erat e contra omnibus fere episcopis ignota, tum in Oriente, tum in Occidente; nam Orientales Monothelitis addicti, eam ad confirmandum errorem suum nunquam invocaverunt. Quando Heraclius silentium per Ecthesim suam præscripsit, undique contra illam reclamatum est: atqui non minus contra Honorii decisionem reclamatum esset, si cognita fuisset. Similiter in Occidente Joannes IV, Theodorus et Martinus I, summi pontifices Romani, Ecthesim Heraclii et Typum Constantii damnaverunt, Epistolas autem Honorii ad Sergium ne quidem commemorant: ergo prædicta Honorii decisio quasi sopita remansit per quinquaginta annos, usque ad sextam synodum generalem in qua fuit reprobata. Non mirum igitur si episcopi tacerint. Ergo.

Obj. 3^o. Clerus Gallicanus, in celebri censura anni 1700, damnavit eorum sententiam qui docebant silentium episcoporum circa aliquam doctrinam ut illius approbationem esse habendum. Ergo.

R. Distinguo ant. Et ibi agebatur de doctrina ab aliquo theologo privato asserta, *concedo*; agebatur de constitutione dogmatica, *nego ant.* Equidem clerus Gallicanus merito damnavit eorum sententiam qui tenebant episcopos novas theologorum opiniones approbare censerī, eo ipso quod circa illas tacerent; inde enim sequeretur Ecclesiam approbare multas opiniones contradictorias, falsas, scandalosas et hæreticas, aliunde fere occultas, quæ sine periculo in lucem prodirent: nunquam vero clerus Gallicanus definire intendit silentium episcoporum circa constitutionem dogmaticam, legitime promulgatam et conditionibus supra requisitis vestitam, sufficiens non esse indicium veræ approbationis. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CONDEMNATIONE PROPOSITIONUM IN GLOBO.

Duplici modo perverse propositiones damnari possunt, scilicet speciali modo, quando singulis sua nota assignatur et declaratur, v. g. primam esse erroneam, secundam scandalosam, tertiam hæreticam, etc., vel *in globo*, ut aiunt, id est, si omnes damnentur velut respective erroneæ, scandalosæ, hæreticæ, etc. Eo modo 101 propositiones *Quesnel*, ex libro *les Réflexions morales*, etc., in celebri bulla *Unigenitus* a Clemente XI damnatæ sunt anno 1713. Hinc Jansenii et *Quesnel* asseclæ novam occasionem sumpserunt Pontificiæ hujus Constitutionis auctoritatem declinare, contendentes Ecclesiam propositiones sic *in globo* damnare non posse. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Ecclesia est infallibilis in damnatione propositionum in globo.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

1º *Scriptura sacra.* *Euntes, docete omnes gentes, etc.* Unde sic. Christus suam promisit assistentiam Ecclesiæ, ut infallibiliter doceret et judicaret, modum autem non determinavit: quocumque modo igitur Ecclesia senten-

tiam suam aperiat, infallibiliter quæstiones judicat. Ergo.

2º *Praxi Ecclesiæ.* « Si quid tota per orbem frequentat » Ecclesia, quid ita faciendum sit disputare insolentissimæ insanie est, » ait S. Aug. Epist. 54, alias 118, cap. 5. Atqui mos receptus est in Ecclesia, sive congregata, sive dispersa, propositiones sic *in globo* condemnandi. 1º In Ecclesia congregata; in concilio enim Nicæno I damnatus est liber Arii cui titulus *Thalia*; in concilio generali V tria famosissima Theodori, Theodoretī et Ibae Capitula proscripta sunt: in VI damnati sunt libri Origenis: a fortiori propositiones ex illis libris extractæ sub pluribus notis respective damnari potuissent. Sic pariter concilium Constantiense, sess. 8, 45 Wiclefi articulos *in globo* proscripsit ut erroneos, scandalosos, blasphemos, et sess. 15, eodem modo damnavit 35 propositiones Joannis Hus. Ergo 1º. 2º A multo tempore idem usus propositiones *in globo* condemnandi viget in Ecclesia non congregata; eo modo Sixtus IV damnavit Petrum *de Osmâ*, Leo X Lutherum, Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII Baium, Innocentius XI mysticas et exitiosas Molinosi assertiones, Innocentius XII 23 propositiones ex lib. illust. *de Fénelon*, *Explication des maximes des saints*, excerptas, etc. Universa Ecclesia has proscriptiones approbavit. Ergo.

3º *Ratione.* 1º Quando Ecclesia speciales singulis propositionibus notas assignat, infallibiliter judicat, secundum adversarios: atqui non minus infallibiliter judicare debet quando eas *in globo* condemnat; nam assignatio notæ unicuique propositioni Ecclesiam non facit, sed supponit infallibilem. Ergo.

2º Ille modus propositiones veræ doctrinæ oppositas damnandi sæpe maximæ est utilitatis; est enim promptior et expeditior, multo minus præbet locum cavillationibus hæreticorum. Unde *Bossuet*, *Second écrit sur le livre de Fénelon*, n. 2: « Les condamnations générales » sont utilement pratiquées dans l'Eglise, pour donner » comme un premier coup aux erreurs naissantes, et souvent même le dernier, suivant l'exigence du cas et le

» degré d'obstination qu'on trouve dans les esprits. » Ergo legitime condemnari possunt propositiones *in globo*. Imo infallibiliter condemnari posset liber velut continens propositiones respective falsas, erroneas, scandalosas, etc.; ad hanc enim conclusionem evidenter ducunt rationes a nobis allatæ, et sic damnata sunt *tria capitula*.

Soleuntur objectiones.

Obj. 1^o. Illa judicandi forma admitti non potest in Ecclesia, quæ nihil certum et determinatum proponit credendum: atqui talis est condemnatio propositionum *in globo*; ergo.

R. Nego min. Dici enim non potest nihil certum et determinatum nobis proponi credendum, si constet propositiones sic damnatas saltem sub aliquo respectu esse malas: atqui tunc constat omnes illas propositiones saltem sub aliquo respectu esse malas; posito quod legitima sit condemnatio, eo ipso constat nullam ex his propositionibus esse cui saltem una ex notis in genere assignatis non conveniat: ergo. Rem exemplo sic illustrat *de la Hogue*:
 » Supponatur, *inquit*, de permultis cibis alicui apposis,
 » sex peritissimos medicos generatim declarare ex eis
 » unum esse capiti noxium, alios stomacho vel visceri-
 » bus, quosdam veneno infectos, et cæteros prorsus insa-
 » lubres: profecto qui et sanitati et suæ vitæ providere
 » vellet vir sapiens, non obtenderet vagam nimis esse
 » illam medicorum assertionem quam ut ei indulgere de-
 » beat. » Ergo *a pari* obtendere non debent fideles nimis
 vagam esse condemnationem propositionum *in globo*, ut eas rejicere teneantur.

Inst. 1^o. Prædicta propositionum condemnatio non potest reputari infallibilis, nisi episcopi in parte saltem notabiliter majori illi assentiant: at, in hypothesis nostra, episcopi non assentiunt tali condemnationi saltem per modum unius; unus enim talem habebit propositionem ut falsam, alius ut scandalosam, alter ut hæreticam, sicque de cæteris, et forte circa nullam plene sibi consentirent. Ergo.

R. 1^o. *Nego min. ejusque probationem.* Etiam si enim episcopi non sibi consentirent in assignando notas convenientes singulis propositionibus, nihilominus sufficienter unanimes essent circa ipsam propositionum condemnationem, siquidem omnes tenerent nullam ex dictis propositionibus esse quæ unam saltem ex notis assignatis non mereretur, et vicissim nullam ex notis assignatis quæ saltem uni ex propositionibus damnatis non conveniret: porro hæc unanimitas sufficit ut sana doctrina custodiatur integra et error repellatur.

Præterea, ut damnatio propositionum *in globo* sit infallibilis, vel episcopi moraliter unanimes esse debent in assignando notas singulis propositionibus, quod solus Deus scit, vel non; si id non requiratur, nulla est difficultas; si requiratur, Christus assistentia sua providebit ut existat; nam promisit se cum Ecclesia docente semper adfuturum, et modum ferendi judicium non determinavit. Fideles ergo inquirere non debent qua ratione, quo motivo episcopi circa aliquam propositionem consentiant: humiliter eos audiant et prompto animo eis obediant, hoc ipsis ad salutem sufficit.

Inst. 2^o. Quando propositiones damnantur *in globo*, plurimæ ex illis notam hæresis non merentur: ergo adhuc propugnari possunt.

R. Dist. consequens. Adhuc propugnari possunt, id est, qui eas seorsim sumptas propugnaret non esset formaliter hæreticus, *cont.*; non esset erga Ecclesiam rebellis, *nego consequ.* Etenim qui, post hujusmodi condemnationem, propositiones sejuugeret, contenderetque notam hæresis his aut illis non applicari, et eas propugnaret, non esset formaliter hæreticus, nam fidei catholicæ strictè sumptæ non adversaretur: sed ipsius conditio non ideo melior esset, rebellis enim erga Ecclesiam et reus peccati mortalis fieret. Si autem propositiones damnatas *in globo* generatim defenderet, formaliter hæreticus foret, ex hypothesis quod nota hæreseos assignata esset sine alia determinatione, quia fidem catholicam tunc directe pugnaret: ergo, etc.

ARTICULUS QUINTUS.

QUENAM SIT AUCTORITAS CONCILIORUM SEU ECCLESIE
CONGREGATE.

Concilium est legitima episcoporum congregatio, ad deliberandum et iudicandum de iis quæ ad fidem, mores aut generalem Ecclesiæ disciplinam pertinent.

Concilium vel generale est, vel particulare. Concilium generale seu œcumenicum est illud quod universam legitime repræsentat Ecclesiam; particulare vero est illud quod aliquam tantum Ecclesiæ partem repræsentat. Potest esse nationale, vel provinciale: est nationale, si omnes episcopi ejusdem regionis seu regni aut imperii, sub præsentia patriarchæ vel primatis, legitime convocentur; est autem provinciale, quando ex omnibus ejusdem provinciæ ecclesiasticæ episcopis metropolitano junctis componitur. De concilio generali præcipue nobis dicendum est.

Per concilium generale non intelligenda est multitudo episcoporum cum Romano pontifice conjuncta, alioquin nullum esset discrimen essentielle inter concilium et Ecclesiam dispersam. Concilium generale recte definitur: *Cætus episcoporum nomine totius Ecclesiæ congregatorum, ad illam legitime repræsentandam, et ad tractandum de fide, moribus aut disciplina.* Quatuor in primis circa concilia generalia inquiri possunt, nempe: 1º quo jure sint instituta; 2º quæ requirantur conditiones ut sint œcumenica; 3º quenam sit eorum auctoritas; 4º quæ necessitas. De his in quatuor paragraphis breviter dicemus.

§ I. — De jure quo instituta sunt concilia œcumenica.

Jure tum naturali tum divino instituta sunt concilia.

1º *Jure naturali*; quælibet enim societas numerosa potest jure naturali, saltem convocante legitimo principe, per membra a se deputata cætum generalem congregare qui illum repræsentet. Actus hujusmodi cætus ab universa societate emanasse censentur et membra absentia pariter obligant: porro Ecclesia, ut pote societas perfecta, idem

jus habet: ergo concilia generalia jure naturali instituta videntur, id est ex constitutione Ecclesiæ sequuntur.

2º *Jure divino.* Nam apud Matth. xviii, 20, Christus dicit: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: atqui hæc verba, ex contextu, ad Ecclesiam congregatam spectare videntur; immediate enim ante ea Christus dixerat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, etc.*

Universa traditio hunc textum sic intellexit, v. g. concilium Chalcedonense, in quo plus quam quingenti sederunt episcopi; concilium Constant. II; item Cælestinus papa, ad patres concilii Ephesini scribens, etc. Ergo.

§ II. — De conditionibus requisitis ut concilia sint œcumenica et legitima.

Triplicis generis requiruntur conditiones ut concilia sint œcumenica et legitima; aliæ enim spectant ad eorum convocationem, aliæ ad celebrationem, et aliæ ad exitum.

1º *Quoad convocationem* tres iterum sunt conditiones de jure ordinario requisitæ: 1º ut pontifex Romanus episcopos convocet vel convocationi eorum consentiat; ille enim solus episcopos legitime convocare potest, qui ratione dignitatis primus est et universalem habet jurisdictionem: atqui talis est pontifex Romanus: ergo. Unde, si aliquoties principes concilia œcumenica convocarunt, id annuente pontifice Romano fecerunt, alioquin convocatio fuisset nulla. Alius princeps facere non posset quod olim fecerunt imperatores, quia nullus fere omnes episcopos in ditionibus suis habet.

2º *Ut major pars episcoporum non reclamet.* Concilium enim generale universam repræsentare debet Ecclesiam: at universam repræsentare non potest Ecclesiam, nisi saltem major pars episcoporum ei annuat: ergo.

3º *Ut omnes episcopi communionem cum Romano pontifice habentes convocentur*; nam jure divino omnes æqualem habent potestatem de controversiis circa fidem

judicandi: ergo nullius convocatio negligi potest quin jus divinum ledatur.

Diximus, *de jure ordinario requisitæ*; quia convocatio de essentia conciliorum non videtur: in societate enim civili magistratus legitime judicant, quamvis specialiter convocati non fuerint; cur ergo episcopi recte judicare non possent, si de facto coadunarentur in numero sufficienti ut totam repræsentarent Ecclesiam, aut si, sede Romana vacante vel a pontifice dubio occupata, a cardinalibus convocarentur? Verum in eo casu concilium non foret œcumenicum, nisi accederet consensu aliorum episcoporum qui convocari debuissent.

2^o *Quoad celebrationem*, omnes catholici docent: 1^o præsentiam ad pontificem Romanum jure divino pertinere; certum est enim illum esse jure divino Christi vicarium, caput totius Ecclesiæ et supremam in illam habere auctoritatem, *ut mox probaturi sumus*; aliunde unanimi traditione constat pontificem Romanum omnibus conciliis generalibus per se aut per legatos suos præfuisse, aut saltem auctoritate sua ea confirmasse, antequam haberentur ut œcumenica. 2^o Omnes pariter fatentur requiri episcopos in numero sufficienti ut universa Ecclesia censeatur repræsentata: non quidem necesse est ut major pars episcoporum congregetur, alioquin Ecclesia non esset repræsentata, sed congregata: at numerus episcoporum admodum parvus, sex, v. g., aut decem, sufficienter totam Ecclesiam repræsentare non judicaretur. 3^o *Quoad exitum*, tres requiruntur conditiones, scilicet ut sit libertas, ut res conciliariter tractentur, et ut confirmatio summi Pontificis accedat.

1^o *Ut sit libertas*. Nam episcopi agere debent humano modo: at humano modo non agerent si vi opprimerentur, fraude aut captionibus deciperentur. Aliunde totam Ecclesiam non repræsentant, nisi cæteri episcopi decretis eorum subscribere præsumantur: at episcopi per orbem dispersi non parati sunt subscribere decretis concilii cujus patres sufficienti non pollent libertate. Hinc nullius auctoritatis est falsa synodus Ephesina, vulgo dicta *latrocinium Ephe-*

sinum, anno 449 habita; in ea quippe nulla exstitit libertas. Dioscorus, patriarcha Alexandrinus, præses, et alii Eutycheiani ejus fautores vim aliis patribus intulerunt, et plagis in ipso concilio Flavianum, patriarcham Constantinopolitanum, affecerunt. Ergo.

Inde tamen concludere non licet majorem numerum episcoporum a vera fide, etiam ob metum mortis, decidere posse; nam promissiones Christi sunt absolutæ, ac proinde cum tali defectione conciliari non possent: si ergo contingeret aliquam synodum ex majori numero episcoporum totius orbis coalescere, tunc nec minis, nec plagis, nec fraude aut deceptionibus a vero deflecteret.

2^o *Ut res conciliariter tractentur*, scilicet ut ferantur decreta ad totam Ecclesiam respicientia, cum obligatione credendi, non vero tantum exponantur motiva, ut sæpe fit, v. g. in capitibus concilii Trid. canones præcedentibus.

3^o *Ut confirmatio summi Pontificis accedat*: dici enim non potest concilium totam Ecclesiam repræsentare donec consensus supremi Pontificis decretis ejus accesserit: ergo.

Queritur qua via constare possit omnes conditiones ad concilium œcumenicum requisitas fuisse adimpletas?

R. Duplici via id constare potest, scilicet, 1^o via examinis, singulas conditiones percurrendo, et attendendo an revera adimpletæ fuerint, quod sæpe non difficile est doctis. 2^o Alia est via brevior omnibus, sive doctis sive indoctis, pariter aperta, videlicet totius Ecclesiæ acceptatio; quando enim constat aliquod concilium per orbem generaliter haberi ut œcumenicum, certum est conditiones necessarias adimpletas esse, alioquin error in Ecclesia prævaleret. Ergo.

§ III. — De auctoritate concilii generalis.

PROPOSITIO.

Decreta concilii œcumenici sunt infallibilia.

Prob. Scriptura sacra, fide Ecclesiæ, SS. Patrum testimoniis et adversariorum consensu.

1^o *Scriptura sacra*. Ex pluribus enim textibus certum

est corpus docens in Ecclesia infallibilitate gaudere : ergo pariter concilium generale est infallibile ; nam ex definitione , universam repræsentat Ecclesiam : illusorie autem diceretur universam Ecclesiam repræsentare , si iudicia ipsius errori forent obnoxia. Ergo 1^o.

2^o *Fide Ecclesiæ.* Quod semper, ubique et ab omnibus in Ecclesia habitum est de fide, de fide est : atqui semper, ubique et ab omnibus habitum est de fide concilia œcumenica infallibilia esse ; a tempore enim Apostolorum quæstiones fidei delatæ sunt ad concilia œcumenica, quorum decreta sub pœna anathematis suscipi debuerunt : id ex cunctis hystoriæ ecclesiasticæ monumentis constat. Ergo 2^o.

3^o *SS. Patrum testimoniis.* S. Ambros. de fide, l. 3, c. 15, decreta concilii Nicæni appellat *hæreditaria signacula, quæ nulla temeritate sunt violanda.* S. Gregorius Magnus quatuor priora concilia generalia, nempe Nicænum, Constantinop. I, Ephesinum et Chalcedonense, profitebatur se suscipere et venerari *sicut quatuor Evangelii libros, Epist. ad Joan. Constantinop., et similiter quintum, videlicet Constantinop. II, « Quia, pergit Pontifex, dum sunt » universali consensu constituta, se et non illa destruit » quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare » quos solvunt. » Ergo concilia per se privilegio infallibilitatis gaudent, dum sunt universali consensu constituta. Ergo 3^o.*

4^o *Adversariorum consensu.* Plurimi enim doctores protestantes, et quidem celeberrimi, confessi sunt temerarium esse definitionibus conciliorum generalium obsistere et assensum denegare, ut videre est apud *Hooke, tract. de Eccl. et apud de la Hogue.* Ergo 4^o.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. S. Aug. l. 2 de Baptismo, c. 3, asserit priora concilia, etiam plenaria seu generalia, sæpe posterioribus emendari : « Cum aliquo experimento rerum aperitur quod » clausum erat, et cognoscitur quod latebat. » Ergo persuasum habebat concilia generalia non esse infallibilia.

R. 1^o. S. Aug. ibi non loquitur de conciliis generalibus ; non dicit priora illa concilia sæpe posterioribus emendari : atqui tempore sancti Aug. duo tantum celebrata fuerant concilia generalia, nempe Nicænum I, anno 325 et Constantinop. I, anno 381 ; posterius autem in priori nihil emendavit, sed Symbolum ejus adoptavit et articulum de Spiritu sancto et Ecclesia ei addidit.

R. 2^o. *Dist. ant.* S. Aug. asserit priora concilia plenaria prioribus emendari, quando agitur de factis, *concedo* ; ubi agitur de fide, moribus aut disciplina generali, *nego aut.* Equidem fieri potest ut concilia priora etiam generalia posterioribus emendentur in iis quæ spectant ad facta particularia vel ad aliquas disciplinæ regulas non essentielles ; non contendimus enim concilia generalia circa hujusmodi articulos infallibilitatis privilegio gaudere : porro S. August. in textu nobis allato loquitur de factis, non vero de fide ; asserit namque priora concilia posterioribus emendari, *cum aliquo rerum experimento aperitur quod erat clausum* : atqui fides et quæ spectant ad fidem, non rerum experimento, sed ex solo verbo Dei scripto et tradito noscuntur. Præterea, S. Doctor hoc loco arguit Donatistas qui suum schisma defendebant, et auctoritatem S. Cypriani in sui gratiam invocabant. Ergo.

Inst. S. Aug. disputans adversus Maximum, arianum, dicit, l. 2, c. 14, n. 3 : « Nec ego Nicænum, nec tu de » bés Ariminense concilium proferre : nec ego hujus auctoritate, nec tu illius defineris. » Ergo auctoritatem ipsius concilii Nicæni respuebat.

R. Nego conseq. Nam Maximus auctoritatem hujus concilii non admittens, concilium Ariminense objiciebat ; ne igitur contentio prolixius traheretur, S. Aug. suum adversarium ex principio certo, ab utroque admissio, confutare sibi proponit, abstrahendo a conciliis, tum Nicæno, tum Ariminensi : sic autem agendo, auctoritatem concilii Nicæni non lædit ; quotidie enim, cum protestantibus disputantes, concilium Trid. seponimus, quamvis infallibilem illius auctoritatem labefactare non intendamus. Ergo.

Obj. 2o. Concilium Ariminense, in quo quadringenti sederunt episcopi, fuit generale: attamen a vera fide deflectens erroribus Arianorum subscripsit. Ergo.

R. 1o. Nego maj. Concilium enim Ariminense quo fere omnes hæretici contra Ecclesiam abutuntur, tanquam generale haberi non potest, quia plures ex conditionibus ad concilium œcumenicum necessariis ei defuerunt; scilicet: 1^o non fuit legitime convocatum; solus enim imperator Constantius iussit episcopos illuc congregari, et Liberius, tunc pontifex Romanus, nec convocacioni consensit, nec concilio per se aut per legatos præfuit. 2^o Omnes episcopi non fuerunt convocati; nam eodem tempore centum et sexaginta episcopi Orientales jussu ejusdem imperatoris aliud celebrabant concilium Seleuciæ, et nulla inter utrumque concilium erat communicatio. Alii insuper celebres episcopi et permulti nullo modo fuerant vocati; quidam tunc erant in exilio, v. g. Lucifer Calaritanus in Palæstina, S. Eusebius Vercellensis in Thebaide cum multis aliis, S. Athanasius Seleuciæ latebat, etc. 3^o Sufficiens libertatem non habuerunt patres Ariminenses; præfectus enim Taurus, ex speciali mandato imperatoris, concilio adfuit, et nihil non molitus est ut precibus, blanditiis, minis fallacibusque promissis ac declarationibus episcopos ad subscribendum formulæ æquivocæ adduceret: hanc subscriptionem summus Pontifex Liberius non approbavit; asserit e contra, in epistola ad Orientales, quod patres Ariminenses a fide desciverint, *Labbe*, t. 2. Ergo illud concilium non fuit œcumenicum in sua convocacione, nec in sua celebratione, nec in suo exitu. Ergo.

R. 2o. Nego min. Illi enim a vera fide non recesserunt qui formulæ tantummodo æquivocæ subscripserunt, et multas adhibuerunt cautiones ut pravum sensum excluderent: atqui ita se gesserunt patres Ariminenses.

1^o Formulæ tantummodo æquivocæ subscripserunt, nempe formulæ Sirmiensi; nam formula cui patres Ariminenses subscripserunt, a S. Athanasio relata, lib. de Synodis Ariminii et Seleuciæ, in sensu catholico optime intelligi potest, siquidem in ea declaratur Christum esse Filium

» Dei unigenitum, ante omne principium et ante omne
» tempus quod excogitari potest, impassibiliter ex Deo genitum, solum ex solo Patre, Deum de Deo,» etc. Vox quidem *consubstantialis*, a concilio Nicæno adhibita, de industria et cum intentione perverse fuit ommissa, et in hoc consistit venenum hujus formulæ: attamen ommissio hujus vocis errorem non constituit. Ergo 1^o.

2^o Patres Ariminenses multas adhibuerunt cautiones ut falsum sensum hujus formulæ excluderent; primum hanc formulam tanquam suspectam rejecerunt, Ursacium Sigidonensem episcopum, et Valentem Mursensem aliosque Arianos, qui fidei Nicænae subscribere renuebant, deposuerunt; deinde solemnem retractacionem ab illis hæreticis, præsertim ab Ursacio et Valente, exegerunt; testatur S. Hieronymus, Dialogo adversus Luciferianos, illos palam declarasse se arianos non esse, et sub anathemate dixisse Christum Filium Dei esse non solum ante omnia sæcula, sed ante omne tempus genitum; tunc patres blanditiis, precibus ac minis cedentes, formulæ sibi oblatae subscripserunt: at statim atque adverterunt se fuisse deceptos, et Arianos ubique prædicare Christum, ex concilio Ariminensi, esse duntaxat creaturam, licet aliis perfectiorem, subscriptionem suam indignantes revocaverunt, *contestantes corpus Domini se nihil mali in sua fide suspicatos*, ait S. Hieron. *Sic ingenuit totus orbis*, pergit sanctus Doctor, *et Arianum se esse miratus est*; ergo, etc. ergo 2^o, etc. Aliunde, etc. Ergo patres Ariminenses a vera fide non recesserunt. Ita communiter theologi et eruditi, ut Baronius, apud *du Perron*, *Tillemont*, P. Alexander et multi alii, card. *Pierre Corgne*, *Dissertation critique et théologique sur le concile de Rimini*.

Obj. 3o. Sola Ecclesiæ acceptacione constare potest concilium aliquod fuisse œcumenicum: ergo conciliorum auctoritas non differt ab auctoritate Ecclesiæ dispersæ.

R. 1o. Etsi totum concederetur argumentum, non minus infallibilia essent concilii œcumenici decreta; quidam enim opinantur approbationem Ecclesiæ auctoritatem concilio generali tribuere: at ubi constat aliquod concilio

lium ab Ecclesia receptum esse ut generale, certum est, juxta omnes, ejus decreta esse infallibilia.

R. 2^o. *Nego conseq.* Concilium generale totam repræsentat Ecclesiam, nomine Ecclesiæ judicat: ergo per seipsum, ex institutione Christi, infallibiliter judicat. Unde acceptatio Ecclesiæ auctoritatem ei non tribuit, sed manifestat illud, absque errandi formidine, habendum esse ut œcumenicum. Sic definiendo unam propositionem esse de fide, Ecclesia divinam ei non tribuit auctoritatem, sed infallibiliter declarat eam fuisse revelatam. Ergo. Ita generaliter theologi.

At, quidquid sit, dum concilium nondum receptum est ut generale, non potest esse regula fidei catholicæ: ubi vero constat illud receptum esse, omnes evanescent difficultates circa convocationem, circa libertatem patrum, circa eorum numerum, etc.

Nota. Omnia quæ in actibus conciliorum generalium continentur, non idcirco ad fidem catholicam pertinent; nam id solum ad fidem catholicam pertinet quod fuit revelatum et quod ut tale ab Ecclesia cunctis fidelibus credendum proponitur: at in actibus conciliorum generalium sæpe multa reperiuntur quæ vel non fuerunt revelata, v. g. facta, mandata, etc., vel quæ non proponuntur ut revelata et a cunctis fidelibus credenda: sic quando patres conciliorum motiva decretorum exponunt, hæc ad fidem pertinere non intendunt, quia solum decretum ab omnibus credendum esse decernunt, non vero ejus motiva. Hiuc doctrina quæ continetur in capitibus canones præcedentibus communiter non est de fide catholica, licet gravis sit auctoritatis; a fortiori textuum interpretatio haberi non potest ut infallibilis decisio.

Queritur quibus signis judicari possit ea quæ in actibus conciliorum continentur ad fidem pertinere.

R. Ad illud dignoscendum duo sunt expendenda, scilicet, natura rei et tenor decreti.

1^o *Natura rei*; requiritur enim ut res sit *definibilis* de fide, videlicet ut mediate vel immediate sit revelata: unde si, præter institutionem suam, concilium generale pronun-

tiaret circa quæstiones physicas, mathematicas, ad studia legum pertinentes, a prudentia, non vero a scientia divina pendentes, illius decreta ad fidem non pertinerent, quia non haberent pro objecto aliquid revelatum. Ita Melchior *Canus*, *Bellarmin*, *Véron* in sua Regula fidei, *Bossuet* in *Defensione Declarationis*, part. 1, l. 3, c. 1; *Tournely*, de *la Hogue*, etc.

2^o Considerandus est *tenor decretorum*, nempe 1^o si contrarium asserentes declarentur hæretici; 2^o si anathema contra eos pronuntietur, v. g. ut in concilio Trid. *si quis dixerit... anathema sit*; 3^o si pena excommunicationis ipso jure adversus eos feratur; 4^o si expresse dicatur hoc vel illud esse de fide, ab omnibus esse credendum, aut Evangelio vel doctrinæ Apostolorum esse contrarium; 6^o denique ex toto contextu colligitur mentem concilii fuisse dogma de fide enuntiare, hæreses præcavere aut damnare, et fideles obligare. Ubi vero, omnibus perpensis, remanet dubium an concilium dogma intenderit definire, decisio non est de fide; nam ut propositio ad fidem catholicam pertineat et cunctos fideles obstrictos teneat, non sufficit illam fuisse revelatam et utcumque enuntiatam, sed insuper requiritur ut ab auctoritate infallibili clare proponatur. Ergo, etc. Ita fusius melioris notæ theologi, ut Melchior *Canus*, lib. 5, c. 5, quæst. 4, et plures alii.

§ IV. — De necessitate conciliorum generalium.

1^o Nemo catholicus ambigere potest quin concilia œcumenica sint utilia; nam in summo honore semper habita sunt, ea frequenter celebravit Ecclesia, et Christus illa instituit.

2^o Concilia generalia non sunt absolute necessaria. Si enim absolute necessaria forent, vel ad controversias fide dirimendas, vel ad leges condendas: atqui sub hoc duplici respectu non sunt absolute necessaria, siquidem Ecclesia dispersa infallibili auctoritate gaudet, tum ad judicia ferenda et dogmata definienda, tum ad leges condendas. Et vero ante et post primum concilium generale Nicææ

celebratum, multæ profligatæ sunt hæreses, plurimæ conditæ sunt leges ad totam Ecclesiam spectantes et universos fideles obligantes, v. g. lex jejuniî quadragesimalis, lex abstinentiæ diebus veneris et sabbati, lex audiendi Missam diebus dominicis et festivis, etc. Ergo.

3^o Quamvis concilia generalia non sint absolute necessaria, aliquoties tamen adeo sunt utilia, ut dici possint moraliter necessaria, vel quia ita divisum videtur corpus episcoporum, ut solemnitas concilii generalis ab omnibus desideretur tanquam medium efficacius unitatem conservandi; vel quia generales abusus ita grassantur, ut sola concilii œcumenici auctoritas eos corrigere valeat; vel quia tam multû aut tam audaces apparent fidei hostes, ut per Ecclesiæ dispersæ decreta sufficienter refrenandi non sint. Ergo.

Insuper nihil splendidius, solemnius et ad persuadendum aptius est quam conciliorum generalium majestas: unde aliquid Ecclesiæ dignitati deesse videretur, si nulla celebrarentur concilia. Ergo.

§ V.— De conciliis particularibus.

Juxta omnes illa concilia per se non sunt infallibilia, licet Christus dixerit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; quibus verbis assistentiam quidem promisit, non autem, pro quibuscumque conciliis, infallibilitatis privilegium, sed iis solum qui vere Ecclesiam representant; sic semper fuerunt intellecta. Certum est enim promissionem infallibilitatis ad totam Ecclesiam spectare; at nihil reperitur in Scriptura neque in traditione quo idem privilegium tribui possit quibusdam episcopis, etiam collective sumptis et in concilio coadunatis, si totam Ecclesiam non representent. Imo contrarium ex traditione manifestatur; sola enim concilia œcumenica habita sunt ut infallibilia. Unde, licet concilia Africæ numerosissima, a S. Cypriano congregata, pluries definierunt baptismum ab hæreticis collatum esse nullum, hoc ab universa Ecclesia catholica tanquam hæresis fuit

rejectum; e contra plurima sunt concilia particularia quorum decreta ad catholicam fidem pertinent, quia universim fuerunt recepta et infallibilitate Ecclesiæ dispersæ fulciuntur.

Hinc sequitur concilia particularia nec absolute nec moraliter esse necessaria, sed valde utilia esse possunt; nam episcopi ex eadem provincia vel natione coadunati, sibi invicem patefaciunt quid in unaquaque ecclesia agatur vel omittatur, quid propagari debeat, quid corrigi et reprimi oporteat; consiliis, adhortationibus et documentis se mutuo adjuvant, perfectiorem tum in doctrina, tum in disciplina instituunt ac servant unitatem, efficacius nascentes impugnant errores, abusus destruunt, etc. Unde plurima concilia œcumenica, et in primis Nicænum, jussu ut archiepiscopi frequenter concilium suæ provinciæ celebrarent. Idem renovavit concilium Tridentinum, sess. 21, c. 2, de Reform. Ergo.

In his conciliis, soli episcopi sunt judices. Alii vero, de jure aut de consuetudine convocati, non nisi ut consultores habeantur. Ipsi abbates convocari possunt; non autem habent jus ad convocationem, nec suffragium decisivum. Si vero, uti supra diximus, gauderent jurisdictione quas episcopali in territorio provinciæ, ipsis jus esset et ad convocationem et ad suffragium decisivum.

CAPUT QUARTUM.

DE OBJECTO AUCTORITATIS ECCLESIE.

Hic non agitur de auctoritate Ecclesiæ in sacramentis conficiendis, seu de potestate ordinis, neque de potestate jurisdictionis pro foro interno et in peccatis remittendis, neque de potestate ferendi leges quæ conscientiam fidelium obstrictam teneant; de his alibi disseritur, videlicet in tractatibus *de Sacramentis et de Legibus*. Nunc vero auctoritatem Ecclesiæ duntaxat spectamus quatenus est iudicans et aliquid infallibiliter decernit. Omnes fatentur pri-

celebratum, multæ profligatæ sunt hæreses, plurimæ conditæ sunt leges ad totam Ecclesiam spectantes et universos fideles obligantes, v. g. lex jejuniû quadragesimalis, lex abstinentiæ diebus veneris et sabbati, lex audiendi Missam diebus dominicis et festivis, etc. Ergo.

3º Quamvis concilia generalia non sint absolute necessaria, aliquoties tamen adeo sunt utilia, ut dici possint moraliter necessaria, vel quia ita divisum videtur corpus episcoporum, ut solemnitas concilii generalis ab omnibus desideretur tanquam medium efficacius unitatem conservandi; vel quia generales abusus ita grassantur, ut sola concilii œcumenici auctoritas eos corrigere valeat; vel quia tam multû aut tam audaces apparent fidei hostes, ut per Ecclesiæ dispersæ decreta sufficienter refrenandi non sint. Ergo.

Insuper nihil splendidius, solemnius et ad persuadendum aptius est quam conciliorum generalium majestas: unde aliquid Ecclesiæ dignitati deesse videretur, si nulla celebrarentur concilia. Ergo.

§ V.— De conciliis particularibus.

Juxta omnes illa concilia per se non sunt infallibilia, licet Christus dixerit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; quibus verbis assistentiam quidem promisit, non autem, pro quibuscumque conciliis, infallibilitatis privilegium, sed iis solum qui vere Ecclesiam representant; sic semper fuerunt intellecta. Certum est enim promissionem infallibilitatis ad totam Ecclesiam spectare; at nihil reperitur in Scriptura neque in traditione quo idem privilegium tribui possit quibusdam episcopis, etiam collective sumptis et in concilio coadunatis, si totam Ecclesiam non representent: imo contrarium ex traditione manifestatur; sola enim concilia œcumenica habita sunt ut infallibilia. Unde, licet concilia Africæ numerosissima, a S. Cypriano congregata, pluries definierunt baptismum ab hæreticis collatum esse nullum, hoc ab universa Ecclesia catholica tanquam hæresis fuit

rejectum; e contra plurima sunt concilia particularia quorum decreta ad catholicam fidem pertinent, quia universim fuerunt recepta et infallibilitate Ecclesiæ dispersæ fulciuntur.

Hinc sequitur concilia particularia nec absolute nec moraliter esse necessaria, sed valde utilia esse possunt; nam episcopi ex eadem provincia vel natione coadunati, sibi invicem patefaciunt quid in unaquaque ecclesia agatur vel omittatur, quid propagari debeat, quid corrigi et reprimi oporteat; consiliis, adhortationibus et documentis se mutuo adjuvant, perfectiorem tum in doctrina, tum in disciplina instituunt ac servant unitatem, efficacius nascentes impugnant errores, abusus destruunt, etc. Unde plurima concilia œcumenica, et in primis Nicænum, jussurunt ut archiepiscopi frequenter concilium suæ provinciæ celebrarent. Idem renovavit concilium Tridentinum, sess. 24, c. 2, de Reform. Ergo.

In his conciliis, soli episcopi sunt judices. Alii vero, de jure aut de consuetudine convocati, non nisi ut consultores habeantur. Ipsi abbates convocari possunt; non autem habent jus ad convocationem, nec suffragium decisivum. Si vero, uti supra diximus, gauderent jurisdictione quas episcopali in territorio provinciæ, ipsis jus esset et ad convocationem et ad suffragium decisivum.

CAPUT QUARTUM.

DE OBJECTO AUCTORITATIS ECCLESIE.

Hic non agitur de auctoritate Ecclesiæ in sacramentis conficiendis, seu de potestate ordinis, neque de potestate jurisdictionis pro foro interno et in peccatis remittendis, neque de potestate ferendi leges quæ conscientiam fidelium obstrictam teneant; de his alibi disseritur, videlicet in tractatibus *de Sacramentis et de Legibus*. Nunc vero auctoritatem Ecclesiæ duntaxat spectamus quatenus est iudicans et aliquid infallibiliter decernit. Omnes fatentur pri-

vilegium infallibilitatis a Christo Ecclesiae concessum inter quosdam limites coerceri : non sufficit igitur probare Ecclesiam speciali Christi assistentia esse infallibilem, sed iusuper ostendendum in quibus materiis vel quaestionibus singulari hoc privilegio gaudeat, licet affirmari possit illam nunquam de materiis sibi non subjectis iudicaturam, quia eo ipso infallibilis non foret, cum jus indebitum sibi vindicaret.

Certum est illam esse infallibilem in quaestionibus fidei : *id sequitur ex dictis.*

Solae quae igitur nunc tractandae sunt quaestiones respiciunt ad mores, disciplinam, facta et canonizationem sanctorum.

De potestate Ecclesiae circa temporalia regum alibi disseremus : itaque quatuor hic subiiciemus articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE CIRCA MORES.

Non petitur quenam morum decreta sint utilia vel utiliora ; talis quaestio potius speculativa quam practica esset, et a prudentia, non vero a scientia penderet ; non de praecipis ad privatos homines directis ; in his namque Ecclesia decipi potest, propter locorum, personarum aut quarumdam circumstantiarum ignorantiam, ut v. g. si Ecclesia definiret talem virum ad uxorem publice ductam accedere teneri, ignorans illum alteram uxorem adhuc viventem legitime antea duxisse. Agitur itaque de moribus totae Ecclesiae communibus et ad salutem necessariis.

PROPOSITIO.

Infallibilis est Ecclesia in decretis morum totae Ecclesiae communium et ad salutem necessariorum.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Matth. xxviii, 19 et 20 : *Euntes ergo, docete omnes gentes....., docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Ecce ego vobiscum sum, etc.*

Ex his verbis constat Christum suam promississe assistentiam Ecclesiae ipsius mandata docenti : at inter mandata Christi reputanda sunt praecipua morum ad salutem necessaria.

B. Paulus, Eph. iv, 11 : *Dedit quosdam apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero evangelistas, alios autem doctores et pastores, ad consummationem sanctorum.....* Porro doctores et pastores non ducerent fideles ad consummationem sanctorum, sed potius eos a sanctitate alienarent, si in tradendis vel explicandis morum praecipis errarent. Ergo.

2^o *Traditione.* quae unanimiter admisit hoc S. Aug. effectum jam supra memoratum, p. 353 : « Quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit (Ecclesia). » Ergo.

3^o *Ratione.* Ideo instituta est Ecclesia ut fideles ad salutem ducat : atqui hunc finem non attingeret, si in generalibus morum praecipis infallibilis non esset, Christus in necessariis ipsi deesset aut deesse posset. Ergo.

Hinc 1^o Ecclesia est infallibilis in interpretanda lege naturali ; ipsius enim praecipua sunt generalia et ad salutem necessaria.

Hinc 2^o infallibilis est in approbandis ordinibus religionis, quatenus scilicet dicit hunc vel illum ordinem nihil habere in suis constitutionibus aut regulis fidei vel bonis moribus contrarium : infallibiliter vero pronuntiare non posset talem religionis ordinem futurum esse utilem vel aptiorem ad propositum finem ; hoc enim a prudentia et variis circumstantiis personarum, locorum et temporum pendet : idcirco abusus ex ordinibus religiosis provenientes, si qui sint, Ecclesiae tribui non possunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE CIRCA DISCIPLINAM.

Per disciplinam intelliguntur leges vel instituta quae externam Ecclesiae gubernationem ordinant. Duplex distinguitur disciplina : una generalis, quae ad totam spectat

Ecclesiam : et altera particularis, quæ unam ecclesiam vel ecclesias unius provinciæ aut regionis ordinat.

Quando quæritur an Ecclesia sit infallibilis circa disciplinam, sensus est utrum aliquid præcipere vel statuere possit quod juri divino, naturali aut positivo sit contrarium, vel quod, habita ratione circumstantiarum, saluti fidelium sit nocivum.

Ecclesia, ex prudentia et ad vitanda majora mala, silere potest circa quosdam errores in ecclesiis particularibus grassantes, quia ipsi tribui non possunt.

De sola ergo disciplina generali hic nobis tractandum est.

PROPOSITIO.

Ecclesia errare non potest in statuenda disciplina generali.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Act. xv, 28, Apostoli, Jerosolymis congregati, regulas disciplinæ generalis statuerunt, nempe ut fideles ab immolatis, sanguine et suffocato abstinerent : atqui tamen declararunt se in his statuendis speciali Spiritus sancti assistentia fuisse adjutos : *Visum est Spiritui sancto et vobis nihil ultra vobis imponere*, etc. Episcopi autem in disciplina generali statuenda Apostolis successerunt : ergo similiter Spiritus sancti auxilio adjuvantur, ac proinde infallibilitate donantur. Et vero, fideles tenentur obedire Ecclesiæ aliquid præcipienti : atqui repugnat illos ad id teneri quod juri divino esset contrarium vel saluti suæ nocivum : ergo.

2^o *Praxi Ecclesiæ.* *Quartodecimani* habiti sunt tanquam hæretici post decretum concilii Nicæni, quo statutum est Paschalis solemnitate prima Dominica post 14 diem lunæ quæ sequitur æquinoctium celebrandam esse : si admitteretur Ecclesiam errare posse in statuenda generali disciplina, *Quartodecimani* tanquam hæretici haberi non debuissent. Ergo.

3^o *Ratione.* Ecclesia infallibilis est circa doctrinam a Christo revelatam : atqui eo ipso infallibilis esse debet in statuenda generali disciplina ; nam ubi aliquid faciendum

præcipit, judicat illud juri divino non esse contrarium, nec saluti nocivum : porro si in hoc statuendo erraret, falso circa doctrinam Christi judicaret, in docendo erraret, sancta non esset, Christus ipsi deesset, portæ inferi adversus eam prævalerent : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Ecclesia non est infallibilis nisi in revelatis : atqui non est revelatum hanc aut illam disciplinam esse servandam : ergo.

R. 1^o. Nego maj. Necessè est enim ut promissio Christi impleatur : atqui promissio Christi non impleretur si Ecclesia non esset infallibilis etiam in non revelatis ; instituta est enim ut nos ad salutem ducat : ergo infallibilis esse debet in his quæ nobis præcipit aut prohibet relative ad salutem. At sæpe quædam nobis præcipit aut prohibet quæ non sunt revelata ; sic præcipit celebrationem festorum, observationem jejuniorum, auditionem Missæ, etc. ; prohibet Eucharistiam dare infantibus, carnes certis diebus manducare, etc. : hæc autem non sunt revelata, idcirco ad fidem non pertinent ; sed de fide est Ecclesiam in his præcipiendis aut prohibendis esse infallibilem : ergo.

R. 2^o. Dist. maj. Ecclesia non est infallibilis nisi in revelatis *mediate* aut *immediate*, *conc.* ; nisi *immediate* revelatis, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore*, *nego consq.* Equidem admitti potest, absolute loquendo, quod Ecclesia non sit infallibilis nisi in eis quæ saltem *mediate* sunt revelata ; sed, ubi aliquam instituit disciplinam, *mediate* revelatum est eam esse servandam ; nam revelatum est 1^o Ecclesiæ præcipienti obtemperandum esse, et 2^o nihil juri divino contrarium aut saluti noxium esse faciendum. Ergo si Ecclesia aliquid juri divino contrarium vel saluti nocivum præscriberet, eo ipso in iis quæ revelatæ sunt erraret. Ergo.

Obj. 2^o. Sæpe mutatur disciplina : atqui id in quo Ecclesia est infallibilis debet esse immutabile : ergo.

R. Nego min. Ad hoc enim requireretur ut privilegium infallibilitatis necessario importaret immutabilitatem in

objecto: at, ubi de disciplina agitur, id affirmari non potest. Certum est quidem veritates fidei et principia morum mutari non posse, quia in essentiis rerum fundantur: sub hoc respectu objectum infallibilitatis Ecclesiae est immutabile. At nihil vetat ne Ecclesia statuta disciplinae suae mutet et nova prioribus substituatur, prout magis expedire sibi videbitur, et non minus erit infallibilis in posterioribus quam in prioribus. Ergo.

Plurima sunt adhuc notanda circa generalem Ecclesiae disciplinam.

1° Quidquid dicitur de disciplina positivo Ecclesiae decreto statuta, simili ratione dicendum est de universali totius Ecclesiae praxi cum aliquo dogmate proxime connexa, v. g. de doxologia *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, de baptismo per solam infusionem collato, etc. Ecclesia enim non potest approbare errores contra fidem aut contra salutem proximi: at, in casibus hic expressis approbaret errores, si ipsius disciplina erronea esset. Ergo.

2° Non parvum datur discrimen inter has duas propositiones: Ecclesia nihil discernere potest, in sua disciplina, juri divino contrarium, aut saluti nocivum; et: Ecclesia semper aptiora et efficaciora instituit disciplinae praecepta. Prior propositio est certissima et ab omnibus catholicis admittitur; posterior vero est falsa et communiter rejicitur. Varias namque ob rationes contingere potest ut Ecclesia rigidiores aut molliores disciplinae regulas praescribat, propter quandam locorum aut hominum ignorantiam; in his non est infallibilis, *ut infra dicemus*. Ita Melchior Canus, l. 4, c. 5, versus finem; P. Thomassin, praef. in exquisitum opus cui titulus: *Discipline ecclesiasticae*, n. 15 et seq.

3° Quidam sunt usus in Ecclesia universa generatim recepti et etiam approbati, qui tamen ad fidem non pertinent, quia ut tales non exhibentur; sic consuetudo celebrandi festum immaculatae Conceptionis vel Assumptionis B. Mariae non probat de fide esse sanctissimam illam virginem sine labe fuisse conceptam, et in corpore ad caelos ascendisse.

4° Ecclesia *a fortiori* non censetur multas approbare summorum Pontificum dispensationes, gratiarum extraordinariorum concessionem, etc., quae probabiliter tantum nituntur opinione; nam hujusmodi actus nunquam exhibentur velut totius Ecclesiae decisiones.

5° Praesentem Ecclesiae disciplinam improbare non licet, quamvis lugenda sit morum relaxatio quae causa fuit cur antiqua et perfectior mutata fuerit disciplina; haec enim mutatio tribuenda est fidelibus, non vero Ecclesiae, quae suam disciplinam moribus accommodare debuit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE CIRCA FACTA.

Hanc maximi momenti quaestionem mira obscuritate involvere semper conati sunt Janseniani; asserebant enim in genere Ecclesiam infallibiliter judicare non posse de factis.

Ut status quaestionis recte dignoscatur, notandum est jus a facto distinguendum esse. Quaestio est juris, quando qualitas alicujus doctrinae in se sumpta expenditur, v. g. utrum Filius Patri sit consubstantialis, utrum in Christo duplex sit natura et unica persona, utrum Christus realiter sit praesens in Eucharistia, etc. Dicitur quaestio juris, quia definiri non potest nisi per verbum Dei, in Scriptura aut in traditione contentum: verbum autem Dei est publicum jus nostrum quod perpetuo consulere et sequi tenemur. Quaestio est facti, quando examinatur an propositio hunc vel illum habeat sensum, vel in tali libro contineatur.

Facta vero multiplicis sunt generis: 1° alia sunt immediate revelata, v. g. passio et mors Christi, ipsius resurrectio; 2° alia non sunt eodem modo revelata, et iterum dividuntur 1° in historica, scilicet quando de rebus gestis agitur, v. g. utrum Arius in concilio Niceno fuerit damnatus; 2° in mere personalia, quae ad specialem alicujus personae statum, crimen, innocentiam, mentis sensum, etc., respiciunt, v. g. an Jansenius fuerit auctor illius li-

bri qui ipsi attribuitur, vel an hunc aut illum sensum in mente habuerit dum scriberet; 3^o facta grammaticalia, quæ ad voces tantum et syllabas spectant, v. g. quinque celebres Jansenii Propositiones continentur de verbo ad verbum in ipsius *Augustino* 2^o 4^o Denique facta dogmatica, quæ etiam complexa dicuntur; duplicem involvant quæstionem, unam juris et alteram facti. Sit in exemplum hæc Jansenii propositio: *Ad merendum aut demerendum, in statu nature lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione.* Duplex exurgit quæstio circa hanc propositionem: 1^o an sit hæretica, 2^o an in libro Jansenii contineatur, et eo sensu accipienda sit. Igitur factum dogmaticum est illud quod habet connexionem cum propositione de fide.

Certum est 1^o Ecclesiam infallibiliter judicare de factis immediate revelatis, quia ad depositum revelationis pertinent.

Certum est 2^o illam infallibilitatis privilegio non gaudere circa facta historica aut mere personalia, quia tale privilegium ipsi non necessarium est ad depositum fidei custodiendum. Omnes tamen fatentur summam deberi reverentiam Ecclesiæ de hujusmodi factis judicanti, v. g. quando talem hominem velut hæreticum damnat.

Certum est 3^o Ecclesiam, vi promissionis sibi factæ, infallibiliter non judicare de factis grammaticalibus: voces et syllabas non attendit, sed doctrinam, id est sensum propositionum et librorum.

Certum est 4^o eam in factis dogmaticis infallibilem esse circa quæstionem juris: id ab omnibus qui auctoritatem ejus agnoscunt plane conceditur.

Tota igitur difficultas ad hoc reducitur, nempe an Ecclesia sit infallibilis in assignando genuino alicujus libri sensu.

Hæc quæstio, ante Jansenianos inaudita, prima vice cœpit agitari post bullam *Cum occasione*, qua Innocentius X, anno 1653, quinque famosissimas Jansenii Propositiones solemniter damnavit, primam ut *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam*; secundam et tertiam ut

hæreticas; quartam ut *falsam et hæreticam*; et quintam ut *falsam, temerariam, scandalosam* et, in uno sensu, *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem et hæreticam*. Jansenii defensores negare non potuerunt illas Propositiones merito fuisse damnatas, sed acriter contenderunt eas in libro Jansenii non contineri: hinc origo distinctionis toties recantatæ inter jus et factum.

Alexander VII, Innocentii X successor, novam edidit bullam *Ad sacram*, qua declarabat quinque Propositiones in libro Jansenii contineri, et ad sensum illius auctoris fuisse damnatas. Hinc magnus inter novatores rumor; tunc cœperunt palam dicere Ecclesiam infallibiliter judicare non posse de factis etiam dogmaticis, seu de sensu librorum; illam merito quidem allatas Propositiones damnasse, sed Alexandrum VII immerito definiisse eas in libro Jansenii contineri. Ita notissimus *Arnauld* et post eum tota Jansenianorum turba. Idem Alexander VII, voto cleri Gallicani annuens, novam dedit bullam, die 15 februarii, anno 1665, qua aliquod præscribebat Formularium (*Formulaire*) ab omnibus episcopis et presbyteris subscribendum; unusquisque subscribens cum expresso juramento profitebatur se Constitutionibus Apostolicis Innocentii X et Alexandri VII subjicere, et quinque Propositiones ex » Cornelii Jansenii libro cui nomen *Augustinus* excerptas, » in sensu ab auctore intento, sincero animo rejicere ac » damnare. » Quatuor tantum episcopi Gallicani huic bullæ fortiter obstiterunt, scilicet *Pavillon*, episcopus Alectensis, *H. Arnauld* Andegavensis, *Caulet* Apamiensis, et *de Buzenval* Bellovacensis.

Inter Jansenianos, alii cum *A. Arnauld* nullo modo subscribere voverunt Formulario; asserebant enim id sine evidenti perjurio fieri non posse; alii vero tenebant subscriptionem absolute licitam esse. At simul contendebant internum mentis assensum non esse necessarium, solumque requiri obsequiosum silentium. Novum effugium istud proseripsit Innocentius XII, in suis epistolis ad episcopos Belgicos, an. 1694 et 1596, et præsertim *Clemens XI*, bulla *Vincam Domini*, an. 1705.

Catholici autem circa hanc questionem non sunt unanimis; quidam enim fatentur Ecclesiam in hujusmodi factis nunquam errasse, et præsumendum illam nunquam erraturam, ac proinde in hoc puncto moraliter infallibilem esse. At illa opinio communissime rejicitur; in ea enim nullum assignatur motivum infallibile quo nitantur fideles ut assensum judicio Ecclesiæ præbeant.

Cæteri vero dicunt Ecclesiam, in his factis, vi promissionum Christi, infallibiliter judicare. Cum quibus sit

PROPOSITIO.

Vi promissionum Christi, Ecclesia in factis dogmaticis, seu in intelligendo et proponendo naturali librorum sensu, infallibiliter judicat.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et rationibus theologis.

1^o *Scriptura sacra.* Ex variis Scripturæ locis constat Ecclesiam, vi promissionum Christi, esse infallibilem in docendo, in sanam doctrinam proponendo et falsam reprobando: atqui in hoc puncto infallibilis esse non potest quin pariter sit infallibilis in intelligendo et proponendo naturali librorum sensu; si enim infallibilis non esset in assignando naturali librorum sensu, fieri posset ut librum hæreticum approbaret et orthodoxum condemnaret: at in utroque casu erraret; nam si librum hæreticum approbaret, hæresim positive doceret; si librum orthodoxum velut hæreticum rejiceret, eo ipso doctrinam oppositam, falsam et hæreticam approbaret: ergo.

2^o *Praxi Ecclesiæ.* Quod Ecclesia jugiter sibi vindicavit, id rejici non potest. Hoc fatentur adversarii; tenent enim Ecclesiam in dogmate errare non posse: attamen in dogmate erraret, si jus aliquod falso sibi tribueret. Porro Ecclesia jugiter jus sibi vindicavit de naturali sensu librorum infallibiliter judicandi; hoc enim innumeris ostenditur factis quæ unusquisque potest legere in toto historia ecclesiasticæ decursu, et apud *Tournely, Bailly, de la*

Hogue aliosque theologos: inter ea quædam tantum seligemus.

Impia Nestorii doctrina solemniter damnata fuerat in concilio Ephesino, tertio generali; quædam postea prodierunt opera quæ judicabantur erroribus Nestorii nimis faventia, nempe liber Theodori Mopsuesteni episcopi adversus Apollinarem, liber Theodoretæ Cyrinensis episcopi contra S. Cyrillum, et epistola Ibæ Edesseni episcopi ad quemdam Marim Persam. Cum, in concilio generali Chalcedonensi, Theodoretus et Ibas, a sedibus suis in *latrocinio Ephesino* injuste depulsi, canonicè fuissent restituti, plurimi arbitrabantur ipsorum scripta eo ipso fuisse a sacro concilio approbata; hinc gravis inter catholicos orta est controversia circa illa opera quæ dicebantur *tria Capitula*.

Ad dirimendam hanc controversiam generalis convocata est synodus Constantinop. II, anno 553, longe post mortem Theodori, Theodoretæ et Ibæ. Patres hujus concilii, in quinta et sexta collatione seu sessione, opera Theodoretæ et Ibæ, intactis eorum personis, damnaverunt; Theodori vero scripta, nomen et personam proscripserunt. Unde sic argumentari licet: Ibi certe de facto agebatur, nempe utrum illa opera erroribus Nestorii faverent: atqui Ecclesia jus sibi vindicavit de illis infallibiliter judicandi; sancta enim synodus Constantinop. exegit sub pœna anathematis ut omnes sententiæ damnationis se submitterent, et pluries anathema dicit eis qui *impia Theodoretæ scripta et impiam Ibæ epistolam defendant*. Ergo.

Idem habetur de condemnatione librorum in concilio Lateranensi, sub Martino I, anno 649 celebrato, art. 5, can. 18, et in concilio Constantiensi, sessione ultima, ubi statuitur eos qui suspecti sunt interrogandos esse « utrum » credant, teneant et asserant Joannem Wicelsum, Joannem Hus et Hieronymum de Praga fuisse hæreticos.... » et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos, » propter quos et quas, et eorum pertinacias, per sacrum » concilium Constantiense pro hæreticis sint condemnati. » Ergo tam pro libris quam pro doctrinis aliquis damnari potest ut hæreticus: hoc autem supponit Ecclesiam in judi-

candis libris sicut et doctrinis infallibilem esse. Ergo 2^o.

3^o *Rationibus theologicis.* 1^o Ecclesia, fatentibus adversariis, infallibiliter de sensu propositionum judicat: atqui non minus infallibiliter judicare debet de sensu librorum; nam libri ex propositionibus sibi succedentibus constant; si igitur de illis Ecclesia infallibiliter judicare non posset, maxime quia numerosiores vel longiores essent: illud autem est absurdum; nulla siquidem excogitari potest ratio cur Ecclesia tutius de brevibus propositionibus quam de longioribus, de una quam de pluribus judicaret. Ergo.

2^o Fatentur iterum adversarii Ecclesiam infallibiliter de symbolis et fidei professionibus judicare: ergo a pari de sensu librorum infallibiliter judicat; symbolum enim est in suo genere liber, brevis quidem, sed longior esse posset, et de facto longior est quibusdam hæreticorum epistolis: quare ergo de his epistolis Ecclesia infallibiliter judicare non posset?

3^o Sæpe adversarii citant Patres et totam traditionem invocant: at in eorum principiis, Ecclesia infallibiliter judicare non posset talem veritatem in traditione esse contentam; nam istiusmodi iudicium ferre non potest quin de sensu librorum judicet. Unde celebris Calvinista *Pajou* sic *Arnauld* premebat, contra exquisitum illius opus *de la Perpétuité de la foi*, etc. « Si tibi licet, o Arnalde, de sensu Jansenii litigare post Ecclesiæ definitionem, quidni licet nobis de sensu Augustini, Chrysostomi aliorumque Patrum disputare, in nostra de præsentia reali disceptatione. » Huic argumento ad hominem nihil solidi respondere poterat *Arnauld*. Immerito etiam Janseniani citant doctrinam divi Aug. tanquam ab Ecclesia approbatam; nam Ecclesia illam non approbavit, nisi de sensu librorum ejus judicando. Ergo.

3^o Ecclesia infallibiliter definiit Vulgatam genuinum Scripturæ sensum continere quoad doctrinam: atqui illud definire non potuit nisi legendo et interpretando libros qui sibi exhibebantur tanquam divina exprimentes: ergo.

5^o An Ecclesia sit infallibilis circa facta dogmatica, est quæstio juris: verum Ecclesia hanc quæstionem sua agen-

di ratione affirmative solvit contra Jansenistas, siquidem bullæ summorum Pontificum ab universa Ecclesia fuerunt acceptatæ: ergo, etc. Ergo 3^o.

Nota. Si petatur an propositio nostra sit de fide divina, distinguendum esse nobis videtur. In se spectata, v. g. Ecclesia, vi divinarum promissionum, infallibilitate circa facta dogmatica donatur: est de fide divina; illa enim propositio est de fide divina, quæ in deposito revelationis contiuetur, cui propter summam Dei veracitatem assentimus: atqui talis est prædicta propositio, siquidem ex Scriptura et traditione probatur.

Si vero quæstio ad factum particulare reducatur, an v. g. quinque Propositiones Jansenii in ipsius libro contineantur, propositio non est de fide divina, tunc enim illi non assentimus præcise ob veracitatem Dei eam revelantis, sed ob auctoritatem Ecclesiæ definientis: fides igitur quam hujusmodi facto adhibemus, merito a pluribus theologis, post *D. de Péréfixe* apud *Tournely*, et *Bossuet*, *Lettres aux religieuses de Port-Royal*, dicitur ecclesiastica. Medium locum inter fidem divinam et fidem humanam tenet; longe tamen a fide humana distat; hæc enim fallibili tantum, illa vero infallibili motivo nititur; quia, ex supradictis, Ecclesia infallibiliter pronuntiat circa hujusmodi facta. Imo fides ista quodam sensu ad fidem divinam revocari potest; immediate quidem auctoritate Ecclesiæ nititur: verum, ob summam Dei auctoritatem, credimus Ecclesiam circa hujusmodi facta esse infallibilem: ergo assensus noster mediate Dei verbo fundatur.

Attamen, qui simpliciter diceret Ecclesiam circa prædictum factum infallibilem non esse, formaliter hæreticus dici non posset, quia propositioni certo revelatæ et definite non adversaretur. Qui autem consensum internum iudicio Alexandri VII denegaret, hæreticus esset: contra expressam enim definitionem ab Ecclesia acceptatam ageret. Res illustratur exemplo: qui negaret concilium Tridentinum esse œcumenicum, hæreticus non esset: qui vero assensum uni ex definitionibus ejus recusaret, ab hæresis labe excusari non posset. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Ecclesia dici non potest infallibilis circa facta quæ modo approbat et modo condemnat: atqui Ecclesia approbavit facta dogmatica et eadem postea damnavit, nempe tria Capitula, quæ approbata fuerunt in concilio Chalcedonensi et damnata in secundo concilio Constantinop. Ergo.

R. Nego minorem et ejus probationem. Tria Capitula fuerunt damnata in quinto concilio generali, ut supra notavimus; at falsum est ea in concilio Chalcedonensi fuisse approbata. Nam 1^o in eo concilio nulla facta est mentio Theodori Mopsuesteni. 2^o Theodoretus et Ibas declarati sunt orthodoxi et sedibus suis restituti, illorum vero opera nullo modo admissa fuerunt ut orthodoxa: porro auctores declarari potuerunt orthodoxi, licet eorum opera non approbarentur. Enim vero non declarati sunt orthodoxi, nisi postquam epistolæ S. Leonis ad Flavianum patriarcham Constantinop. subscripserunt, et anathema Nestorio ejusque erroribus dixerunt; Ibas negavit epistolam ad Marinum esse suam. Illa autem agendi ratione sua opera sufficienter retractabant, aut manifestabant se in pravo sensu ea non intellexisse. Falsum est ergo tria Capitula in concilio Chalcedonensi fuisse approbata.

Aliunde, plurimi theologi contendunt concilium Chalcedonense non fuisse œcumenicum quando causas Theodoretæ et Ibasæ judicavit, quia S. Leo ei consensisse non videtur quoad istud factum; legatos enim miserat sub expressa conditione quod sola fides tractaretur, ut patet ex ipsius epistola ad Maximum, Antiochenum patriarcham, *Labbe*, t. 4: « Si quid sane, inquit, ab his fratribus quos » ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad » causam fidei pertinebat, gestum esse perhibeatur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum ab Apostolica sede sunt directi: » ergo causis a fide distinctis non consentiebat.

Quædam objiciuntur verba epistolæ Pelagii II summi pontificis, ad episcopos Histrienses, sed unica observatione

facile solvuntur; totus enim erat Pontifex ut Histriensibus episcopis persuaderet tria Capitula, post definitionem V concilii generalis, nulla ratione propugnari posse: admitteret ergo infallibilem auctoritatem Ecclesiæ in iudicandis hujusmodi factis.

Palavicinus etiam dicit, Hist. conc. Trid. lib. 9, c. 18, n. 9, controversiam de tribus Capitulis non pertinuisse ad infallibilem Ecclesiæ auctoritatem: verum *unecuique attente legenti patebit* id Palavicinum intelligere de Theodori, Theodoretæ et Ibasæ personis, non de eorum erroribus: atqui omnes fatentur Ecclesiam non esse infallibilem in damnandis personis: ergo.

Obj. 2^o. Cardinales Baronius, Bellarminus et de Turrecremata vindicant Honorium summum Pontificem ab omni errore: atqui tamen in sexta synodo generali, Constantinop. III, damnatus fuit tanquam hæreticus: ergo.

R. 1^o. Etiam si illustres illi cardinales doctrinam nobis oppositam tenuissent, nihil absolute contra nos sequeretur; evidens est enim eorum auctoritatem tot rationibus et manifestis sanctæ sedis Apostolicæ iudiciis prævalere non posse.

R. 2^o. Dist. maj. Tres dicti cardinales vindicant Honorium ab omni errore, et arbitrantur eum a sexta synodo non fuisse damnatum, *concedo*; et arbitrantur illum fuisse damnatum, *nego maj.* Equidem tres supradicti cardinales magno zelo conantur ab omni errore Honorium purgare, sed auctoritatem sexti concilii non ideo labefactare volunt; nam alias afferunt rationes ut illum a nota erroris immunem faciant, scilicet, internam ipsius mentem in scribendis epistolis spectant, vel asserunt acta concilii sexti fuisse corrupta. Ergo.

Obj. 3^o. Sententia nostra de potestate Ecclesiæ circa facta dogmatica est nova: ergo rejicienda est.

R. Nego ant. Illa enim sententia non est nova quæ semper fuit in usu: atqui sententia nostra, circa facta dogmatica, semper fuit in usu, sicut in probatione diximus. Non quidem eodem modo et eadem præcisione exprimebatur, quia nondum prodierant disputationes postea exortæ; sed

Ecclesia jugiter damnavit hæreticorum verba et libros, v. g. Origenis, Arii, Pelagii, Nestorii, Eutychetis, etc. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE AUCTORITATE ECCLESIE IN CANONIZATIONE ET BEATIFICATIONE SANCTORUM.

Canonizatio est solenne Ecclesie judicium de sanctitate alicujus viri in catholica religione defuncti, cum præcepto religiosum illi cultum exhibendi.

Beatificatio est licentia a summo Pontifice concessa ut alicuius defunctus appelletur *beatus*, et in aliqua regione, ecclesia aut familia quidam illi exhibeatur cultus religiosus.

Unde canonizatio in pluribus differt a beatificatione. 1^o Enim in canonizatione præcipitur ut alicuius pro sancto habeatur et cultus ei rependatur; in beatificatione vero cultus tantum permittitur. 2^o Canonizatio ad totam respicit Ecclesiam, et beatificatio intra provinciam, diocesium, civitatem, parochiam aut monasterium saltem ordinarie coercetur. 3^o Canonizatio est sententia definitiva de viri sanctitate ab omnibus reverenda et colenda; at in beatificatione judicium quod fertur non est ultima et definitiva sententia de beatificati sanctitate.

Per multa sæcula episcopi sua auctoritate cultum religiosum hominibus cum characteribus sanctitatis mortuis decernebant; illa cultus institutio erat particularis canonizatio, seu melius, ut observat Benedictus XIV, beatificatio; nam præceptum episcopi ultra limites sue diocesis extendi non poterat. Ille ergo cultus necessario erat limitatus, et cunctos Ecclesie fideles obligare non poterat, nisi, a singulis episcopis per orbem successive admissis, fieret catholicus: improprie ergo ille cultus diceretur canonizatio, siquidem canonizatio ex definitione ad totam per se respicit Ecclesiam.

Mos iste sanctos canonizandi, seu potius beatificandi, usque ad duodecimum sæculum exstitit. S. Ulricus, Augustanus episcopus, primus fuit solemniter canonizatus a

summo Pontifice, scilicet a Joanne XV, anno 993; secundus fuit Simeon, solitarius, a Benedicto IX, anno 1042; et tertius S. Geraldus, episcopus Tullensis, ab eodem Benedicto IX, anno 1050. Ultimus, juxta antiquam formam in sanctorum numerum relatus, fuit S. Galterius (S. Gautier), abbas S. Martini Pontisaræ, quem archiepiscopus Rothomagensis canonizavit anno 1153.

Alexander III et Innocentius III, in fine duodecimi sæculi, advertentes multos abusos circa cultum sanctorum ex nimia episcoporum facilitate aut credulitate sæpius exoriri, prohibuerunt ne deinceps aliquis pro sancto haberetur aut coli inciperet sine Romani pontificis approbatione. Urbanus VIII, per bullam anni 1634, non solum canonizationem, sed ipsam beatificationem et quidquid ad cultum servorum Dei pertinet, Apostolicæ sedi reservavit. *His notatis.*

Queritur an Ecclesia sit infallibilis in canonizatione et beatificatione sanctorum.

Certum est 1^o canonizationem particularem, seu beatificationem æquipollentem, ut eam vocat Benedictus XIV, ab episcopo vel a metropolitano factam, nusquam haberi potuisse tanquam infallibile Ecclesie judicium; nam privilegium infallibilitatis episcopis singulatum sumptis non competit; atqui tamen in his casibus non reperitur judicium totius Ecclesie, sed tantum alicujus episcopi, aut ad summum quorundam episcoporum; ergo nisi aliquis privatim olim canonizatus, postea per orbem universum habitus fuerit ut sanctus, infallibiliter constare non potest illum esse sanctum.

2^o *Velut certum communiter admittitur* Ecclesiam non esse infallibilem in simplici servorum Dei beatificatione. Nam 1^o illud solum judicium haberi debet ut infallibile quod absolute et definitive fertur: atqui in beatificatione judicium Ecclesie non fertur absolute et definitive, siquidem tota causa de novo instruitur quando de beatificatione ad canonizationem transitur. 2^o Illud judicium ut infallibile haberi non debet quod ad universam non dirigitur Ecclesiam, quemadmodum supra jam exposuimus.

3^o In beatificatione nihil præcipitur, sed tantum aliqua fit concessio: porro de natura concessionis Ecclesiæ non est absolute ut sit infallibilis. Ita Benedictus XIV, in eruditissimo opere de Canonizatione sanctorum, l. 1 de Beatif. c. 42, n. 12. Qui tamen contra publicam beatificationis sententiam insurgeret, temeritatis notam declinare non posset. Nunc igitur de sola canonizatione solemnè agitur.

PROPOSITIO.

Solemne Ecclesiæ iudicium circa sanctorum canonizationem est infallibile.

Prob. auctoritate et ratione.

1^o *Auctoritate.* Summi Pontifices, saltem a multis sæculis, servos Dei solemniter canonizant, seu inter sanctos annumerant, et jubent ut cultus religiosus eis exhibeatur, cunctis episcopis tacentibus: at si tale decretum esset falsum, Ecclesia approbaret errorem, ut patet: ergo.

2^o *Ratione.* Illud enim admitti non potest quod cultum religiosum erga omnes sanctos subverteret, Ecclesiam contemptui exponeret, et ejus sanctitatem labefactaret: atqui talis esset sententia docens Ecclesiam in canonizatione sanctorum esse fallibilem. 1^o Cultum religiosum erga omnes sanctos subverteret; si enim semel admittatur Ecclesiam errare posse in agnoscenda alicujus defuncti sanctitate, unusquisque dubitare poterit de legitimitate cultus erga insigniores sanctos præscripti. 2^o Ecclesiam contemptui exponeret; in ea enim opinione, impii, hæretici et perditii homines semper exprobrare possent Ecclesiæ quod forte inimicis Dei et reprobis religiosos tribuat honores, et nulla ratione firma redargui possent. 3^o Sanctitatem Ecclesiæ labefactaret; Ecclesia quippe debet esse sancta in suo cultu: at, prædicta opinione semel admissa, non esset sancta in suo cultu, siquidem cultum objecto prorsus indigno forsitan exhiberet. Ergo.

Soleantur objectiones.

Obj. 1^o. Sanctitas alicujus viri pendet a factis persona-

libus: at Ecclesia de factis personalibus infallibiliter non judicat: ergo.

R. dist. min. Ecclesia de factis personalibus infallibiliter non judicat, si in se spectentur, *conc.*; si in aliquo casu cum puritate doctrinæ Evangelicæ essentialiter jungantur, *nego min.* Itaque fatemur Ecclesiam de factis personalibus in se sumptis infallibiliter non judicare; at ubi illa facta, propter aliquam circumstantiam, essentialiter cum puritate doctrinæ Evangelicæ junguntur, de illis infallibiliter judicare debet Ecclesia; nam de doctrina Evangelica infallibiliter judicat: necesse est igitur ut infallibiliter de iis judicet quæ ad tale iudicium essentialiter prærequiruntur: porro, in solemnè canonizationis sententia, facta quæ sanctitatem viri probant, cum puritate doctrinæ Evangelicæ essentialiter conjunguntur; nam puritas doctrinæ Evangelicæ necessario exigit ut cultus religiosus alicui non sancto nomine totius Ecclesiæ et præcepto ejus non rependatur. Ergo. Unde Benedictus XIV, opere citato, l. 1, c. 44, n. 4: « Omnibus prædictis objectis unica solidissima responsione satisfiit, si dicatur, quidquid ex materiæ et testimonii qualitate pro infallibilitate desumitur, plene submoveri, ex divina Providentia et Spiritus sancti præsentia. »

Obj. 2^o. Multi honorantur ut sancti qui ab episcopis tantum aut archiepiscopis per iudicium fallibile fuerunt canonizati: ergo *a pari* non necesse est ut solemnè Ecclesiæ sententia sit infallibilis.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod in priori casu cultus religiosus nomine totius Ecclesiæ non exhibeatur. Itaque si error de facto existat, in totam Ecclesiam refundi non potest, nec ideo promissionibus Christi opponitur. In posteriori vero hypothesi, error tribuendus foret Ecclesiæ, et promissis Christi adversaretur, ut diximus. Ergo.

Nec sufficeret dicere errorem in eo casu esse tantum materialem, ac proinde non culpabilem, ut v. g. quando adoratur hostia quæ falso putatur consecrata; nam repugnat Ecclesiam directe approbare errorem contra bonos

mores et Dei honorem : atqui hujusmodi errorem directe approbaret Ecclesia, si publicum decerneret cultum alicui non sancto. Quando autem adoratur hostia quæ falso putatur consecrata, est error facti particularis qui in Ecclesiam refundi non posset; nam Ecclesia non decernit talem hostiam esse consecratam : contra vero judicat talem hominem esse sanctum, et cultum illi exhibendum. Ergo.

Obj. 3^o. Pluries deleta sunt nomina sanctorum in Martyrologio et in Breviario Romano : at quæcumque in Martyrologio et Breviario Romano inscribuntur, ab universa Ecclesia censentur approbata. Ergo.

R. Nego min. Ea enim reputari non possunt ab universa Ecclesia approbata, quæ ei non proponuntur ut definita et cunctos fideles obligantia : porro ea quæ reperiuntur in Martyrologio et in Breviario Romano non proponuntur ut definita et cunctos fideles obligantia; Benedictus enim XIV expresse declarat, l. 4, part. 2, c. 13, n. 8, facta historica quæ in Breviario Romano referuntur, licet non modicam mereantur fidem, posse tamen novo examini subjici, etiam a privatis hominibus, modo id fiat modeste et cum gravi fundamento; et ibidem, c. 17, n. 9, hæc habet illustris Pontifex : « Asserimus Apostolicam » sedem non judicare inconcussæ esse et certissimæ veritatis quæcumque in Martyrologium Romanum inserta » sunt... quod optime colligitur ex mutationibus et correctionibus a sancta ipsa Sede demandatis. » Ergo. Nihil a fortiori concludi potest ex *Legendis* in aliis libris contentis.

Nec pariter habenda est ut definita sanctitatis eorum quorum corpora aut aliæ reliquæ insignes, sive cum nomine proprio, sive cum imposito, alieni Ecclesie a summo Pontifice etiam cum Litteris authenticis traduntur.

Queritur utrum infallibilitas Ecclesie circa sanctorum canonizationem ad fidem divinam pertineat.

R. Eodem modo de hac infallibilitate judicandum est ac de infallibilitate circa facta dogmatica. De fide divina videtur Ecclesiam jus habere infallibiliter pronuntiandi in canonizationibus sanctorum; nam Ecclesia infallibilis est

circa morum præcepta : canonizatio autem sanctorum ad præcepta morum pertinet, *ut in probatione observavimus.* At, posito solemnî Ecclesie decreto de alicujus viri sanctitate, constatne fide divina hunc virum esse sanctum? Disputant inter se theologi; communius tenetur hoc factum ad fidem divinam non pertinere. Benedictus XIV, momenti utriusque opinionis scite et perite, pro more suo, libratis, sic concludit : « Videtur igitur nobis utraque » que opinio in sua probabilitate relinquenda, usquequo » sedis Apostolicæ judicium prodeat; » de Canon. l. 1, c. 45, n. 27. Valde tamen temerarius foret qui contra aliquod canonizationis decretum insurgeret. Melchior *Canus*, lib. 5, c. 5, versus finem, eum vocat temerarium, impudentem ac irreligiosum.

PARS TERTIA.

DE CAPITE ET MEMBRIS ECCLESIE.

Dicemus 1^o de capite, et 2^o de membris Ecclesie.

CAPUT PRIMUM.

DE CAPITE ECCLESIE.

Certum est existere supremum et invisibile caput totius Ecclesie visibilis, nempe Christum, *qui*, ut ait Apostolus, Coloss. 1, 18, *est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum teneat.* Sed *queritur* utrum aliud existat caput Ecclesie, vices Christi super terram gerens, et visibilem primatum in tota Ecclesia tenens? Si hujusmodi existat caput universale pro tota Ecclesia, aliud sine dubio esse non potest quam pontifex Romanus; aliud enim non est in mundo qui talem prærogativam sibi adscribere possit.

Primatus autem duplex esse potest, scilicet aliud hono-

mores et Dei honorem : atqui hujusmodi errorem directe approbaret Ecclesia, si publicum decerneret cultum alicui non sancto. Quando autem adoratur hostia quæ falso putatur consecrata, est error facti particularis qui in Ecclesiam refundi non posset; nam Ecclesia non decernit talem hostiam esse consecratam : contra vero judicat talem hominem esse sanctum, et cultum illi exhibendum. Ergo.

Obj. 3°. Pluries deleta sunt nomina sanctorum in Martyrologio et in Breviario Romano : at quæcumque in Martyrologio et Breviario Romano inscribuntur, ab universa Ecclesia censentur approbata. Ergo.

R. Nego min. Ea enim reputari non possunt ab universa Ecclesia approbata, quæ ei non proponuntur ut definita et cunctos fideles obligantia : porro ea quæ reperiuntur in Martyrologio et in Breviario Romano non proponuntur ut definita et cunctos fideles obligantia; Benedictus enim XIV expresse declarat, l. 4, part. 2, c. 13, n. 8, facta historica quæ in Breviario Romano referuntur, licet non modicam mereantur fidem, posse tamen novo examini subjici, etiam a privatis hominibus, modo id fiat modeste et cum gravi fundamento; et ibidem, c. 17, n. 9, hæc habet illustris Pontifex : « Asserimus Apostolicam » sedem non judicare inconcussæ esse et certissimæ veritatis quæcumque in Martyrologium Romanum inserta » sunt... quod optime colligitur ex mutationibus et correctionibus a sancta ipsa Sede demandatis. » Ergo. Nihil a fortiori concludi potest ex *Legendis* in aliis libris contentis.

Nec pariter habenda est ut definita sanctitatis eorum quorum corpora aut aliæ reliquæ insignes, sive cum nomine proprio, sive cum imposito, alieni Ecclesie a summo Pontifice etiam cum Litteris authenticis traduntur.

Queritur utrum infallibilitas Ecclesie circa sanctorum canonizationem ad fidem divinam pertineat.

R. Eodem modo de hac infallibilitate judicandum est ac de infallibilitate circa facta dogmatica. De fide divina videtur Ecclesiam jus habere infallibiliter pronuntiandi in canonizationibus sanctorum; nam Ecclesia infallibilis est

circa morum præcepta : canonizatio autem sanctorum ad præcepta morum pertinet, *ut in probatione observavimus.* At, posito solemnî Ecclesie decreto de alicujus viri sanctitate, constatne fide divina hunc virum esse sanctum? Disputant inter se theologi; communius tenetur hoc factum ad fidem divinam non pertinere. Benedictus XIV, momenti utriusque opinionis scite et perite, pro more suo, libratis, sic concludit : « Videtur igitur nobis utraque » que opinio in sua probabilitate relinquenda, usquequo » sedis Apostolicæ judicium prodeat; » de Canon. l. 1, c. 45, n. 27. Valde tamen temerarius foret qui contra aliquod canonizationis decretum insurgeret. Melchior *Canus*, lib. 5, c. 5, versus finem, eum vocat temerarium, impudentem ac irreligiosum.

PARS TERTIA.

DE CAPITE ET MEMBRIS ECCLESIE.

Dicemus 1° de capite, et 2° de membris Ecclesie.

CAPUT PRIMUM.

DE CAPITE ECCLESIE.

Certum est existere supremum et invisibile caput totius Ecclesie visibilis, nempe Christum, *qui*, ut ait Apostolus, Coloss. 1, 18, *est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum teneat.* Sed *queritur* utrum aliud existat caput Ecclesie, vices Christi super terram gerens, et visibilem primatum in tota Ecclesia tenens? Si hujusmodi existat caput universale pro tota Ecclesia, alius sine dubio esse non potest quam pontifex Romanus; alius enim non est in mundo qui talem prærogativam sibi adscribere possit.

Primatus autem duplex esse potest, scilicet alius hono-

ris et alius jurisdictionis. Primatus honoris ille est quo aliquis primum locum inter ceteros obtinet, sed absque ulla superiori potestate, qualis est, v. g., praeses in coetu deliberante ex aequalibus membris composito. Primatus jurisdictionis ille est quo aliquis non solum in coetu primum locum obtinet, sed reipsa aliis superior constituitur et majorem habet potestatem.

Primatus potest iterum vel esse tantum juris ecclesiastici, ut in archiepiscopis, primatibus et patriarchis; vel juris divini, si ab ipso Christo fuerit institutus. Schismatici et haeretici non egre concederent pontifici Romano quemdam honoris primatum, vel etiam admitterent illum superiorem aliquam olim habuisse jurisdictionis potestatem, sed tantum juris ecclesiastici, quam deinceps Ecclesia ab eo auferre potuit. Ita sentiunt Graeci, qui pontifici Romano subjecti fuerunt usque ad tempora patriarchae Photii, circa annum 887. Catholici vero unanimiter contendunt Romanum pontificem semper habuisse jure divino primatum, non tantum honoris, sed jurisdictionis, in tota Ecclesia. Ut ergo ad ipsa rerum exordia ascendamus, examinabimus 1^o an Christus concesserit Petro praeminentiam auctoritatis supra alios Apostolos, et 2^o an illa praeminentia ad episcopum Romanum integra transierit. Hinc in quatuor articulos praesens caput dividemus: 1^{us} erit de primatu B. Petri; 2^{us} de primatu Romani pontificis; 3^{us} de ejusdem monarchia, et 4^{us} de consecrariis ejus primatus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRIMATU B. PETRI.

In odium Romani pontificis audacter negaverunt protestantes Christum aliquam concessisse B. Petro auctoritatem supra alios Apostolos: unde iuferunt episcopum Romanum nihil supra alios episcopos ratione suae sedis habere. Quidam alii novatores, quorum fit mentio apud *Tournely*, praetenderunt aequalem collatam fuisse potestatem Petro et Paulo. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Beatus Petrus accepit a Christo praeminentiam auctoritatis supra omnes alios Apostolos.

Prob. ex Scriptura sacra. Ex. S. Joan. I, 41, Andreas primus viderat Jesum; venit ad fratrem suum Simonem, et dixit illi: Invenimus Messiam... Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Apud Matth. xvi, congregatos Apostolos simul interrogaverat Christus dicens, y. 15: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondit Petrus, y. 16: Tu es Christus, Filius Dei vivi... y. 18: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, etc. Unde sic. Fundamentum aedificii aliquem constituere, claves regni illi dare, sunt voces metaphoricae collationem auctoritatis et regiminis significantes; atqui vi illarum locutionum Petrus constituitur fundamentum Ecclesiae et illius claves accipit. Si utraque haec praemissa demonstratur vera, certa erit propositio nostra: atqui utraque haec praemissa ex praecedentibus textibus demonstratur vera.

1^o *Major.* Fundamentum in aedificio est sicut caput in corpore, rector in civitate, dux in exercitu, etc. Claves semper fuerunt symbolum auctoritatis et domini; qui habet jure claves alicujus aedificii, illius est dominus; qui domum suam vendit, eam tradidisse censetur quando claves ejus remisit; claves urbis traduntur in subjectionis testimonium, etc. Ergo.

2^o *Minor similiter demonstratur vera,* id est, vi illarum locutionum Petrus constituitur fundamentum Ecclesiae et claves ejus accipit. Fundamentum Ecclesiae constituitur, quidquid contra pueriliter dicat Calvinus, Institut. l. 4, c. 6, n. 6; Christus enim dicit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram,* etc. Porro totus ille textus prima fronte et naturali sensu de persona Petri intelligitur: pronomen istud *hanc* manifeste ostendit vocem *pe-*

tram ad Petrum immediate antecedentem referendam esse. In lingua Hebraica, Chaldaica et Syriaca non est mutatio generis, sed idem habetur ac si diceretur: *Tu es lapis, et super hunc lapidem, etc.* Cephos enim lapidem et petram significat, eandem significationem habent voces Græcæ *πετρος, πέτρα*: interpres bis statim vertens *Cephas*, equidem vocem bis repetere noluit; masculinam pro designando homine elegit, femininam vero ad fundamentum Ecclesiæ metaphorice exprimendum usurpavit: duo igitur hæc verba, *hanc petram*, de ipso B. Petro intelligenda sunt. Ergo 1°.

2° Claves Ecclesiæ accipit. Soli namque Petro Christus dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum*; statim addidit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, etc.* Ex toto contextu patet Christum quamdam prærogativam B. Petro concedere voluisse, in præmium insignis confessionis qua præ cæteris exclamaverat: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*: nomen ejus *Simonem* jam antea mutaverat in *Cepham*, profecto non sine mysterio et intentione: ergo 2°, etc. aliunde, etc. Ergo.

S. Joan. XXI, 15: *Dicit Simon Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* Unde sic. Ut ex illo textu merito concludatur beatum Petrum eminentem potestatem jurisdictionis accepisse a Christo, duo sufficiunt, scilicet, ut per *agnos* et *oves* omnes intelligi debeant fideles, et vox *pasce* veram exprimat jurisdictionem: atqui hæc duo constant. 1° Per *agnos* et *oves* omnes intelligi debent fideles, pluries enim Christus se designat tanquam pastorem, et Ecclesiam velut ovile: unus est Christus, igitur unus pastor et unum ovile: ergo 1° omnes fideles sunt oves Christi. 2° Vox *pasce* veram exprimit jurisdictionem, et idem est ac si diceretur: Rege, duc,

guberna; talis est enim naturalis sensus vocis Græcæ *ποιμαίνω*; et insuper eo sensu vox *pasce* sumitur, quoties ad populum applicatur: v. g. II Reg. v, 2, sic inducitur Deus loquens ad David: *Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel*; Ps. LXXVII, 71: *Et elegit David seruum suum pascere Jacob seruum suum, et Israel hereditatem suam.* Certe in his casibus vox *pasce* significat regere, ducere, gubernare; sic et quando Jesus dixit Petro: *Pasce agnos meos; pasce oves meas*; ergo, etc. Aliunde, etc. Ergo. Unde illustrissimus Bossuet, *Sermon sur l'unité de l'Église*, 1^{er} point: « C'est à Pierre qu'il est ordonné, premièrement, d'aimer plus que tous les autres Apôtres, et ensuite de paître et gouverner et les agneaux et les brebis, » et les petits et les mères, et les pasteurs mêmes: pasteurs à l'égard des peuples, et brebis à l'égard de Pierre, » ils honorent en lui Jésus-Christ. »

Petrus in Evangelii et in Actibus Apostolorum semper nominatur primus. Math. x, 2: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus.* Ibidem, XVII, 1: *Assumit Jesus Petrum et Jacobum, etc.* Marc. III, 16; IX, 1; XIV, 33, et XVI, 7. Luc. VI, 14; VIII, 45 et 51; IX, 20; et XXII, 8. S. Joan. I, 2. Act. I, 13; II, 37; III, 1. Petrus aliquando velut dux aliorum designatur: *Petrus vero et qui cum illo erant*, Luc. IX, 32. In congregatione Apostolorum primus loquitur: *Exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit...* Act. I, 15. *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam,* Act. II, 14. *Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt,* etc. Act. IV, 29. In concilio Jerusalem, *Surgens Petrus, dixit ad eos,* etc. Act. XV, 7. B. Paulus ad fidem recens conversus, Jerosolymam proficiscitur, et quamvis plures tunc ibi degerent Apostoli, causam sui itineris sic indicat, Gal. I, 18: *Veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim.* Impossibile est B. Petrum casu fortuito et sine causa primum locum sic constanter obtinuisse: atqui alia causa insignis hujus distinctionis assignari non potest præter primatum auctoritatis; non erat enim major ætate, nec primus vocatus, sed Andreas, frater ejus, ætate

provecior, juxta omnes SS. Patres, primus fuit vocatus, Joan. 1, 40; Petrus non erat *ille discipulus quem diligebat Jesus*; nulla ratione constat illum præ cæteris virtutibus et sanctitate fuisse præditum: constat e contra illum solum jurando et blasphemando Christum negasse. Ergo.

Prob. 2º SS. Patribus. Euseb. In Chron. ad an 44: « Petrus Apostolus, natione Galileus et Christianorum » pontifex primus. » Non dicit illum esse Romanorum, sed Christianorum pontificem; vocat e contra Jacobum Jerosolymorum pontificem. S. Basilius, Serm. de Peccato, sic de Petro loquitur: « Ille Petrus omnibus discipulis » prælatus, cui majora data quam aliis sunt testimonia, » qui prædicatus est beatus, cui claves regni cælorum » conceditæ sunt. »

S. Epiph. Hæres. 51, dicit de Christo: « Petrum discipulorum suorum principem elegit. »

S. Ambrosius, in cap. XII Epist. II ad Cor. « Primatum » non accepit Andreas, sed Petrus. »

S. Aug. Serm. 76: « Ipse enim Petrus in Apostolorum » ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe » unus respondit pro omnibus. »

Multû alii citari possent textus Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, præsertim S. Hieronymi, S. Leonis, etc. Insuper speciale institutum est festum universale in memoriam cathedræ B. Petri, et illius festi institutio usque ad prima Ecclesiæ sæcula ascendit, ut videre est apud *Godescard*, ad diem 18 januarii: at nusquam tale festum fuit institutum in memoriam et honorem cathedræ aliorum Apostolorum. Ergo.

Solvantur objectiones.

Obj. 1º. Plures SS. Patres referunt hæc verba, *et super hanc petram*, non ad Petrum, sed ad Christum, vel ad fideles, vel ad ipsam B. Petri confessionem de divinitate Christi: ergo falsum est Ecclesiam super Petrum esse fundatam.

R. Nego conseq. 1º Enim pauci SS. Patres prædictum

textum in sensu nostro, qui est obvius et naturalis, non intelligunt. 2º Communiter qui alium sensum dictis verbis, *super hanc petram*, pro abundantia rationum assignant, sensum nostrum non excludunt; illum e contra tanquam primum et genuinum tradunt, et simul alium per allegoriam inveniunt. Ergo.

Inst. 1º. Matth. XIX, 28, Christus dicit ad omnes Apostolos: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* B. Paulus ait, loquens ad fideles, Eph. II, 20: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Apocalypsis, XXI, 22, Apostoli dicuntur *duodecim fundamenta*, scilicet murorum Ecclesiæ: ergo duodecim Apostoli perfecte fuerunt æquales.

R. Nego conseq. Nam in his textibus de potestate respectiva Apostolorum non agitur, sed de eorum virtutibus, meritis et præmiis, vel de eorum dignitate et ministerio, quatenus collective spectantur.

Sic 1º quando Christus dicit ad eos: *Sedebitis et vos super sedes duodecim*, etc., de potestate eorum in Ecclesia non loquitur, sed de eorum statu in cælo; sic enim se habet integer textus: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos*, etc.; hæc igitur verba ad rem non pertinent.

2º B. Paulus declarat fideles esse fundatos et ædificatos super Apostolos, super Prophetas et super Christum: non eodem modo tamen Prophetæ se habent respectu Ecclesiæ ac Apostoli, nec Apostoli eodem modo ac Christus, nec omnes Prophetæ eodem modo Christum prædixerunt. Ergo pariter, licet Ecclesia sit fundata super omnes Apostolos, non sequitur omnes æquali jurisdictione pollere.

3º Idem dicendum est de textu Apocalypsis. Duodecim Apostoli appellantur fundamentum murorum Ecclesiæ vel potius Jerusalem cælestis, comparantur lapidibus pretiosis; sed inter lapides pretiosos alii aliis valde superiores sunt. Similiter ergo et Apostoli diversam habere possunt auctoritatem.

Iust. 2º. Apostoli inter se disputabant *quis eorum major esset*, Luc. XXII, 24; Christus vero eos redarguebat his verbis: *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic.* Atqui non ita disputassent, nec Christus eos sic redarguisset, si unus caput aliorum constitutus fuisset: ergo.

R. Nego min. Nam 1º Apostoli erant adhuc rudes et valde imperfecti, ut patet ex ipsismet Christi objurgationibus; non mirum est ergo si adhuc disputarent: imò ipsa prerogativa Petro promissa occasionem disputandi forte præbebat; poterat enim Petrus verba Christi in sui gratiam invocare, Joannes amorem et prædilectionem Domini allegare, Andreas quod natu major esset et prior vocatus; alii, ut Jacobus, quod essent cognati Domini. Ergo.

2º Inrepatio Christi ad Apostolos, inter se sic vane disputantes, non significat nullam futuram esse inter eos hierarchiam nullumque primatum; nam, eo ipso nulla existere debuisset potestas ecclesiastica nullique pastores: siquidem pastores esse non possunt quin fidelibus sint superiores et aliquo modo eis dominantur. Id unum ergo significare voluit Christus, scilicet, suos ipsius ministros dominari non debere cum fastu et ostentatione, nec subditis terrorem incutere, sed potius fiduciam et amorem sibi conciliare, humilitatem, mansuetudinem et charitatem in usu suæ potestatis semper demonstrare. Et vero Christus ibidem addit: *Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; qui præcessor est, sicut ministrator*: supponit ergo aliquem superioritatis gradum inter eos existere aut existiturum esse. Ergo.

Obj. 2º. B. Petrus, I Epist. v, 2, sic habet: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*: et S. Cyprianus, de Unitate Eccl. « *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* » Ergo Petrus nihil habuit plus quam ceteri Apostoli.

R. Nego conseq. Quando enim primatum B. Petri astruimus, non contendimus hunc Apostolum esse unicum pastorem, non dicimus aliorum pastorum, Apostolorum et episcoporum auctoritatem ab eo solo derivare: id unum affirmamus, nempe Petrum ea præditum esse pascendi et

regendi potestate qua cæteros pastores antecellat, eosque ex divina institutione subditos habeat. Atqui hoc posito, textus objecti nobis minime nocent: non prior; ex eo quod enim alii jure divino præponantur ut populos pascant, non sequitur Petrum non fuisse constitutum eorum superiorem, et specialem non accepisse auctoritatem cunctos generaliter pascendi et populos et pastores. Non posterior; nam idem S. Cyprianus, eodem libro, majorem S. Petri auctoritatem his verbis profitetur: « *Super illum (Petram) unum Christus ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.* » Deinde postquam dixit parem auctoritatem omnibus Apostolis sensu modo exposito datam fuisse, statim subjungit: « *Tamen ut unitatem manIFESTARET, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* » Si ergo episcopatus sit unus, id intelligendum est de unitate finis quem omnes episcopi sibi proponere debent, de unitate functionum quas omnes pariter exercere debent, de dignitate episcopali quam omnes æqualiter possident; non vero de unitate auctoritatis, eo sensu quod unus aliis superior non existat.

Obj. 3º. Act. VIII, 14, Petrus ab aliis Apostolis Samaritanam mittitur; ibid. XI, 2, a fratribus objurgatur, et, Gal. II, 11, a Paulo corripitur: atqui superior ab inferiore non mittitur, non objurgatur, non corripitur: ergo.

R. Nego min. Ad primum sic respondeo. Miserunt quidem Apostoli Petrum et Joannem, sed ibi agitur de missione qua fit ex deliberatione et per preces, non vero de missione ex auctoritate et per mandatum: porro ejusmodi missio prerogativis Petri non nocet. Sæpissime primi magistratus qui veram habent auctoritatem super omnes, tanquam legati a civibus eliguntur et ad regem mittuntur; Ismael, summus sacerdos, a Judæis missus est Romam ad Neronem, Joseph. Ant. lib. 20, c. 7. Ergo.

Ad duo posteriora, dico unam esse objurgationis speciem qua a superiore tantum fieri potest, nempe quando fit per modum castigationis; sed alia est objurgatio fraternitatis qua fit per modum admonitionis: hæc posterior est quidam charitatis actus quo quis, saluti proximi providens,

non solum æqualem, verum et superiorem monere ac quodam modo objurgare vel corripere potest: at hujusmodi fuerunt objurgationes fratrum et correptio Pauli erga Petrum. Ergo.

Obj. 4^o. II Cor. XII, 11, B. Paulus ait: Nihil minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli. Dixerat, XI, 28, sibi commissam fuisse sollicitudinem omnium ecclesiarum. Gal. II, 7, dicit sibi creditum esse evangelium præputii, sicut et Petro circumcissionis: atqui hæc verba demonstrant æqualitatem inter Petrum et Paulum existisse. Ergo.

R. Nego min. Et ad primum respondeo B. Paulum, in citato loco, cum Petro se non conferre, sed ministerium suum cum ministerio Apostolorum æquiparare; declarat enim se divinitus a Christo fuisse immediate missum, doctum, et Apostolica potestate donatum, non secus ac cæteri discipuli. Ergo.

Ad secundum, non ait Apostolus curam omnium animarum sibi commissam fuisse; bene vero omnium ecclesiarum sollicitudine se gravari: sed hæc sollicitudo potuit esse meræ charitatis, non vero ministerii. Præterea, illa sollicitudo intelligi potest de cunctis ecclesiis ab ipso fundatis; erant enim sat numerosæ, ut hyperbolice merito diceret se gravari omnium ecclesiarum sollicitudine. Insuper omnes Apostoli collective sumpti omnium ecclesiarum curam habebant; unde Joannes, Jacobus et Judas ad omnes ecclesias scripserunt: similiter ergo B. Paulus dicere potuit omnium ecclesiarum sollicitudine se gravari, licet parem non haberit potestatem cum Petro.

Ad tertium, B. Paulus ait sibi creditum fuisse evangelium præputii, id est gentilium, et B. Petro evangelium circumcissionis, seu Judæorum: at inde non sequitur Petrum Judæis tantum, et Paulum solummodo gentibus prædicare debuisse; nam B. Petrus Cornelium gentilem totamque ejus domum convertit ad Christum et baptizavit, Act. x. Paulus autem Judæis primum verbum Dei annuntiabat, deinde convertebatur ad gentes, Act. XIII, 46: ergo de speciali quadam missione agitur et de particulari destinatione divinæ Providentiæ, quæ ad hierar-

chicum ordinem minime pertinebat: sic Vincentius a Paulo specialiter dicitur evangelizasse pauperes, et eorum Apostolus vocatur: attamen non tantum pauperes evangelizabat et docebat: ergo a pari, etc.

Inst. 1^o. Plures sancti Patres docent Paulum æqualem esse B. Petro, et ipsius fratrem. Ergo.

R. Dist. ant. Plures sancti Patres docent Paulum æqualem esse Petro ratione vocationis, laborum, martyrii, fructuum copię, meriti ac glorię, conc.; ratione dignitatis et potestatis, nego ant. Itaque non diffitemur plures sanctos Patres B. Paulum aliquoties cum B. Petro comparasse et æqualem fecisse, sed sensu modo exposito, quod absque dubio fieri potest; at nego sanctos Patres illum cum Petro comparasse ratione dignitatis et auctoritatis; nullus enim pro hac opinione afferunt textus clarus et expressus, dum multi, e contra, proferuntur in quibus suprema B. Petri auctoritas clare exprimitur; et insuper singularis ille primatus tot et tantis argumentis demonstratur, tam constanti traditione firmatur, ut pauca quædam sanctorum Patrum verba illud dogma subvertere nequeant. Ergo.

Romani pontifices sua decreta suasque constitutiones nomine beatorum Petri et Pauli tradunt, eaque auctoritate utriusque Apostoli obfirmant. Verum doctrina sanctę sedis Romanę satis nota est ut illę locutiones benigna interpretatione intelligi debeant; certum est enim illos pontifices nunquam ambos Apostolos tanquam pares ratione auctoritatis et jurisdictionis habuisse: quando igitur nomine utriusque agunt, id intelligendum est de invocatione ac de patrocinio. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

Nonnulli protestantes asseruerunt B. Petrum Romam non venisse, nec proinde suam sedem ibi habuisse, aut saltem ibi sedem adhuc occupantem non obiisse: inde concludunt Romanum pontificem B. Petri successorem non esse. Alii vero protestantes et Græci schismatici fatentur quidem

non solum æqualem, verum et superiorem monere ac quodam modo objurgare vel corripere potest: at hujusmodi fuerunt objurgationes fratrum et correptio Pauli erga Petrum. Ergo.

Obj. 4^o. II Cor. XII, 11, B. Paulus ait: *Nihil minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli.* Dixerat, XI, 28, sibi commissam fuisse sollicitudinem omnium ecclesiarum. Gal. II, 7, dicit sibi *creditum esse evangelium præputii, sicut et Petro circumcissionis*: atqui hæc verba demonstrant æqualitatem inter Petrum et Paulum existisse. Ergo.

R. Nego min. Et ad primum respondeo B. Paulum, in citato loco, cum Petro se non conferre, sed ministerium suum cum ministerio Apostolorum æquiparare; declarat enim se divinitus a Christo fuisse immediate missum, doctum, et Apostolica potestate donatum, non secus ac cæteri discipuli. Ergo.

Ad secundum, non ait Apostolus curam omnium animarum sibi commissam fuisse; bene vero omnium ecclesiarum sollicitudine se gravari: sed hæc sollicitudo potuit esse mære charitatis, non vero ministerii. Præterea, illa sollicitudo intelligi potest de cunctis ecclesiis ab ipso fundatis; erant enim sat numerosæ, ut hyperbolice merito diceret se gravari *omnium ecclesiarum* sollicitudine. Insuper omnes Apostoli collective sumpti omnium ecclesiarum curam habebant; unde Joannes, Jacobus et Judas ad omnes ecclesias scripserunt: similiter ergo B. Paulus dicere potuit omnium ecclesiarum sollicitudine se gravari, licet parem non haberit potestatem cum Petro.

Ad tertium, B. Paulus ait sibi creditum fuisse evangelium præputii, id est gentilium, et B. Petro evangelium circumcissionis, seu Judæorum: at inde non sequitur Petrum Judæis tantum, et Paulum solummodo gentibus prædicare debuisse; nam B. Petrus Cornelium gentilem totamque ejus domum convertit ad Christum et baptizavit, Act. x. Paulus autem Judæis primum verbum Dei annuntiabat, deinde convertebatur ad gentes, Act. XIII, 46: ergo de speciali quadam missione agitur et de particulari destinatione divinæ Providentiæ, quæ ad hierar-

chicum ordinem minime pertinebat: sic Vincentius a Paulo specialiter dicitur evangelizasse pauperes, et eorum Apostolus vocatur: attamen non tantum pauperes evangelizabat et docebat: ergo *a pari*, etc.

Inst. 1^o. Plures sancti Patres docent Paulum æqualem esse B. Petro, et ipsius fratrem. Ergo.

R. Dist. ant. Plures sancti Patres docent Paulum æqualem esse Petro ratione vocationis, laborum, martyrii, fructuum copię, meriti ac glorię, *conc.*; ratione dignitatis et potestatis, *nego ant.* Itaque non diffitemur plures sanctos Patres B. Paulum aliquoties cum B. Petro comparasse et æqualem fecisse, sed sensu modo exposito, quod absque dubio fieri potest; at nego sanctos Patres illum cum Petro comparasse ratione dignitatis et auctoritatis; nullus enim pro hac opinione afferuntur textus clarus et expressus, dum multi, e contra, proferuntur in quibus suprema B. Petri auctoritas clare exprimitur; et insuper singularis ille primatus tot et tantis argumentis demonstratur, tam constanti traditione firmatur, ut pauca quædam sanctorum Patrum verba illud dogma subvertere nequeant. Ergo.

Romani pontifices sua decreta suasque constitutiones nomine beatorum Petri et Pauli tradunt, eaque auctoritate utriusque Apostoli obfirmant. Verum doctrina sanctę sedis Romanę satis nota est ut illę locutiones benigna interpretatione intelligi debeant; certum est enim illos pontifices nunquam ambos Apostolos tanquam pares ratione auctoritatis et jurisdictionis habuisse: quando igitur nomine utriusque agunt, id intelligendum est de invocatione ac de patrocinio. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

Nonnulli protestantes asseruerunt B. Petrum Romam non venisse, nec proinde suam sedem ibi habuisse, aut saltem ibi sedem adhuc occupantem non obiisse: inde concludunt Romanum pontificem B. Petri successorem non esse. Alii vero protestantes et Græci schismatici fatentur quidem

Petrum sedem suam Romam ab Antiochia transtulisse, ibi eam occupantem mortuum esse, et Romanum pontificem legitimum successorem habuisse: at simul contendunt illum nullam auctoritatem jure divino super alios episcopos habere; et, si quam olim exercuerit, hanc ex Ecclesiae concessione, seu ex conciliis obtinuisse. Contra hos et illos duae erunt propositiones.

Notandum est quod, etiamsi praereminentia pontificis Romani fuisset tantum juris ecclesiastici, nihilominus schismatici essent Graeci; nam sua auctoritate privata hanc prerogativam a summo Pontifice auferre non potuissent, et tamen nullum citari potest concilium generale quo haec prerogativa fuerit abolita. Ergo.

PROPOSITIO PRIMA.

Beatus Petrus sedem suam transtulit Romam, et ibi eam tenens mortuus est.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod constanti traditione per quindecim saecula unanimiter fuit creditum; alioquin nihil esset credendum in historia: atqui per quindecim saecula constanter et unanimiter creditum est B. Petrum venisse Romam, sedem suam in hac civitate fixisse, et ibi eam occupantem mortuum esse. Ad astruendam ultimam hanc propositionem, innumera citari possent testimonia, tum SS. Patrum, tum auctorum ecclesiasticorum; et nullum aliud testimonium eis positive adversatur. Ergo.

Præterea, illud factum rejici non potest quod necessario conjunctum est cum inconcussis monumentis: atqui factum modo a nobis expositum cum inconcussis monumentis essentialiter conjungitur; sepulcrum enim B. Petri ostenditur Romae, reliquiae enim ejus summo honore venerantur, ad eas frequenti concursu advenit fideles ex cunctis orbis partibus; urbs illa ideo dicitur sancta; apud eam dicuntur esse limina Apostolorum, ejus pontifex semper habitus est ut legitimus beati Petri successor: atqui haec omnia sic institui et perpetuo tradi non potue-

runt quin reipsa Petrus venerit Romam, et ibi sedem episcopalem tenens mortuus fuerit: ergo.

Multi citantur protestantes qui suis suffragiis hanc propositionem plenissime confirmant. Sic, inter alios, *Pearson*, episcopus Anglus, *Grotius*, *Usserius*, *Hannamundus*, *Blondel*, *Scaliger*, *Casaubon*, *Du Moulin*, *Petit*, *Basnage*, etc.

Obj. Assignari non potest tempus quo B. Petrus venerit Romam, nullam mentionem de itinere ejus facit S. Lucas in Actibus Apostolorum; ipsum ne nominat quidem B. Paulus in Epistola ad Romanos: ergo non constat eum venisse Romam ibique mortuum esse.

R. Nego conseq. Nam 1º multa sunt facta quae a nemine in dubium revocantur, et quorum tamen dies et annus praecise assignari non possunt: talis est mors Christi, de qua sane nemo dubitare potest, et cujus tamen epocha non est omnino certa.

2º Multa non levia omisit S. Lucas in Actibus Apostolorum, v. g. reprehensionem Petri a Paulo circa legalia, et iter B. Pauli Jerosolymam ad videndum Petrum.

3º B. Paulus in Epistola ad Hebraeos de Jacobo episcopo Hierosolymitano non loquitur, nec de Timotheo episcopo Ephesino in Epistola ad Ephesios; attamen nemo inde concludit Jacobum non fuisse Jerusalem, nec Timotheum Ephesi: ergo *a pari*, ex eo quod de Petro in Epistola ad Romanos non loquatur, male inferretur eum istius urbis episcopum tunc non fuisse.

Aliunde, eo tempore quo Paulus ad Romanos scribebat, anno aerae vulgaris 57, Petrus, juxta plures, non erat Romae, quia omnes Judaei et cum illis Christiani, anno Claudii nono, inde expulsi fuerant: Petrus vero tunc in Oriente versabatur, Jerosolymam petiit, ibique primum concilium celebravit, prout cap. xv Act. describitur. Mortuo Claudio, rediit Romam, et in hac civitate anno Neronis ultimo, aerae nostrae 67, una cum Paulo ab Oriente adducto martyrio coronatus est. Post ascensionem Domini, quatuor annos manserat Jerusalem, quarto anno venerat Antiochiam et ibi suam sedem instituerat; inde profectus diversas regio-

nes evangelizans peragraverat, scilicet Asiam Minorem, Galatiam, Pontum, Cappadociam, etc. Quinto circiter anno a sede sua Antiochiæ instituta, redierat Jerusalem, ubi ab Herode in carcerem coniectus, ministerio angeli liberatus fuerat, Act. VII, statim venerat Roman et ibi sedem suam fixerat, anno Claudii 2, Christi vero 42. Sic per viginti quinque annos circiter Romanam rexit Ecclesiam ab ipso fundatam.

Unde concludendum est Romanum pontificem legitimum esse B. Petri successorem: igitur, si eminentes illius Apostoli prærogativæ ad aliquem transmitti debuerunt, solus pontifex Romanus eas sibi vindicare potest. Itaque sit

PROPOSITIO SECUNDA.

Romanus pontifex, tanquam beati Petri successor, primatum honoris et jurisdictionis habet jure divino in tota Ecclesia.

Prob. Scriptura sacra, traditione, praxi Ecclesiæ, rationibus theologis et diversis testimoniis protestantium.

Primo, Scriptura sacra. Demonstravimus enim ex Scriptura sacra beatum Petrum primatum supra alios Apostolos a Christo accepisse. Unde sic argumentari licet: Ut constet pontificem Romanum primatum jurisdictionis seu auctoritatis supra alios episcopos jure divino in tota Ecclesia habere, duo requiruntur et sufficiunt, scilicet: 1º quod B. Petrus successorem in suo primatu habere debuerit; 2º quod pontifex Romanus hunc B. Petri primatum solus habere possit: atqui hæc duo certa sunt.

1º B. Petrus successorem in primatu habere debuit. Prærogativæ enim a Christo pro Ecclesia institutæ, tandiu existere debent quamdiu permanebit Ecclesia: atqui primatus beati Petri a Christo fuit institutus, non pro Petro, sed pro Ecclesia; ad illius enim constitutionem evidenter pertinet: *Tu es Petrus, inquit ipse Christus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, etc. Pasce agnos meos, pasce oves meas, etc.* Ecclesiam autem nunquam suo fundamento carere potest; oves Christi semper ducendæ et pascendæ sunt: divinæ ergo illæ B. Petri prærogativæ

perire non potuerunt, sed perseverare debuerunt: atqui perseverare non potuerunt nisi ad successorem transmittentur: ergo.

2º *Solus pontifex Romanus primatum B. Petri habere potest.* Nullus enim alius gloriari potest se talem habere prærogativam. Præterea B. Petrus mortuus est Romæ, sedem episcopalem hujus urbis tenens: solus ergo ipsius successor in hac sede episcopali ejusdem primatum habere potest, vel illius successor nullam haberet sedem: ergo 2º, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Secundo, traditione. Merito enim concluditur ex traditione constare pontificem Romanum, tanquam B. Petri successorem, primatum jurisdictionis in tota Ecclesia habere, si continua existat series testimoniorum et conciliorum et Patrum in favorem hujus assertionis: atqui continua existit series testimoniorum et conciliorum et Patrum in gratiam hujus assertionis, ut unicuique historiam ecclesiasticam attente legenti patet. Ex innumeris quæ citari possent et quæ apud nonnullos auctores, v. g. *Tournely, Bailly, Regnier, Jacques, etc.*, referuntur, quædam tantum testimonia seligenus.

1º *Ex conciliis.* I Nicænum, generale I: « Ecclesia Romana semper habuit primatum, » *Labbe, t. 2.*

Constantinop. I, generale II: « Constantinopolitanus » episcopus habeat priores honoris partes, post Romanum » episcopum, » *id. t. 2.*

Ephes. generale III, actione 3: « S. Petrus, Apostolorum princeps et caput, Ecclesiæ catholice fundamentum, a D. N. J. C. claves regni accepit, solvendique » ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc » usque tempus et semper in suis successoribus vivit et » judicium exercet, » *id. t. 3.*

Chalcedonense, generale V, ejus patres ad S. Leonem scribentes, aiunt: « Rogamus igitur, tuis decretis nostrum » honora judicium, et sicut nos capiti et bonis adjecimus » consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet » adimpleat, » *id. t. 4.*

Concil. Florentinum, in quo Græci cum Latinis sede-

bant, sic habet : « Definimus sanctam Sedem Apostolicam
 » et Romanum pontificem in universum orbem tenere
 » primatum, et successorem esse B. Petri principis Apo-
 » stolorum, verum Christi vicarium, totiusque Ecclesie
 » caput, etc. » *id. t. 13.*

Concil. Trident. sess. 14. cap. 7 : « Pontifices maximi,
 » pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita,
 » causas aliquas criminum graviore suo potuerunt pecu-
 » liari iudicio reservare. »

2^o *Ex SS. Patribus*, S. Irenaeus, lib. 3 contra Hæres.
 c. 3, n. 2, dicit, ad Ecclesiam Romanam, *propter potiorem*
principalitatem, omnem necesse esse convenire Ecclesiam.

S. Athan. ad Felicem, Romanum pontificem, scribit :
 » Ob id vos prædecessoresque vestros... in summitate arcæ
 » constituit (*Christus*), omniumque Ecclesiarum curam
 » habere voluit, ut nobis succurratis. » Idem habent sancti
 Basilius, Epist. 32; Cyril. Alex. lib. de Thesauro; Theo-
 doretus, Epist. ad S. Leonem.

S. Cyprianus, Epist. 53 : « Navigare audent, et ad Petri
 » cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas
 » sacerdotalis exorta est..., litteras ferre. »

S. Aug. Epist. 43, alias 162 : « In Romana Ecclesia
 » semper Apostolicæ cathedræ viguit auctoritas. »

S. Hieronymus, Epist. 14 ad Damasum papam : « Ego
 » nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ,
 » id est, cathedræ Petri communionem consocior.... Qui-
 » cumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi
 » non est, Antichristi est. » Ergo, etc.

Tertio, praxi Ecclesie. Ille jure divino primatum habet
 jurisdictionis qui, nemine contradicente, omnibus retro
 sæculis jure sibi proprio concilia œcumenica convocavit,
 illis per se aut per legatos præfuit, eorum decreta confir-
 mavit et executioni mandari jussit, ab eorum canonibus
 dispensavit; qui ex toto orbe Christiano circa fidem et
 mores frequenter consultus, doctrinæ statuta pro universa
 Ecclesia constituit, ad quem undique majores delatæ sunt
 causæ, qui, ex cunctis mundi partibus, in gravissimis cau-
 sis episcoporum, archiepiscoporum et etiam patriarcha-

rum tam Orientis quam Occidentis, innumeras appellatio-
 nes suscepit : atqui pontifex Romanus hæc omnia jure pro-
 prio semper præstitit, tota Ecclesia consentiente : ergo 3^o.

Quarto, rationibus theologis. 1^o Vera Ecclesia habere
 debet principium unitatis regiminis, *ex probatis*; atqui
 Ecclesia Romana, quæ est vera Ecclesia, *ut demonstravi-
 mus*, principium unitatis regiminis non haberet, si prima-
 tus jurisdictionis summi Pontificis rejiceretur; tunc enim
 nullas esset cui omnes subjici tenerentur.

2^o Ecclesia est ovile, regnum, corpus, etc.; in ovili autem
 debet esse pastor, rex in regno, caput in corpore : ergo.

Quinto, diversis testimoniis celeberrimorum protestantium.
 Melancthon apud Bossuet, *Histoire des Variations*, l. 5,
 n. 24 : « Nos gens demeurent d'accord que la police ecclé-
 » siastique où l'on reconnoît des évêques supérieurs de
 » plusieurs églises, et l'évêque de Rome supérieur à tous
 » les évêques, est permise... Ainsi, il n'y a point de con-
 » testation sur la supériorité du pape et sur l'autorité des
 » évêques, et tant le pape que les évêques peuvent aisé-
 » ment conserver cette autorité; car il faut à l'Eglise des
 » conducteurs pour maintenir l'ordre, pour avoir l'œil sur
 » ceux qui sont appelés au ministère ecclésiastique et sur
 » la doctrine des prêtres, et pour exercer les jugements
 » ecclésiastiques : de sorte que s'il n'y avoit point de tels
 » évêques, il en faudroit faire. La monarchie du pape ser-
 » viroit aussi beaucoup à conserver entre plusieurs nations
 » le consentement dans la doctrine : ainsi on s'accorderoit
 » facilement sur la supériorité du pape, si on étoit d'accord
 » sur tout le reste. »

Leibnitz apud *de Stark* sic habet : « Comme Dieu est le
 » Dieu de l'ordre, et comme il est de droit divin que le
 » corps d'une seule Église catholique et Apostolique soit
 » contenu par un seul gouvernement hiérarchique et uni-
 » versel, il s'ensuit qu'un magistrat suprême spirituel, qui
 » se renferme dans de justes bornes, y soit également en
 » vertu du même droit, et qu'il se trouve investi de toute
 » la puissance et force dictatoriales nécessaires à l'exercice
 » de sa charge pour le salut de l'Église. »

In Gallia nostra Calvinistæ, anno 1775, humilem confessionem supplicationem ad regem, ut honores status civilis et legitimitatem matrimoniorum suorum obtinerent; in ea autem supplicatione sic loquebantur:

« La chaîne de la tradition dont Pierre et Paul ont attaché le premier anneau à l'Église de Rome est tellement perpétuée parmi nous, que si les Irénée, les Grégoire, les Cyrille, les Athanase, les Chrysostome revenaient aujourd'hui sur la terre, ils ne reconnaîtraient que dans l'Église romaine la société dont ils étaient membres; » apud de Stark. Utilissime legetur recens ille auctor Lutheranus.

Multa pariter clara et non parum curiosa reperiuntur testimonia, et protestantium, et schismaticorum Græcorum apud D. de Maistre, du Pape, t. 1, cap. 9 et 10. Ergo denique tenendum est pontificem Romanum tanquam B. Petri successorem, supremam habere jure divino auctoritatem, seu primatum jurisdictionis in tota Ecclesia.

Hinc patet falsam et hæreticam esse doctrinam doctoris Richer, qui in libro de la Puissance ecclésiastique et politique, an 1611, contendit potestatem clavium immediate a Christo datam fuisse Ecclesie, et ab Ecclesia commissam esse Petro et Apostolis, eorumque successoribus Romano pontifici et cæteris episcopis. Vide Richerii systema confutatum, auctore Veith.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. B. Paulus, Eph. iv, 11, et I Cor. xii, 28, varios enumerat hierarchiæ ecclesiasticæ gradus, nempe apostolos, evangelistas, pastores et doctores, nihilque de summo Pontifice dicit: ergo superiorem illius auctoritatem non agnoscit.

R. Nego maj. Nam B. Apostolus in locis citatis nominat prophetas, evangelistas, doctores et eos qui extraordinaria dona acceperant a Deo: sed hi omnes ad sacram hierarchiam non pertinebant. Præterea, summus Pontifex inter pastores numeratur; quando enim loquimur de pastoribus

Ecclesiæ in genere summum Pontificem certe non excludimus: pariter ergo B. Paulus illum sub generali pastorum denominatione complectebatur. Ergo.

Obj. 2^o. Quamvis episcopi legitimi sint Apostolorum successores, specialia tamen eorum privilegia non habent: ergo a pari pontifex Romanus, licet B. Petri successor, ipsius primatum non ideo possidet.

R. Nego conseq. Namque duplicis generis necessario distinguenda sunt privilegia Apostolorum: alia scilicet ad conservationem Ecclesiæ necessaria et jugiter permansura, et alia non necessaria et ideo ad tempus tantum duratura. Prioris generis sunt potestas ordinis et potestas jurisdictionis: utraque absolute necessaria est Ecclesiæ: tamdiu igitur perseverare debet quamdiu durabit Ecclesia, id est usque ad consummationem sæculi. Privilegia autem posterioris generis sunt dona miraculorum, prophetiarum, linguarum, personalis infallibilitas, extraordinaria potestas ubique terrarum prædicandi, episcopos et presbyteros constituendi, etc. Hæc quidem in creanda et constituenda Ecclesia valde utilia et aliquo sensu necessaria esse potuerunt: ad regimen vero et conservationem ejus necessaria non erunt; imo privilegium ubique prædicandi et episcopos ac presbyteros constituendi, paci, tranquillitati et unitati evidentissime noceret: hæc privilegia igitur ad episcopos Apostolorum successores transire non debuerunt. Similiter B. Petrus personalia etiam habebat privilegia cæteris Apostolis et sibi communia, quæ suis successoribus transmitti non debuit: at primatus prærogativa hujus generis non erat, cum ad ipsam Ecclesiæ constitutionem pertineat. Ergo.

Inst. Primatus auctoritatis B. Petro fuit collatus in præmium insignis ejus fidei confessionis: ergo privilegium erat personale.

R. Nego conseq. Christus enim propositum Ecclesiam suam constituendi efformans, voluit ut esset una: eo ipso decrevit aliquem in ea exstiturum primatum, sicut est prima auctoritas in omni societate bene ordinata; potuisset illum primatum huic aut illi ex Apostolis conferre:

illum autem B. Petro contulit, propter eximiam ejus fidei confessionem : sub hoc respectu fuit prerogativa personalis, sed nihilominus fuit simul qualitas verae Ecclesiae essentialis, ad successorem S. Petri transitura et jugiter permansura. Ergo.

Obj. 3^o. S. Gregorius Magnus non episcopus universalis, sed *Servus servorum Dei* appellari voluit : attamen si primatum B. Petri habuisset, episcopus universalis appellari potuisset. Ergo.

R. 1^o. Dist. maj. Episcopus universalis appellari noluit, humilitatis vel prudentiae causa, *conc.*; quia persuasum habebat se praeminentiam jurisdictionis non habere, *nego maj.* Itaque S. Gregorius Magnus nomen *episcopi universalis* fortiter respuit, quia erat valde humilis et honores despiciebat. Aliunde, ita forte se gessit, ut efficacius reprimeret ambitionem et audaciam Joannis Jejunatoris, patriarchae Constantinopolitani, qui patriarcha oecumenicus vel episcopus universalis appellari volebat : contra hujusmodi novitatem fortiter insurrexit S. Gregorius et quantum potuit eam repressit tanquam insolitam, falsam, impiam, blasphematoriam et juribus Ecclesiae Romanae nocivam. Si ergo talem abnuerit denominationem, si testatus sit nullum e suis praedecessoribus illam usurpare voluisse, non ideo persuasum habebat se nullam praeminentiam jurisdictionis habere.

R. 2^o. Dist. min. Episcopus universalis appellari potuisset, eo sensu quod veram haberet auctoritatem super omnes alios episcopos, *conc.*; eo sensu quod solus esset episcopus, vel alii episcopi essent duntaxat illius vicarii, *nego min.* Equidem haec appellatio quae in patriarcha Constantinop. blasphemiae nomen erat (Greg. Mag. lib. 5. Epist. 30), aliquo sensu in pontifice Romano vera esse potest : at sub alio respectu male sonat et falsa est ; nam pontifex Romanus non est solus episcopus : licet caput sit generale totius Ecclesiae, alia tamen sunt capita a Christo instituta, sed capiti generali subordinata : merito igitur Gregorius Magnus hanc aequivocam appellationem respuit.

Obj. 4^o. Ecclesiae ab Apostolis et ab eorum successori-

bus primitus fundatae erant independentes, decursu temporum, et datis occasionibus primatum Romani episcopi agnoverunt, ut in eo invenirent centrum unitatis, vinculum firmitatis et imperatorum protectionem obtinerent ; ita *Bodin, Guizot* et alii recentiores historici eum sequentes : ergo.

R. Nego ant. Ex textibus enim Scripturae sacrae supracitatis, ex monumentis ab incunabilis Ecclesiae usque ad nos seriem non interruptam formantibus constat B. Petrum primatum auctoritatis a Christo accepisse et pontificem Romanum B. Petri successorem illum semper tenuisse.

Si aliquando exercitium, supremae hujus auctoritatis non fuerit tam frequens ac manifestum, id tribuendum est circumstantiis, v. g. difficultatibus relationum. Tunc ex delegatione aliis committebatur ; sic confirmatio episcoporum a metropolitanis et metropolitanorum a conciliis provincialibus fiebat. Ergo, etc.

Obj. 5^o. Primatus Romani pontificis eo facto nititur, scilicet, B. Petrum Romam venisse, ibique sedem suam fixisse et mortuum esse : atqui factum istud jure divino non nititur : ergo primatus pontificis Romani non est juris divini.

R. 1^o. Retorqueo argumentum. Successio ministerii ecclesiastici hoc facto nititur, scilicet, episcopos serie non interrupta sibi successisse et legitime ordinatos esse : atqui factum istud jure divino non constat : ergo successio ministerii ecclesiastici non est juris divini.

R. Nego maj. Primatus enim pontificis Romani hac utraque propositione nititur, nempe Petrum primatum jurisdictionis in tota Ecclesia jure divino habuisse, et legitimum B. Petri successorem hunc eundem primatum jure divino possidere : haec utraque propositio in Scriptura expresse aut aequivalenter continetur ; igitur est de fide : atqui evidenter constat Romanum pontificem legitimum B. Petri esse successorem ; ergo evidenter constat illum jure divino primatum jurisdictionis in tota Ecclesia habere : id unum probare intendebamus.

Inst. Si B. Petrus obiisset Antiochia, solus Antiochenus

episcopus primatum jurisdictionis habuisset : ergo præ- eminentia pontificis Romani, non a Christo, sed a Petro qui suam mutavit sedem, oritur, proindeque non est juris divini.

R. Retorqueo arg. Si talis vir ad episcopatum non fuisset electus, alius sedem quam occupat habuisset : ergo potestas quam exercet non oritur a Deo, bene vero a rege qui eum designavit.

R. Distinguo consequens. Præeminentia pontificis Romani non oritur a Christo, sed a Petro, etc., quoad factum successionis, *transeat* ; quoad ipsam superioritatis prerogativam, *nego consequens et conseq.* Distinguendum est igitur cum Bellarmino, lib. 2, c. 12, factum successionis ab ipsa superioritatis prerogativa successioni annexa ; Christus enim voluit ut B. Petrus legitimum haberet successorem qui eundem jurisdictionis primatum teneret : unde statim atque constat hunc aut illum pontificem legitimum esse beati Petri successorem, eo ipso certum est illum jure divino, id est a Christo, primatum jurisdictionis habere. Itaque si Petrus nullam elegisset particularem » Ecclesiam quam regeret, sicut fecit quinque primis sui » apostolatus annis, post ejus mortem ille episcopus Petro » successisset quem sibi elegisset Ecclesia. Potuisset quo- » que semper manere Antiochiæ, et tunc Antiochenus » episcopus sine dubio illi successisset ; quia vero Roma » sedem suam fixit, et eam tenuit usque ad mortem, inde » factum est quod Romanus pontifex ei succedat. » Ita Bellarminus in loco citato. Certum est ergo Romanum pontificem suam jurisdictionis præeminentiam immediate a Christo tenere, quia evidenter constat illum B. Petri esse successorem.

Quoad factum successionis, dixi *transeat*, quia non omnino certum est pontificem Romanum, quatenus est pontifex Romanus, ex institutione Christi esse caput totius Ecclesiæ ; non est enim ex institutione Christi caput totius Ecclesiæ, nisi in quantum Christus voluit ut Petrus sedem suam figeret Romæ, et ibi eam tenens moreretur : atqui non constat Christum voluisse, etc. Communius tamen id

a theologis admittitur, et multo convenientius fuisse videtur. Roma quippe tunc præcipua erat urbs, princeps et caput totius orbis cogniti : valde igitur conveniebat ut ibi figeretur prima sedes religionis Christianæ per orbem diffundendæ : sed neque ex Scriptura, neque ex traditione constat Petrum hujusmodi mandatum a Christo accepisse : ergo, etc.

Ex dictis quædam notanda sequuntur :

1° De fide catholica est legitimum B. Petri successorem primatum jurisdictionis in tota Ecclesia jure divino habere ; hæc enim propositio in promissionibus B. Petro tis evidenter continetur.

2° Hæc propositio : *Pontifex Romanus canonice electus, legitimus est B. Petri successor, et jure divino primatum jurisdictionis in tota Ecclesia habet*, multis videtur de fide ; quia ex promissionibus B. Petro factis, ex perpetua traditione, ex unanimi conciliorum et Patrum consensu constat, et cum propositionibus de fide essentialiter est conjuncta. Quidam tamen judicant illam non esse de fide, quia immediate non est revelata ; verum, juxta omnes, est saltem conclusio theologica cui internus mentis assensus debetur.

3° Hæc altera propositio : *Hic aut ille homo, v. g. Gregorius XVI, legitimus est B. Petri successor*, communius non habetur ut de fide ; quia nullibi in deposito revelationis expresse continetur. Sed tibi constat electionem fuisse canonicam, statim certum est singularem hunc hominem legitimum esse Petri successorem, Christi vicarium, et sub dispendio salutis omnimodam illi debitam esse reverentiam ac obedientiam.

4° Quidquid in alia hypothesis contingere potuisset, nempe si B. Petrus sedem suam Romæ non fixisset, certum est in præsentibus rerum adjunctis legitimum B. Petri successorem necessario esse Romanum episcopum, et Romanum episcopum necessario esse B. Petri successorem ; talem enim ordinem nemo subvertere potest. Unde merito concluditur semper existurum esse Romanum pontificem, sive resideat Romæ, sive alibi cogatur aut eligat

habitare. Ita communissime theologi contra paucos alios qui dicunt legitimum B. Petri successorem aliam occupare posse sedem, aut absque sede manere, sicut fecit Petrus in quinque primis apostolatus sui annis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MONARCHIA ROMANI PONTIFICIS.

Certum est, ex dictis, regimen Ecclesiae esse monarchicum, et Romanum pontificem monarcham; Romanus namque pontifex non solum dignitatis et honoris, sed jurisdictionis et auctoritatis primatum habet in tota Ecclesia, eam regit ac gubernat. Ergo. *Ita omnes theologi catholici.* Verum habetne solus jure divino plenitudinem jurisdictionis ecclesiasticae, ita ut episcopi ab ipso totam auctoritatem suam teneant? Res controversatur.

Quidam dicunt Apostolos totam jurisdictionem suam, non immediate a Christo, sed a B. Petro accepisse: ita apud Bellarminum, de Romano pontifice, l. 4, c. 22, Joannes de Turrecremata et Jacobatius. Alii vero docent Apostolos jurisdictionem suam a Christo quidem accepisse, sed negant episcopos eis successisse, nisi quantum ad characterem: contendunt omnem jurisdictionem ecclesiasticam in solo papa jure residere, et ab ipso episcopos eam accipere. Hinc summus Pontifex est monarcha absolutus. Sic Bellarminus et cum illo plerique Ultramontani. Alii autem permulti et generaliter Galli tenent episcopos, canonice institutos, immediate a Christo jurisdictionem accipere.

Notandum 1º sententiam Joannis de Turrecremata communissime a theologis et ab ipso Bellarmino rejici: illam ergo statim sejungimus.

Notandum 2º episcopos, in Bellarmini opinione, aliquo sensu auctoritatem suam jure divino possidere; Christus enim suam instituens Ecclesiam, voluit ut in ea essent episcopi: unde nec eorum characterem mutare aut limitare, nec eorum existentiam tollere posset Romanus pontifex.

Notandum 3º modum instituendi episcopos, in quacumque opinione, esse tantum juris ecclesiastici; nullibi enim Christus illum praescripsit, nec circa illum traditio Ecclesiae fuit constans: ipsa summi Pontificis institutio varia fuit pro variis temporibus, et tamen Pontifex semel canonice institutus statim a Christo plenam habet auctoritatem: quamvis ergo modus instituendi episcopos sit humanus, non repugnat eos jurisdictionem a Christo immediate accipere.

His notatis, quaestionem, ut pote dubiam et ad praxim minime pertinentem, definire aut partem unam praeter altera defendere non aggredimur; ea quippe longe fuit agitata in concilio Trid., ut videre est apud Palavicinum, praesertim l. 18, cap. 15, et non definita.

Bossuet, Defens. Declar. part. 3, l. 8, cap. 14, fortiter contendit episcopos canonice institutos jurisdictionem habere immediate a Christo, sicque concludit: « At episcopos » licet papae divino jure subjectos, ejusdem esse ordinis, » ejusdem characteris, sive, ut loquitur Hieronymus, *ejusdem meriti, ejusdem sacerdotii,* collegasque et coepiscopos appellari constat, scitumque illud Bernardi ad Eugenium papam: *Non es dominus episcoporum, sed unus ex ipsis.* Quod ergo nuperrime inventum est, episcopos » a papa jurisdictionem habere, ejusque quosdam esse » vicarios, ut duodecim saeculis inauditum, a scholis christianis amandari oporteret. » Vide etiam *Confér. d'Angers, de la Hiérarchie, et cardinalem de la Luzerne, sur la Déclaration de 1682.*

PRINCIPIUM PRIMUM.

In quacumque opinione, omnes episcopi, non solum ratione characteris, sed et ratione substantiae jurisdictionis sunt aequales; habent enim quidquid eos constituit episcopos, sive majori, sive minori, praesint dioecesi. Quia vero natura constitutionis Ecclesiae exigit ut eorum jurisdictione inter certos limites coerceatur, quaedam insituta sunt regulae quibus determinantur dioeceses, et episcoporum relative ad se invicem honores; illa regula

habitare. Ita communissime theologi contra paucos alios qui dicunt legitimum B. Petri successorem aliam occupare posse sedem, aut absque sede manere, sicut fecit Petrus in quinque primis apostolatus sui annis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MONARCHIA ROMANI PONTIFICIS.

Certum est, ex dictis, regimen Ecclesiae esse monarchicum, et Romanum pontificem monarcham; Romanus namque pontifex non solum dignitatis et honoris, sed jurisdictionis et auctoritatis primatum habet in tota Ecclesia, eam regit ac gubernat. Ergo. *Ita omnes theologi catholici.* Verum habetne solus jure divino plenitudinem jurisdictionis ecclesiasticae, ita ut episcopi ab ipso totam auctoritatem suam teneant? Res controversatur.

Quidam dicunt Apostolos totam jurisdictionem suam, non immediate a Christo, sed a B. Petro accepisse: ita apud Bellarminum, de Romano pontifice, l. 4, c. 22, Joannes de Turrecremata et Jacobatius. Alii vero docent Apostolos jurisdictionem suam a Christo quidem accepisse, sed negant episcopos eis successisse, nisi quantum ad characterem: contendunt omnem jurisdictionem ecclesiasticam in solo papa jure residere, et ab ipso episcopos eam accipere. Hinc summus Pontifex est monarcha absolutus. Sic Bellarminus et cum illo plerique Ultramontani. Alii autem permulti et generaliter Galli tenent episcopos, canonice institutos, immediate a Christo jurisdictionem accipere.

Notandum 1º sententiam Joannis de Turrecremata communissime a theologis et ab ipso Bellarmino rejici: illam ergo statim sejungimus.

Notandum 2º episcopos, in Bellarmini opinione, aliquo sensu auctoritatem suam jure divino possidere; Christus enim suam instituens Ecclesiam, voluit ut in ea essent episcopi: unde nec eorum characterem mutare aut limitare, nec eorum existentiam tollere posset Romanus pontifex.

Notandum 3º modum instituendi episcopos, in quacumque opinione, esse tantum juris ecclesiastici; nullibi enim Christus illum praescripsit, nec circa illum traditio Ecclesiae fuit constans: ipsa summi Pontificis institutio varia fuit pro variis temporibus, et tamen Pontifex semel canonice institutus statim a Christo plenam habet auctoritatem: quamvis ergo modus instituendi episcopos sit humanus, non repugnat eos jurisdictionem a Christo immediate accipere.

His notatis, quaestionem, ut pote dubiam et ad praxim minime pertinentem, definire aut partem unam praeter altera defendere non aggredimur; ea quippe longe fuit agitata in concilio Trid., ut videre est apud Palavicinum, praesertim l. 18, cap. 15, et non definita.

Bossuet, Defens. Declar. part. 3, l. 8, cap. 14, fortiter contendit episcopos canonice institutos jurisdictionem habere immediate a Christo, sicque concludit: « At episcopos » licet papae divino jure subjectos, ejusdem esse ordinis, » ejusdem characteris, sive, ut loquitur Hieronymus, *ejusdem meriti, ejusdem sacerdotii,* collegasque et coepiscopos appellari constat, scitumque illud Bernardi ad Eugenium papam: *Non es dominus episcoporum, sed unus ex ipsis.* Quod ergo nuperrime inventum est, episcopos a papa jurisdictionem habere, ejusque quosdam esse vicarios, ut duodecim saeculis inauditum, a scholis christianis amandari oporteret. Vide etiam *Confér. d'Angers, de la Hiérarchie, et cardinalem de la Luzerne, sur la Déclaration de 1682.*

PRINCIPIUM PRIMUM.

In quacumque opinione, omnes episcopi, non solum ratione characteris, sed et ratione substantiae jurisdictionis sunt aequales; habent enim quidquid eos constituit episcopos, sive majori, sive minori, praesint diocesi. Quia vero natura constitutionis Ecclesiae exigit ut eorum jurisdictione inter certos limites coerceretur, quaedam insituta sunt regulae quibus determinantur dioceses, et episcoporum relative ad se invicem honores; illa regula

solius sunt juris ecclesiastici. Facile ergo intelligitur quomodo episcopi, licet jure divino æquales, alii aliis priores aut majores dici possent.

PRINCIPIUM SECUNDUM.

Constat, quæcumque admittatur sententia, regimen Ecclesiæ esse monarchicum, hocque de fide esse: unicus enim esse potest totius societatis christianæ præses et supremus gubernator: unde concil. Florentinum decrevit « Romanum pontificem in universum orbem tenere primum, successorem esse B. Petri principis Apostolorum, verum Christi vicarium, totius Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. » Sic Antonius de Dominis negans monarchiæ formam a Christo immediate fuisse institutam, habitus est ut schismaticus et hæreticus. Simul etiam certum est hanc monarchiam aristocratia esse temperatam, ut fere sunt gubernia *representativa*, in quibus princeps supremam habet auctoritatem, sed non omnino absolutam; nonnullis fundamentalibus statutis, quæ prætergredi non potest, subicitur; universam et a solo Deo dependentem habet jurisdictionem in omnes subditos, in populum et in magnates: verum in eo casu quædam existit potestas ipsi subordinata, quam tamen destruere non potest. Sic summus Pontifex, ob eminentem auctoritatem suam in Ecclesia, omnibus præest, omnibus providere debet, cuncta regit, moderatur ac gubernat. Attamen, suprema ejus potestas quosdam agnoscit limites; non omnia pro solo arbitrio destruere aut mutare potest; episcopos, v. g. nequit sine justis causis deponere, suspendere aut interdicere; functiones episcopales in illorum diœcesi turbare, aut sibi assumere et per se vel per alios licite exercere non potest; nec pariter ex solo nutu et absque justa causa antiquas disciplinæ generalis regulas, summorum Pontificum decreta

et conciliorum canones universim acceptos destruere aut mutare; tunc enim non recte gubernaret, sed sua potestate abuteretur. Sub eo respectu potestas ejus canonibus est moderanda.

Hoc sæpius publice confessi sunt plurimi summi Pontifices. 1. Cælestinus, Epist. 1 ad Illyricos, ait: « Dominentur nobis regulæ, non dominemur regulis. » Gregorius VII ad Sanctium, Arragoniæ regem, qui aliquam postulabat dispensationem, sic respondit: « Solet sancta sedes Apostolica pleraque, considerata ratione, tolerare; sed nunquam in suis decretis et constitutionibus a cordia traditionis recedere. » *Labbe*, t. 10. S. Bernardus sic monet Eugenium papam, l. 3 de Consider. c. 4: « Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio est.... cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. »

Unde sic merito *Bossuet*, *Sermon sur l'unité de l'Église*, 2^e point: « L'océan même a ses bornes dans sa plénitude, et s'il les outre-passoit sans mesure aucune, sa plénitude seroit un déluge qui ravageroit tout l'univers. Au reste, la puissance qu'il faut reconnoître dans le Saint-Siège est si haute et si éminente, si chère et si vénérable à tous les fidèles, qu'il n'y a rien au-dessus que toute l'Église catholique ensemble; encoré faut-il savoir connoître les besoins extraordinaires et les extrêmes périls où il faut que tout s'assemble et se réunisse. »

ARTICULUS QUARTUS.

DE PRÆROGATIVIS DIGNITATI SUMMI PONTIFICIS ANNEXIS.

Inter illas prærogativas aliæ sunt certæ et ab omnibus admittæ, aliæ vero sunt controversæ: hinc duplex erit hujus articuli paragraphus.

§ I. — De prærogativis Romani pontificis certis et communiter admissis.

Septem præcipue numerantur hujusmodi prærogativæ: 1^o centrum unitatis catholice; 2^o potestas edendi decreta

solius sunt juris ecclesiastici. Facile ergo intelligitur quomodo episcopi, licet jure divino æquales, alii aliis priores aut majores dici possent.

PRINCIPIUM SECUNDUM.

Constat, quæcumque admittatur sententia, regimen Ecclesiæ esse monarchicum, hocque de fide esse: unicus enim esse potest totius societatis christianæ præses et supremus gubernator: unde concil. Florentinum decrevit « Romanum pontificem in universum orbem tenere primum, successorem esse B. Petri principis Apostolorum, verum Christi vicarium, totius Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. » Sic Antonius de Dominis negans monarchiæ formam a Christo immediate fuisse institutam, habitus est ut schismaticus et hæreticus. Simul etiam certum est hanc monarchiam aristocratia esse temperatam, ut fere sunt gubernia *representativa*, in quibus princeps supremam habet auctoritatem, sed non omnino absolutam; nonnullis fundamentalibus statutis, quæ prætergredi non potest, subjicitur; universam et a solo Deo dependentem habet jurisdictionem in omnes subditos, in populum et in magnates: verum in eo casu quædam existit potestas ipsi subordinata, quam tamen destruere non potest. Sic summus Pontifex, ob eminentem auctoritatem suam in Ecclesia, omnibus præest, omnibus providere debet, cuncta regit, moderatur ac gubernat. Attamen, suprema ejus potestas quosdam agnoscit limites; non omnia pro solo arbitrio destruere aut mutare potest; episcopos, v. g. nequit sine justis causis deponere, suspendere aut interdicere; functiones episcopales in illorum diœcesi turbare, aut sibi assumere et per se vel per alios licite exercere non potest; nec pariter ex solo nutu et absque justa causa antiquas disciplinæ generalis regulas, summorum Pontificum decreta

et conciliorum canones universim acceptos destruere aut mutare; tunc enim non recte gubernaret, sed sua potestate abuteretur. Sub eo respectu potestas ejus canonibus est moderanda.

Hoc sæpius publice confessi sunt plurimi summi Pontifices. 1. Cælestinus, Epist. 1 ad Illyricos, ait: « Dominentur nobis regulæ, non dominemur regulis. » Gregorius VII ad Sanctium, Arragoniæ regem, qui aliquam postulabat dispensationem, sic respondit: « Solet sancta sedes Apostolica pleraque, considerata ratione, tolerare; sed nunquam in suis decretis et constitutionibus a cordia traditionis recedere. » *Labbe*, t. 10. S. Bernardus sic monet Eugenium papam, l. 3 de Consider. c. 4: « Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio est... cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. »

Unde sic merito *Bossuet*, *Sermon sur l'unité de l'Église*, 2^e point: « L'océan même a ses bornes dans sa plénitude, et s'il les outre-passoit sans mesure aucune, sa plénitude seroit un déluge qui ravageroit tout l'univers. Au reste, la puissance qu'il faut reconnoître dans le Saint-Siège est si haute et si éminente, si chère et si vénérable à tous les fidèles, qu'il n'y a rien au-dessus que toute l'Église catholique ensemble; encoré faut-il savoir connoître les besoins extraordinaires et les extrêmes périls où il faut que tout s'assemble et se réunisse. »

ARTICULUS QUARTUS.

DE PRÆROGATIVIS DIGNITATI SUMMI PONTIFICIS ANNEXIS.

Inter illas prærogativas aliæ sunt certæ et ab omnibus admittæ, aliæ vero sunt controversæ: hinc duplex erit hujus articuli paragraphus.

§ I. — De prærogativis Romani pontificis certis et communiter admittis.

Septem præcipue numerantur hujusmodi prærogativæ: 1^o centrum unitatis catholice; 2^o potestas edendi decreta

fidei et condendi leges quæ cunctos obligent Christianos; 3^o jus dispensandi ab omnibus etiam conciliorum generalium legibus; 4^o concilia generalia convocandi, tanquam præses celebrandi eaque confirmandi; 5^o causas majores tum fidei, tum disciplinæ generalis ad se evocandi et appellationes episcoporum suscipiendi; 6^o episcopos confirmandi ac instituendi. 7^o Denique jure divino immediatam habet jurisdictionem per totum orbem Christianum.

SECTIO PRIMA.— De centro unitatis catholicæ.

Jam probavimus in prima hujus tractatus parte principium unitatis tum ratione doctrinæ, tum ratione regiminis in vera Ecclesia semper existurum esse. Nunc ostensuri sumus hoc principium in summo Pontifice tanquam in centro residere.

PROPOSITIO.

Romanus pontifex est centrum totius unitatis catholicæ.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura sacra et traditione: atqui propositio nostra constat Scriptura, etc.

1^o *Scriptura sacra.* Pontifex Romanus, ex dictis, est fundamentum et caput Ecclesiæ, supremus pastor ovium et agnorum: ergo sicut omnes partes ædificii fundamento niti, omnia corporis membra cum capite communicare, omnesque oves et agni gregis regimini pastoris subjici debent, sic et omnes fideles necnon inferiores pastores cum summo Pontifice uniantur necesse est. Omnia igitur ab ipso procedere, omnia ad eum redire debent, sicut in circulo omnes radii a centro procedunt et ad centrum redeunt. Ergo summus Pontifex reipsa est centrum unitatis in Ecclesia. Ergo 1^o.

2^o *Traditione.* Unanimis est conciliorum et SS. Patrum sententia circa hoc punctum; hæreticos et schismaticos omni tempore confutaverunt SS. Patres, ostendendo eos non habere communionem cum sede Romana. Plurimum testimonia paucis lineis sic nervose contrahit *Bossuet*, *Sermon sur l'unité de l'Église*:

« L'autorité ecclésiastique, premièrement établie en la
» personne d'un seul, ne s'est répandue qu'à condition
» d'être toujours ramenée au principe de son unité, et que
» tous ceux qui auront à l'exercer se doivent tenir insé-
» parablement unis à la même chaire.

« C'est cette chaire Romaine tant célébrée par les Pères
» où ils ont exalté, comme à l'envi, la principauté de la
» chaire Apostolique, la principauté principale, la source
» de l'unité, et dans la place de Pierre, l'éminent degré de
» la chaire sacerdotale, l'Église mère, qui tient en sa main
» la conduite de toutes les autres Eglises; le chef de l'épi-
» scopat, d'où part le rayon du gouvernement; la chaire
» principale, la chaire unique en laquelle seule tous gar-
» dent l'unité. Vous entendez dans ces mots, saint Optat,
» saint Augustin, saint Cyprien, saint Irénée, saint Pros-
» per, saint Avit, saint Théodoret, le concile de Chalcé-
» doine et les autres; l'Afrique, les Gaules, la Grèce, l'Asie,
» l'Orient et l'Occident unis ensemble. »

Quicumque ergo vinculum unitatis cum legitimo summo Pontifice solvit, eo ipso ad corpus Ecclesiæ, extra quam nulla salus, jam non pertinet; et sicut membrum a corpore humano se junctum arescit, ita quisquis cum pontifice Romano communionem unitatis non servat, a fonte vitæ spiritualis separatur et moritur.

Hinc plurima sequuntur, videlicet:

1^o Ecclesia Christi essentialiter est Romana, ac proinde veri fideles necessario sunt catholici Romani.

2^o Privati homines ipsique sacerdotes nunquam legitime pronuntiare possunt talem aut talem Pontificem canonice non fuisse electum, in hæresim vel in apostasiam lapsam esse, et sub hoc prætextu decernere communionem cum illo habendam aut servandam non esse. Ubi episcopi sunt moraliter unanimes in admittendo tali homine tanquam legitimo B. Petri successore, nemo ab illius communionem discedere potest, quamcumque ob causam, quin eo ipso extra viam salutis constituatur. Sic societas, vulgo dicta *la petite Église*, funditus ruit.

3^o Qui ore tenus duntaxat pontifici Romano uniuntur,

ad veram Ecclesiam de facto non pertinent; absurdum enim et ridiculum foret dicere unionem cum summo Pontifice necessariam, in verbis tantum consistere et non in actionibus: unde seipsum manifeste decipiebant Janseniani, qui ad Ecclesiam eos damnantem pertinere volebant.

4° Episcopi contra decreta summi Pontificis electi et confirmati, qui professionem fidei suæ, ut aiunt, ad eum mittunt, prætendentes, sub hac unitatis specie, se communionem essentialem cum illo servare, evidenter sunt schismatici. Tales sunt Archiepiscopi Trajectenses, qui, ab anno 1723 usque nunc, juxta hanc methodum sibi succedunt: gravioribus censuris ecclesiasticis a sancta Sede perculsi, nihilominus in obstinatione sua perseverant et gloriantur se catholicos Romanos esse.

5° Summus Pontifex jurisdictionem proprie dictam habet in schismaticos et etiam in hæreticos; tanquam enim B. Petri successor habet auctoritatem in eos omnes qui ad Christum pertinent: at omnes qui valide baptizati sunt, licet rebelles, ad Christum pertinent, sicut cives contra principem conjurati nihilominus sunt ejus subditi, et milites profugi, a duce suo legitime puniuntur.

SECTIO SECUNDA.— De potestate edendi fidei decreta et condendi leges quæ cunctos obligent Christianos.

PROPOSITIO.

Summus Pontifex potest, ratione sui primatus, edere fidei decreta et condere leges quæ cunctos obligent Christianos.

Prob. Hoc admittendum est quod praxi Ecclesiæ et rationibus theologis evidenter constat: atqui praxi Ecclesiæ, etc.

1° *Praxi Ecclesiæ.* Nam in omnibus retro sæculis summi Pontifices tulerunt fidei decreta et condiderunt leges quæ ad omnes Christi fideles spectarent et eos obligarent. Inter multa alia, citari possunt exempla Victoris in causa Paschatis, B. Stephani in causa baptismi ab hæreticis collati, Damasi in causa Macedonii, Siricii in causa Joviniani, Innocentii I, Zosimi, Bonifacii, Cælestini I et

Sixti III in causa Pelagianorum, ejusdem Cælestini in causa Nestorii, Leonis Magni in causa Eutychetis, etc. Ergo 1°.

2° *Rationibus theologis*, tum quoad fidei decreta, tum quoad leges. 1° *Quoad fidei decreta.* Summus Pontifex, in quantum est totius Ecclesiæ caput, specialem habet curam errores abigendi aut præcavendi, fideles docendi et deposito revelationis invigilandi: atqui certe hæc præstare non posset, si proprie dictam non haberet potestatem edendi decreta quæ omnes obligarent sensu infra determinando, ubi de infallibilitate summi Pontificis agemus. Præterea, ut varii errores undique nascentes sufficienter reprimantur, et vera Christi doctrina integra semper custodiat, universalis et permanens existat necesse est auctoritas quæ continuo invigilet, episcopos fidei judices moneat, aut saltem in unum eos jugiter devinciat: porro talis auctoritas est necessario auctoritas summi Pontificis, siquidem concilium generale frequenter coadunari non potest: ergo.

2° *Quoad leges.* Summus Pontifex, vi supremæ jurisdictionis suæ, omnes Christi agnos et oves pascere tenetur, certissime igitur habet a Christo quidquid necesse est ut eos recte pascat: porro non haberet quidquid necesse est, si leges cunctos obligantes condere non posset; nam sæpe reprimendi sunt abusus, coercendæ cupiditates, fovendæ virtutes, sancienda leges divinæ et humanæ; promovenda, statuenda et observanda est cultus solemnitas; solus pontifex Romanus hæc jure communi præstare valet: at illa præstare non potest nisi condendo leges quæ cunctos teneant obligatos: ergo.

Pari ratione, sedulo invigilare tenentur summi Pontifices ut conciliorum decreta custodiantur et leges disciplinæ observentur: nam hæc bonum Ecclesiæ regimen requirit.

SECTIO TERTIA.— De potestate dispensandi a legibus conciliorum.

PROPOSITIO.

Summus Pontifex ab omnibus etiam conciliorum generalium legibus dispensare potest, quando legitime dispensandi est locus.

Prob. auctoritate concilii Basileensis, omnium theologorum, et ratione.

1^o *Auctoritate concilii Basileensis.* Sic enim se habet illud concil. apud *Bossuet*, *Defens.* Decl. part. 3, l. 11, c. 16 : « Concilii statuta in nullo derogant potestati Romani pontificis, quin pro tempore, loco causisque et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensareque possit. »

2^o *Auctoritate omnium theologorum.* Quoad Ultramontanos res patet. Nomine Gallorum sic loquitur *Bossuet*, loco citato : « Neque vero putent a nobis tanta canonum et conciliorum auctoritate constitutas sedis Apostolicæ dispensationes esse sublatas ; absit, has enim nemo catholicus, nemo veri regiminis sciens aut rerum ecclesiasticarum gnarus, abstulerit. »

3^o *Ratione.* Bonum regimen Ecclesiæ sæpe exigit ut ipsius leges per legitimam dispensationem in quibusdam casibus relaxentur ; id omnes fatentur : atqui solus pontifex Romanus jure ordinario ab his legibus dispensare potest : vel enim a pontifice Romano, vel a concilio generali hæc dispensatio ordinarie concedenda est : at posterius dici non potest : ergo.

Nec requiritur ut concilia talem facultatem summo Pontifici concedant ; eam enim habet ratione suæ dignitatis.

Quinimo, etiamsi concilia positive staterent quod nulla concederetur dispensatio a tali lege, summus Pontifex stricte non ligaretur hac prohibitione ; ea enim non obstante, concilium generale ab hujusmodi lege dispensare posset, si, attentis rerum adjunctis, id expedire videretur ; at eandem facultatem habere debet summus Pontifex, si justa dispensandi causa existat. Sic, post concilium

Tridentinum, in quo statutum fuerat nullam concedendam esse dispensationem in secundo gradu consanguinitatis et affinitatis, sess. 24, de Reform. c. 5, similiter dispensarunt summi Pontifices ob rationes quas exponit Palavicinus, in *Hist. conc. Trident.* lib. 23, c. 8.

Hinc in casu necessitatis, ubi de jure positivo et disciplina ecclesiastica agitur, nihil est quod summus Pontifex facere non possit. Id expresse agnovit *Bossuet*, *Defens.* Decl. part. 3, lib. 11, c. 22 : « Concedimus enim in jure quidem ecclesiastico papam nihil non posse, cum necessitas id postularit. » Idem ferme habetur eodem opere eademque parte, lib. 10, cap. 31.

SECTIO QUARTA.— De potestate concilia œcumenica convocandi, celebrandi ac confirmandi.

Jam probavimus supra solum pontificem Romanum posse, jure sibi divinitus concesso, concilia œcumenica convocare et eis præesse. Restat igitur ut paucis verbis ostendamus quod ipse solus ea confirmare possit et debeat ; duplex autem distingui potest hujusmodi confirmatio, scilicet proprie dicta, quæ est solemnis decretorum concilii promulgatio ad omnes ecclesias directa, et improprie dicta, quæ est tantum simplex assensus vel approbatio.

PROPOSITIO.

Concilium generale vim irrefragabilem non habet, nisi auctoritas summi Pontificis ei accedat, saltem per consensum.

Prob. traditione, ratione et auctoritate theologorum.

1^o *Traditione.* Ipsa enim concilia generalia hanc facultatem in summo Pontifice agnoverunt. Sic concilium Nicænum confirmationem S. Sylvestri requisivit ; concilium Chalcedonense assensum S. Leonis his verbis petiit : « Rogamus igitur, tuis decretis nostrum honora judicium. » Pius IV concilium Tridentinum, per bullam *Benedictus Deus*, ex petitione patrum, confirmavit ac promulgavit.

Plurima quidem celebrata sunt concilia generalia qui-

bus expressa hujusmodi summi Pontificis approbatio non accessit; sed pontifices Romani eis consenserunt saltem per legatos, eorumque executionem semper prosecuti sunt: porro sic agendo ea sufficienter confirmaverunt: ergo 1°.

2° *Ratione.* 1° Decreta conciliorum generalium sunt actus totius corporis docentis in Ecclesia; at dici non possent actus totius corporis docentis, si caput positive non consensisset. 2° Concilia generalia sunt in suo genere, respectu summi Pontificis, sicut comitia generalia in regno, v. g. in Gallia, in Anglia, etc.: atqui leges in comitiis generalibus constitutæ vim et robur non habent nisi a rege confirmentur: ergo *a pari* et decreta conciliorum nondum perfecta sunt nisi a pontifice Romano fuerint approbata. 3° Summus Pontifex est centrum unitatis in fide, sicut in regimine: verum si decreta conciliorum essent regulæ fidei absque confirmatione summi Pontificis, tunc summus Pontifex jam non foret necessario centrum unitatis in fide: ergo 2°.

3° *Auctoritate theologorum.* Omnes Ultramontani in hoc puncto consentiunt: ipsi vero Galli ab hac sententia non recedunt, ut testatur illustrissimus *Bossuet*, Gallia orthodoxa, n. 84: » Parisienses ultro consentiunt ex antiquissimis regulis synodos generales absque Romano pontifice nullas esse et irritas. » Ergo 3°, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Ex propositione ista quædam deducuntur consecutaria gravis momenti. 1° Si Pontifex Romanus concilii generalis etiam legitime congregati dissolutionem aut translationem in alium locum pronuntiet, si ei per se aut per legatos præesse nolit aut cesset, tunc illud totam Ecclesiam jam non repræsentat, quia conditionibus ad concilia generalia requisitis non est donatum. Hinc 2° concilium Ariminense non fuit œcumenicum, ut supra notavimus. 3° Concilium Basileense non fuit pariter œcumenicum, saltem a sessione 29; nam Eugenius IV legatum suum revocaverat, et concilium transtulerat primo Ferrariam, deinde Florentiam, ibique illud celebrabat cum Græcis et multis Latinis, dum pauci episcopi, multo plures secundi ordinis sacerdotes et cardinalis Arelatensis, decreto translationis resistentes, Basileæ adhuc remanebant, sessiones inter-

dum habebant, multa reformationis decreta edebant, contra Eugenium IV procedebant, hunc pontificem cum gravi scandalo deponebant, et eligebant Amedæum VIII, Sabaudie ducem, qui, ab anno 1439 usque ad annum 1449, fuit antipapa sub nomine Felicis V.

SECTIO QUINTA.— De jure appellationum.

Omnes fatentur, 1° summum Pontificem habere jus ad se evocandi causas majores fidei et disciplinæ generalis: *id sequitur ex dictis*; 2° simplices sacerdotes non habere jus recurrenti directe ad summum Pontificem: hoc fuit jure ecclesiastico statutum ne ultra modum multiplicarentur appellationes; 3° summum Pontificem appellationes episcoporum suscipere posse; sed controversitur an illud possit jure divino, an tantum jure ecclesiastico, ex concilio Sardicensi.

PROPOSITIO.

Summus Pontifex, non tantum jure ecclesiastico, sed vi eminentis sui primatus, causas majores fidei et disciplinæ generalis ad se evocare et appellationes episcoporum suscipere potest.

Prob. praxi Ecclesiæ et rationibus theologiceis.

1° *Praxi Ecclesiæ.* Quod enim in optimis Ecclesiæ sæculis pontifices Romani fecerunt tanquam Petri successores, id adhuc jure sui primatus facere possunt: atqui in optimis Ecclesiæ sæculis pontifices Romani appellationes episcoporum susceperunt easque judicaverunt; sic in Oriente a sententiis conciliorum contra se latis appellaverunt S. Athanasius, Eusthatius, Sebastensis episcopus, S. Joannes Chrysostomus, Flavianus Constantinopolitanus, Theodoretus, Ignatius; eos pontifices Romani audierunt, absolverunt et sedibus propriis restituerunt: in his autem appellationibus sola B. Petri successoris dignitas et præ eminentia considerabantur; in Occidente vero Chelydonius, episcopus Viennensis, et Contumeliosus, episcopus Regensis, ad pontificem Romanum appellave-

runt : S. Gregorius Magnus Jannarium et Stephanum ab episcopis suæ provinciæ depositos restituit. Ergo 1°.

2° *Rationibus theologeis.* 1° Naturæ est omnis hierarchiæ ut de sententiis inferiorum ad superiores judices, et tandem ad supremum appellari possit; supremus autem ultimo et definitive judicat : atqui summus Pontifex, non tantum ex jure ecclesiastico; sed vi sui primatus est superior omnibus episcopis seorsim sumptis, ipsisque conciliis provincialibus et nationalibus, sicut caput superius est membris : a judiciis ergo metropolitanorum, primatum, patriarchatum, conciliorumque provincialium aut nationalium episcopi condemnati aut depositi ad summum Pontificem appellare possunt.

2° Summus Pontifex, ratione sui primatus, cunctorum canonum executioni invigilare tenetur, eorumque observantiam promovere et urgere debet : atqui munere illo fungi non potest, nisi jus habeat sententiam adversus episcopum inique latam irritandi et annullandi, siquidem per hujusmodi sententiam canones violantur : ergo per se aut per judices a se delegatos eam irritare et episcopum depositum sedi suæ restituere potest.

Observandum est cum doctissimo jam citato *Regnier*, t. 2, aliud esse jus appellationes suscipiendi et judicandi, aliud vero modum jus illud exercendi : jus ipsum primatui pontificis Romani est annexum ; at modus pro arbitrio et pro diversis circumstantiis variari potest. Ex concordato Bononiensi anni 1515, inter Leonem X et Franciscum I, non valet appellatio in Gallia, omisso medio tribunali, et papa tenetur committere judices in ipsis appellantis partibus, ne Galli extra regnum causas suas prosequi cogantur.

SECTIO SEXTA. — De potestate episcopos instituendi.

Institutio idem est ac missio : essentialiter differt ab electione, quæ est tantum indicatio subjecti cui conferenda est institutio seu missio. Variis modis in diversis temporibus facta est electio : modo a clero, consulta plebe, modo a solo clero ; modo presentatio facta est a principe

sæculari, v. g. in Gallia, ex concordato inter Leonem X et Franciscum I inito. Institutio similiter variavit, et concessa est, vel a papa, vel a patriarcha, vel a metropolitano, et in absentia ejus ab antiquiore episcopo ejusdem provinciæ, vel a concilio provinciali. Vide opus D. *Frasysinoux* cui titulus : *Les vrais Principes de l'Église gallicane.*

PROPOSITIO PRIMA.

Institutio canonica, ab ecclesiastica potestate accepta, est omnino necessaria in genere.

Prob. 1° Scriptura sacra, nempe omnibus textibus quos attulimus demonstrando veram Ecclesiam debere esse Apostolicam ratione ministerii. Nullus enim validam habet potestatem spiritualem in populum Dei, nisi legitimam missionem a Christo per Apostolos eorumque successores descendantem acceperit : porro talis missio a sola potestate ecclesiastica conferri potest : ergo.

Prob. 2° concilio Trident. Sic enim se habet, sess. 23, c. 4 : « Decernit (sacrosancta synodus) eos qui tantummodo a populo aut sæculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendant, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse ; » et canone 7 ejusdem sess. sic concludit : « Si quis dixerit... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros : anathema sit. » Ergo.

Prob. 3° ex SS. Patribus, ut supra loco citato.

Prob. 4° ratione theologica. Ad servandum bonum ordinem, requiritur ut proprium territorium unicuique episcopo assignetur ; *id evidenter patet* : atqui solius potestatis ecclesiasticæ est territorium episcoporum ita determinare, cum de muneribus ecclesiasticis obeundis proindeque de potestate spirituali exercenda agatur : ergo.

Quod autem de institutione episcoporum dicitur, pari

runt : S. Gregorius Magnus Jannarium et Stephanum ab episcopis suæ provinciæ depositos restituit. Ergo 1°.

2° *Rationibus theologeis.* 1° Naturæ est omnis hierarchiæ ut de sententiis inferiorum ad superiores judices, et tandem ad supremum appellari possit; supremus autem ultimo et definitive judicat : atqui summus Pontifex, non tantum ex jure ecclesiastico; sed vi sui primatus est superior omnibus episcopis seorsim sumptis, ipsisque conciliis provincialibus et nationalibus, sicut caput superius est membris : a judiciis ergo metropolitanorum, primatum, patriarchatum, conciliorumque provincialium aut nationalium episcopi condemnati aut depositi ad summum Pontificem appellare possunt.

2° Summus Pontifex, ratione sui primatus, cunctorum canonum executioni invigilare tenetur, eorumque observantiam promovere et urgere debet : atqui munere illo fungi non potest, nisi jus habeat sententiam adversus episcopum inique latam irritandi et annullandi, siquidem per hujusmodi sententiam canones violantur : ergo per se aut per judices a se delegatos eam irritare et episcopum depositum sedi suæ restituere potest.

Observandum est cum doctissimo jam citato *Regnier*, t. 2, aliud esse jus appellationes suscipiendi et judicandi, aliud vero modum jus illud exercendi : jus ipsum primatui pontificis Romani est annexum ; at modus pro arbitrio et pro diversis circumstantiis variari potest. Ex concordato Bononiensi anni 1515, inter Leonem X et Franciscum I, non valet appellatio in Gallia, omisso medio tribunali, et papa tenetur committere judices in ipsis appellantis partibus, ne Galli extra regnum causas suas prosequi cogantur.

SECTIO SEXTA. — De potestate episcopos instituenti.

Institutio idem est ac missio : essentialiter differt ab electione, quæ est tantum indicatio subjecti cui conferenda est institutio seu missio. Variis modis in diversis temporibus facta est electio : modo a clero, consulta plebe, modo a solo clero ; modo presentatio facta est a principe

sæculari, v. g. in Gallia, ex concordato inter Leonem X et Franciscum I inito. Institutio similiter variavit, et concessa est, vel a papa, vel a patriarcha, vel a metropolitano, et in absentia ejus ab antiquiore episcopo ejusdem provinciæ, vel a concilio provinciali. Vide opus D. *Frasysinoux* cui titulus : *Les vrais Principes de l'Église gallicane.*

PROPOSITIO PRIMA.

Institutio canonica, ab ecclesiastica potestate accepta, est omnino necessaria in genere.

Prob. 1° Scriptura sacra, nempe omnibus textibus quos attulimus demonstrando veram Ecclesiam debere esse Apostolicam ratione ministerii. Nullus enim validam habet potestatem spiritualem in populum Dei, nisi legitimam missionem a Christo per Apostolos eorumque successores descendantem acceperit : porro talis missio a sola potestate ecclesiastica conferri potest : ergo.

Prob. 2° concilio Trident. Sic enim se habet, sess. 23, c. 4 : « Decernit (sacrosancta synodus) eos qui tantummodo a populo aut sæculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendant, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse ; » et canone 7 ejusdem sess. sic concludit : « Si quis dixerit... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros : anathema sit. » Ergo.

Prob. 3° ex SS. Patribus, ut supra loco citato.

Prob. 4° ratione theologica. Ad servandum bonum ordinem, requiritur ut proprium territorium unicuique episcopo assignetur ; *id evidenter patet* : atqui solius potestatis ecclesiasticæ est territorium episcoporum ita determinare, cum de muneribus ecclesiasticis obeundis proindeque de potestate spirituali exercenda agatur : ergo.

Quod autem de institutione episcoporum dicitur, pari

ratione dicendum est de creatione, suppressione, divisione, coadunatione dioceseon : nihil in hoc genere legitimum esse potest nisi saltem consensus potestatis ecclesiasticæ accesserit. Hinc clerus Gallicanus in opere notissimo, *Exposition des principes sur la Constitution civile du clergé, en 1790*, cui centum et quadraginta episcopi subscripserunt, ait : « Il n'y a pas un exemple de la » réunion de plusieurs diocèses, de la séparation de deux » diocèses unis, de la division d'un évêché, de la translation même d'un siège épiscopal, sans l'intervention de » la puissance ecclésiastique. »

PROPOSITIO SECUNDA.

Solus pontifex Romanus potest jure divino instituere episcopos per orbem universum.

Probatur Scriptura sacra, concilio Trident. et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Constat enim Scriptura sacra, ex dictis, summum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ, habere primatum, non solum honoris, sed et jurisdictionis, et supremam potestatem universum gregem Christianum regendi ac pascendi : porro institutio episcoporum ad generalem hanc administrationem pertinet : ergo.

2^o *Concilio Trident. sess. 23, c. 8 :* « Si quis dixerit » episcopos qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, » non esse legitimos et veros episcopos : sed figmentum » humanum ; anathema sit. » Igitur pontifex Romanus potest ubique legitimos constituere episcopos : ergo repugnat aliam auctoritatem jure proprio legitimos instituere posse episcopos, alioquin fieri posset ut duo simul existerent legitimi episcopi pro eadem sede. Ergo.

3^o *Ratione.* Eo ipso quod pontifex Romanus sit caput Ecclesiæ et centrum unitatis catholice, episcopi ab eo missi legitimam auctoritatem habent; qui vero ab ipso non agnoscerentur, hac sola ratione schismatis notam effugere non possent. Ergo.

Omnes quidem Apostoli, ex plenitudine missionis a Christo accepta, episcopos et presbyteros ubique consti-

tuere poterant, sicut supra observavimus; sed extraordinaria hæc potestas ad eorum successores non transiit, quia bono regimini Ecclesiæ tunc nociva fuisset; at necessario manere debuit integra penes illum cui cura totius Ecclesiæ Christi erat commissa.

Igitur beatus Petrus sibi substituit Evodium in sede Antiochena, et Ignatium, successorem ejus, propria dextra episcopum ordinavit, juxta plures antiquos Patres; *Godescard, 1^{er} février*; sedem Alexandrinam per suum discipulum Marcum fundavit, ut patet ex Epist. S. Gregorii ad Eulogium aliisque testimoniis. Ergo S. Petrus primos Ecclesiæ patriarchas instituit, eisque legitimam dedit missionem. Cæteri vero metropolitani, primates et patriarchæ fuerunt tantum institutionis ecclesiasticæ, ut omnes faterentur : universa ergo privilegia quæ possidebant, a summo pontifice Romano, vel a conciliis, summo Pontifice eis consentiente, tenuerunt.

Rekursus autem ad pontificem Romanum, pro obtinendis confirmationibus, nec tutus, nec sine multis et gravibus incommodis fuisset in primis sæculis : idcirco statutum fuit ut metropolitani episcopos suæ provincie ordinarent ac instituerent; metropolitani vero confirmabantur a papa, a patriarcha aut a primate, vel etiam a concilio provincie, v. g. in Gallia. Hunc ordinem jam existentem approbavit et sancivit concilium Nicænum, anno 325 habitum, canone 9.

Diu hæc disciplina perseveravit; sed in sæculis ignorantie et barbarie frequentes nati sunt abusus, tum ex parte principum qui libertatem electionum sæpius lædebant, tum ex parte metropolitanorum qui, præ metu et timiditate, viris omnino indignis aut inique vel irregulariter presentatis manus imponebant. Ad sedem Apostolicam tunc appellabatur, sæpe etiam pontifices Romani causas ad se evocabant, nominationes et confirmationes annullabant, et alios episcopos instituebant : sic metropolitanorum privilegium paulatim imminutum est, et ante decimum quartum sæculum jam fere penitus cessaverat.

Illud renovare tentarunt episcopi Gallicani, in decimo

quinto sæculo, per *Pragmaticam sanctionem* Caroli VII, datam apud Bituricas, ann 1438. Abs re forte non erit hic breviter quasi per transennam notare quid sit illa tam celebris Pragmatica sanctio, et quæ fuerit ejus occasio.

Pragmatica sanctio, a voce Græca *πράγματ.*, *affaire*, et verbo Latino *sancire* (*confirmer, arrêter*) derivata, in stylo juris antiqui significat legem vel constitutionem fundamentalem, generales quasdam et gravis momenti continentem regulas, ad negotia civilia et præsertim ecclesiastica respicientes. Vox *pragmaticum* reperitur in Codice Justiniani et in Capitularibus Caroli Magni.

Anno 1269, S. Ludovicus inter varia quæ ante secundam suam expeditionem contra Infideles statuit, Pragmaticam sanctionem quinque articulos continentem, dedisse refertur apud *Labbe*, t. 11, et *Longueval, Histoire de l'Eglise Gallicane*, t. 11. Hac Pragmatica sanctione pius rex in primis statuebat omnes prælatos ecclesiarum deinceps plena jurisdictione sua fruturos, omnes patrones et alios beneficiorum collatores totis juribus suis gavisuros, futuras ecclesias cathedrales aliasque omnino esse liberas in electionibus quæ secundum jus commune fierent, et plenum effectum statim obtinerent. Circa hanc Pragmaticam quæ a nonnullis ut dubia habetur et quidem propter sat graves rationes, legi potest *Barruel, Collection ecclésiastique*, etc. t. 2; *le Corresp.* 1844, t. 8, p. 342.

Ex quo autem pontifices Romani sedem suam in Gallia cæperunt habere, immediatam frequenter exercuerunt potestatem in varia beneficia, ea extraneis et curiæ suæ ministris ac servis sæpe conferebant, in præjudicium regis subditorum. Hoc per magnum Occidentis schisma frequentius adhuc contigit: nam pontifices Avenione residentes amplis Ecclesiæ Romanæ redditibus privati, alio modo personas sibi obsequentes remunerare vel eis favere non poterant.

Hinc innumeræ nate sunt querimoniæ et murmurationes.

Reformationem hujus abusus omnes Galli communibus votis vehementer exoptabant. Multum sub hoc respectu a

concilio Constantiensi fere incassum expectayerant; ideo concilio Basileensi ipsiusque decretis adhæserunt, licet ipsius agendi rationem contra Eugenium IV improba-
rent.

Tunc Carolus VII celebrem convocavit cœtum cleri Gallicani et primorum totius regni, cui ipse in urbe Bituricarum præfuit, anno 1438. In eo cœtu famosissima condita et publicata est Caroli VII constitutio, dicta Pragmatica sanctio, qua, de consensu cleri Gallicani, prisca restituitur Ecclesiæ disciplina circa electiones, electorum confirmationes et ordinationes, circa perfectam ecclesiarum Gallicanarum libertatem, etc., etc.

Pontifices Romani contra hanc Pragmaticam sibi odiosam jugiter reclamarunt. Ludovicus XI eam per edictum solemne revocavit, anno 1467, ut benevolentiam Pauli II et totius curiæ Romanæ sibi conciliaret; sed illud edictum admittente supremus Parisiensis senatus et Universitas constanter recusarunt, ei obstiterunt, sicque impediunt ne effectum suum obtineret; Pragmatica igitur, non obstante illo edicto, permansit integra: sed in concilio Lateran. V, sess. 11, appellata fuit a Leone X *Corruptela*. Tandem, anno 1515, penitus abolita fuit per concordatum inter summum pontificem Leonem X et Franciscum I initum. Vi hujusmodi concordati, rex facultatem habuit episcopos et archiepiscopos præsentandi, et Leo X omnes præsentatorum confirmationes sedi Apostolicæ reservavit, sicut eas jam sibi suisque successoribus reservaverat Nicolaus V in Germania, anno 1448, per concordatum suum cum Frederico III.

Jus illud a pluribus sæculis nunc fere ubique exercent pontifices Romani: talis est ergo circa gravissimum istud punctum generalis Ecclesiæ disciplina, quæ tantummodo per generale concilium vel ex libera summi Pontificis concessionem mutari potest, nam ipsi soli hæc facultas jure divino competit, ad alios vero solo jure ecclesiastico pertinere potest. Vide opus dictum *Tradition de l'Eglise sur l'institution des évêques*, auctore D. de la Mennais.

Solus adhuc Pontifex maximus, ratione universalis suæ

jurisdictionis, novas dioceses creare novasque metropoles erigere potest. Facultatem hujusmodi olim habuerunt, ex institutione ecclesiastica, metropolitani et aliquando episcopi; sed nulli eam nunc possident, nisi ex speciali delegatione.

Episcopi canonice electi vel a rege nominati, sed nondum confirmati, nullo modo spirituali vel temporali administrationi ecclesiae ad quam destinantur se ingerere possunt, sub nomine economi, procuratoris, aut sub alio quocumque praetextu, nec administrationem sibi oblatam accipere possunt. Ita Gregorius X, in concilio Lugdunensi II, *Labbe*, t. 11. Eandem prohibitionem renovarunt, sua vice, Bonifacius VIII, in Sexto. l. 1, tit. 6, cap. 5, Alexand. V, Julius II, Clem. VII et Julius III. Pius VII in suo brevi diei 5 novembris 1810 ad cardinalem *Maury*, et in altero brevi diei 2 decembris ejusdem anni, ad *Averardo Carboli*, archidiaconum Florentinum et capitularem vicarium directo, eandem doctrinam fortiter tuetur: expresse docet episcopum nominatum eo ipso idoneum non esse ad jurisdictionem per delegationem a capitulo accipiendam, hancque doctrinam auctoritatibus supra citatis probat: Glossa, in c. 5 Sexti citati, est expressa. Quidam tamen opinantur contrarium in Gallia fieri posse; nam, inquit, tempore divisionis inter Ludovicum XIV et Innocentium XI exortae, episcopi a rege nominati litteras vicarii generalis a capitulo accipiebant, et sic per delegationem sedem episcopalem administrabant, *Histoire de Bossuet*, t. 2. At cum valde dubium sit tales administrationes esse validas, certum est episcopum alicui sedi jam affixum hujus generis administrationem suscipere non posse.

Ubi vero episcopus canonice institutus pro alia sede sive episcopali, sive archiepiscopali, proponitur, jurisdictionem semper habet ac exercere potest in prima diocesi sua, donec a summo Pontifice canonice fuerit institutus pro altera diocesi. Ex quo autem haec canonica institutio ipsi certo innotescit, a prima jurisdictione statim abstinere debet, quia per actum pontificalem a vinculo quo

ecclesiae suae erat ligatus absolvitur et omnem in eam amittit auctoritatem.

SECTIO SEPTIMA. — De natura jurisdictionis quam summus Pontifex habet in tota Ecclesia.

Quidam illi concedunt duntaxat jurisdictionem mediatam, vi cujus omnibus episcopis invigilare, eos delinquentes aut suos populos male gubernantes admonere et corrigere debeat, sed nihil ultra facere queat. Illa autem doctrina cum praerogativis sanctae Sedis a nobis expositis conciliari non potest.

PROPOSITIO.

Summus Pontifex immediatam habet jurisdictionem per totum orbem Christianum.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, consensu doctorum et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* S. Joan. xxii, 15, 16 et 17: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Summus Pontifex, tanquam B. Petri successor, habet jus pascendi seu gubernandi totum gregem Christianum per orbem universum: atqui jus illud supponit jurisdictionem immediatam: ergo.

2^o *Conciliis.* Concilium enim Florent. collatione 22, definit pontificem Romanum esse « verum Christi vicarium » totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum » patrem et magistrum existere. » Conc. Trident. sess. 14, c. 7, haec habet: « Merito Pontifices maximi, pro supremata potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas » aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. » At immerito diceretur pontifices Romanos esse omnium Christianorum patres et doctores, speciales criminum causas sibi reservare potuisse, si in cunctos Christianos per universum orbem sparsos immediatam non haberent jurisdictionem.

3^o *Consensu doctorum.* Sacra quippe Facultas Parisiensis, anno 1542, inter plures articulos, sic decernit: « Non

» minus certum est unum esse jure divino Romanum in
 » Ecclesia Christi militante pontificem, cui omnes Chri-
 » stiani parere tenentur. » Hæc etiam est doctrina illus-
 » trissimi *Bossuet*, Append. ad Defens. Declar. lib. 1, c. 1.
 Si autem pontifex Romanus immediatam non haberet ju-
 risdictionem per orbem univversum, omnes Christiani non
 magis ipsi parere tenerentur quam archiepiscopo aut pri-
 mati : at nullam debent obedientiam archiepiscopo ut tali,
 nec primati : ergo.

4^o *Ratione*. Summus enim Pontifex facultatem habet,
 ex dictis, condendi leges quæ ad omnes Christianos spec-
 tent eosque obligent : verum tales leges condere non
 posset si immediatam jurisdictionem in omnes non ha-
 beret : ergo.

Unde summus Pontifex sententiâs depositionis, suspen-
 sionis, interdicti et excommunicationis in universa Ec-
 clesia justa de causa ferre potest : id a nemine catholico
 negatur, modo serventur conditiones quas infra expo-
 nemus.

Eminentissimæ sedis Apostolicæ prærogativæ quas ex-
 posuimus, innumeris factis confirmantur : quicumque
 historiam ecclesiasticam attente legerint : plenissime con-
 victi, fateri cogentur pontificem Romanum tanquam Pe-
 tri successorem cæteros episcopos sua dignitate et auctori-
 tate longe præcellere, quod observat et describit auctor
 operis pluries jam citati, *du Pape*, t. 1, l. 1, c. 8. Post-
 quam diversa retulit testimonia, addit : « Néanmoins il
 » y a quelque chose peut-être de plus frappant encore,
 » c'est le sentiment général qui résulte d'une lecture at-
 » tentive de l'histoire ecclésiastique. On y sent, s'il est
 » permis de s'expliquer ainsi, je ne sais quelle *présence*
 » *réelle* du souverain Pontife sur tous les points du monde
 » chrétien. Il est partout, il se mêle de tout, il regarde
 » tout, comme de tous côtés on le regarde. » Sic ipse
Pascal, non suspectus, notaverat : « Il ne faut pas juger
 » de ce qu'est le pape par quelques paroles des Pères...
 » mais par les actions de l'Eglise et des Pères, et par les
 » canons. Le pape est le premier. Quel autre est connu

» de tous? quel autre est reconnu de tous, ayant pouvoir
 » d'influer par tout le corps, parce qu'il tient à la mai-
 » tresse branche qui influe partout? » *Pensées*.

§ II. — De prærogativis summi Pontificis controversis.

Tres præsertim sunt prærogativæ quæ ab aliis summo
 Pontifici tribuuntur, ab aliis vero negantur, nempe aucto-
 ritas in temporalia regum, infallibilitas in docendo, et
 summa potestas supra concilium generale.

Cum per tempus nobis non liceat de illis fusiori ser-
 mone disserere, eas breviter exposituri sumus. Idcirco præ-
 sentem paragraphum in tres sectiones dividemus; quar-
 tam subjungemus de celebri cleri Gallicani Declaratione
 anni 1682, et de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

SECTIO PRIMA. — De potestate summi Pontificis in temporalia regum.

Circa potestatem summi Pontificis erga bona temporalia
 quatuor prodierunt opiniones.

Prima tenet summum Pontificem ut talem jure divino
 plenissimam habere potestatem in universum orbem ter-
 rarum, tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis, ita ut
 dominium temporale ab uno principe ad alterum pro ar-
 bitrio transferre posset.

Secunda, in altero extremo posita, docet 1^o pontificem
 Romanum ut pontificem nullam habere potestatem tem-
 poralem, et nullo modo principibus sæcularibus imperare
 posse; 2^o nec pontificem Romanum nec alios episcopos
 accipere potuisse dominium in provincias aut in urbes,
 quocumque titulo eas obtinuerint : quia, aiunt hujus sen-
 tentiæ auctores, jus divinum prohibet ne gladius spiritua-
 lis et gladius temporalis simul in eodem uniantur. Ita,
 post Wiclefitas et Hussitas, Calvinistæ aliique hæretici.

Tertia sententia eorum est qui affirmant pontificem Ro-
 manum nullam jure divino habere potestatem temporalem
 directam et immediatam, sed tantum spirituales : at
 simul contendunt eum, ratione spiritualis auctoritatis, in-
 directam habere potestatem et quidem summam in tem-

» minus certum est unum esse jure divino Romanum in
 » Ecclesia Christi militante pontificem, cui omnes Chri-
 » stiani parere tenentur. » Hæc etiam est doctrina illus-
 » trissimi *Bossuet*, Append. ad Defens. Declar. lib. 1, c. 1.
 Si autem pontifex Romanus immediatam non haberet ju-
 risdictionem per orbem univversum, omnes Christiani non
 magis ipsi parere tenerentur quam archiepiscopo aut pri-
 mati : at nullam debent obedientiam archiepiscopo ut tali,
 nec primati : ergo.

4^o *Ratione*. Summus enim Pontifex facultatem habet,
 ex dictis, condendi leges quæ ad omnes Christianos spec-
 tent eosque obligent : verum tales leges condere non
 posset si immediatam jurisdictionem in omnes non ha-
 beret : ergo.

Unde summus Pontifex sententiâs depositionis, suspen-
 sionis, interdicti et excommunicationis in universa Ec-
 clesia justa de causa ferre potest : id a nemine catholico
 negatur, modo servantur conditiones quas infra expo-
 nemus.

Eminentissimæ sedis Apostolicæ prærogativæ quas ex-
 posuimus, innumeris factis confirmantur : quicumque
 historiam ecclesiasticam attente legerint : plenissime con-
 victi, fateri cogentur pontificem Romanum tanquam Pe-
 tri successorem cæteros episcopos sua dignitate et auctori-
 tate longe præcellere, quod observat et describit auctor
 operis pluries jam citati, *du Pape*, t. 1, l. 1, c. 8. Post-
 quam diversa retulit testimonia, addit : « Néanmoins il
 » y a quelque chose peut-être de plus frappant encore,
 » c'est le sentiment général qui résulte d'une lecture at-
 » tentive de l'histoire ecclésiastique. On y sent, s'il est
 » permis de s'expliquer ainsi, je ne sais quelle présence
 » réelle du souverain Pontife sur tous les points du monde
 » chrétien. Il est partout, il se mêle de tout, il regarde
 » tout, comme de tous côtés on le regarde. » Sic ipse
Pascal, non suspectus, notaverat : « Il ne faut pas juger
 » de ce qu'est le pape par quelques paroles des Pères...
 » mais par les actions de l'Eglise et des Pères, et par les
 » canons. Le pape est le premier. Quel autre est connu

» de tous? quel autre est reconnu de tous, ayant pouvoir
 » d'influer par tout le corps, parce qu'il tient à la mai-
 » tresse branche qui influe partout? » *Pensées*.

§ II. — De prærogativis summi Pontificis controversis.

Tres præsertim sunt prærogativæ quæ ab aliis summo
 Pontifici tribuuntur, ab aliis vero negantur, nempe aucto-
 ritas in temporalia regum, infallibilitas in docendo, et
 summa potestas supra concilium generale.

Cum per tempus nobis non liceat de illis fusiori ser-
 mone disserere, eas breviter exposituri sumus. Idcirco præ-
 sentem paragraphum in tres sectiones dividemus; quar-
 tam subjungemus de celebri cleri Gallicani Declaratione
 anni 1682, et de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

SECTIO PRIMA. — De potestate summi Pontificis in temporalia regum.

Circa potestatem summi Pontificis erga bona temporalia
 quatuor prodierunt opiniones.

Prima tenet summum Pontificem ut talem jure divino
 plenissimam habere potestatem in universum orbem ter-
 rarum, tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis, ita ut
 dominium temporale ab uno principe ad alterum pro ar-
 bitrio transferre posset.

Secunda, in altero extremo posita, docet 1^o pontificem
 Romanum ut pontificem nullam habere potestatem tem-
 poralem, et nullo modo principibus sæcularibus imperare
 posse; 2^o nec pontificem Romanum nec alios episcopos
 accipere potuisse dominium in provincias aut in urbes,
 quocumque titulo eas obtinuerint : quia, aiunt hujus sen-
 tentiæ auctores, jus divinum prohibet ne gladius spiritua-
 lis et gladius temporalis simul in eodem uniantur. Ita,
 post *Wiclefitas* et *Hussitas*, *Calvinistæ* aliique hæretici.

Tertia sententia eorum est qui affirmant pontificem Ro-
 manum nullam jure divino habere potestatem temporalem
 directam et immediatam, sed tantum spirituales : at
 simul contendunt eum, ratione spiritualis auctoritatis, in-
 directam habere potestatem et quidem summam in tem-

poralia omnium principum Christianorum et omnium fidelium; sicque Pontifex de huiusmodi bonis semper pro suo beneplacito disponere potest, quando bonum reipublicæ spiritualis sibi commissæ id postulare videtur. Ita cardinalis Bellarminus cum aliis pluribus theologis, præsertim extraneis, de Romano pont. l. 3, cap. 6 et 7. Sequentibus maxime nititur rationibus: 1° Pontifex Romanus nullam auctoritatem habet in temporalia infidelium, qui sibi non subjiciuntur, sed in temporalia fidelium: quia in eo casu politica et religiosa auctoritas sibi uniuntur sicut caro et spiritus in homine; non duas faciunt respublikas, sed unicam, ad eundem finem, nempe salutem æternam, conducentem: potestas igitur ecclesiastica, quæ est infallibilis, potestatem civilem sibi assumere, aut destruere, aut exercere, aut pro nutu transferre non potest, sed eam dirigere debet, quemadmodum in homine bene ordinato spiritus facta carnis dirigit. 2° In rebus publicis Christianis princeps non eligitur aut in thronum non elevatur, nisi sub conditione veram fidem servandi et recte gubernandi: si ergo fiat hæreticus aut sua potestate pertinaciter abutatur, contractui inter se et populum sibi commissum expresso vel tacito deest, ac proinde jus imperandi radicitus amittit, et merito deponi potest. Porro sola potestas ecclesiastica privilegio infallibilitatis donata, recte judicare potest an talis princeps sit hæreticus vel in malo ita obduratus ut deponendus sit: ergo. 3° Plures summi Pontifices scientia et pietate conspicui, ut S. Gregorius VII, Innoc. IV, Bonifacius VIII, Pius V, etc., firmiter persuasum habuerunt se, ut B. Petri successores et supremos Ecclesiæ rectores, hanc habere potestatem, cunctis moraliter episcopis et theologis assentientibus. 4° Concil. Lud. I generale, anno 1245 celebratum, hanc approbavit doctrinam, siquidem Innocentius IV sententiam depositionis contra Fredericum II pronuntians, ait, apud Labbe, t. II, 1^a part. se, cum fratribus et sancto concilio, deliberatione præhabita diligenti, agere, dum hunc imperatorem auctoritate Apostolica et vi clavium solemniter deponit. Ergo.

Quarta sententia, a multis aliis theologis et episcopis admissa, tenet pontificem Romanum nullam jure divino habere potestatem directam nec indirectam, ad sensum Bellarmini, in temporale regum aut aliorum Christianorum. Nihilominus patroni hujus sententiæ volunt illum plenissimam habere potestatem spirituales in principes sicut in simplices fideles, eos docere, corripere et pœnis spiritualibus plectere posse, atque dubia ad conscientiam illorum et subditorum attinentia Apostolica auctoritate solvere.

Prima sententia ab ipso Bellarmino solidissimis rationibus confutatur; secunda ab omnibus catholicis habetur non tantum ut falsa, sed etiam ut hæretica. Opinionem Bellarmini communiter rejiciunt Gallicani, et nituntur 1° pluribus Scripturæ et traditionis textibus, duas esse potestates distinctas, unam politicam et alteram ecclesiasticam, ostendentibus; sed cum alterius sententiæ patroni hanc veritatem non negent, fateanturque potestatem ecclesiasticam attributa potestatis civilis usurpare non posse, bene vero eam suis judiciis et sententiis dirigere, sequitur has auctoritates ab illustrissimo Bossuet et ab aliis auctoribus Gallicanis citatas, nec non a nobis olim allegatas, ad rem non venire.

2° Nituntur præsertim sequentibus rationibus, videlicet: 1° hæc opinio rejicienda est quæ per decem priora Ecclesiæ sæcula fuit inaudita: atqui talis est sententia docens summum Pontificem potestatem indirectam habere in temporalia regum, ad sensum Bellarmini, siquidem Bellarminus, magno labore congerens testimonia ad fulciendam suam opinionem tendentia, nulla præfert hujus generis facta anteriora Gregorio VII qui, anno 1080, Henricum IV deponere tentavit et hac novitate totum orbem commovit.

2° Opinio tenens pontificem Romanum reges deponere posse multa infallibiliter produceret incommoda: nempe 1° concordiam inter sacerdotium et imperium redderet impossibilem; 2° principes infideles a religione Christiana retraheret: « Quelle puissance souveraine voudrait se don-

» ner un maître qui pût par un décret lui ôter son royaume? » ait *Bossuet, Lettre au cardinal d'Estrees*; 3^o auctoritatem summi Pontificis principibus, magistratibus aliisque multis redderet odiosam; quod ipse sic advertit *Fénelon*, de summi Pontificis auctoritate, cap. 40: « Dum » aliena principum sæculi potestas Ecclesiæ tribui visa est, » propria sensim est amissa: hinc odiosa facta est pia hæc » et materna auctoritas, quæ amorem et fiduciam omnium » olim sibi conciliabat. Hæc eadem potestas, quæ in Leone, » aut Agathone, aut Gregorio Magno blanda et chara fuit, » in Gregorio VII et in Bonifacio VIII exterruit gentes. » Hinc certe sensim imminuta est spiritualis auctoritas, » dum temporalem sibi arrogare videbatur. »

3^o Tanta potestas Romano pontifici tribui non potest, nisi evidens habeat fundamentum in Scriptura sacra, vel saltem in Apostolica traditione: atqui hæc potestas nullum hujusmodi habet fundamentum. Non quidem in Scriptura, cum ipse *Bellarminus* nullum proferat textum, sed tantum Veteris Testamenti exempla, ad rem non attinentia, et in cap. 3 solide refellat argumenta olim deducta ex parabola duorum gladiatorum et ex illis verbis: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*, Matth. xx, 28. Non pariter in traditione Apostolica, nullum enim invenitur hujus opinionis vestigium certum ante Gregorium VII. Ergo.

4^o Si reges, ob suæ auctoritatis abusum, ea spoliari possint, cæteri Christiani cunctis juribus suis pari ratione exui poterunt, ut fatetur *Bellarminus*: atqui hoc intolerabile videtur. Si enim dominus potestate et facultatibus suis ad perdendas animas abutatur, si pater actiones injustas filiis suis præcipiat, summus Pontifex, episcopus, parochus et confessarius jus habent declarandi, auctoritate respectiva, talibus mandatis non obtemperandum esse, sed quis dicet mandantes juribus suis esse spoliandos aut spoliari posse? Ergo.

5^o Idem probant hujus sententiæ defensores testimonio theologorum et præsulum: anno 1626, Facultas Parisiensis, et deinde plures aliæ facultates in Gallia, damnave-

runt opus *P. Santarelli*, e societate Jesu, Romæ anno præcedenti editum, quia opinionem *Bellarmini* docebat; *Dupin, Hist. eccl. t. 1.*

Eandem doctrinam semper tuiti sunt doctores Gallicani. An. 1789 catholici Anglicani, ex votis celeberrimi *Pitt*, sententiam sex præcipuarum Universitatum Europæ exquisierunt, nempe Parisiensis, Duacensis, Lovaniensis, Complutensis, Salmanticensis et Vallisoletensis, circa potestatem Ecclesiasticam in temporalia regis Angliæ: omnes unanimiter responderunt, neque papam, neque cardinales, neque concilium etiam generale habere potestatem eum deponendi et subditos ejus a juramento fidelitatis absolvendi. « La plupart des théologiens allemands, » hongrois, polonais, espagnols et portugais pensent à » peu près comme ceux de France, » ait *Bergier, Dict. theol. art. Gallic.*

Episcopi Gallicani similiter profitentur summum Pontificem in nullo casu reges deponere posse, ut in publica expositione diei 3 aprilis 1826, cui unus et septuaginta subscripserunt, testati sunt, occasione operis *D. de La Mennais*, cui titulus: *De la Religion dans ses rapports avec l'ordre civil et politique.*

Parem sententiam expresserunt omnes archiepiscopi et episcopi Hiberni per alteram declarationem diei 23 januarii 1826. Idem expressis verbis manifestarunt, mense maio 1826, omnes vicarii Apostolici eorumque coadjutores munia episcopalia in Anglia et Scotia exercentes. Plurimi episcopi, ex Italia ad concilium nationale Parisiis anno 1811 celebratum accedentes, huic doctrinæ publice adhererant. Ipse *Pius VII*, enixe rogatus a tribus episcopis, ex parte *Napoleonis* ad eum Savonam missis, ut scripto promitteret se contra quatuor propositiones Declarationis cleri Gallicani anni 1682 nihil unquam acturum esse, huic petitioni annuere noluerat, sed affirmaverat suam repugnantiam in primam propositionem non cadere. (*Mémoires sur les affaires ecclésiastiques de France pendant les premières années du dix-neuvième siècle, t. 2.*) Ergo.

Notanda maximi momenti.

1° Advertendum est pontifices Romanos, ut tales, in Bellarmini aliorumque Ultramontensium systemate, nullo modo, potestate suprema et *directa*, principum auctoritatem sibi assumere aut ad alios transferre, vel impedire, destruere aut turbare posse; sed tantum eam, ut diximus, juxta æquitatis regulas dirigere, idque adjumento Sancti Spiritus ipsis in muneribus suis obeundis semper assistentis; unde tamen *indirecte* et consequenter, raro quidem, sed in quibusdam circumstantiis, fieri potest ab ipsis non tantum principum reprehensio circa res temporales, sed etiam depositio, nempe si bonum religionis, custodiæ pontificis Romani conceditum, id postulat.

2° Eosdem nihil posse in principes infideles, neque in principes hæreticos aut schismaticos, quando professio fidei non est conditio essentialis ad regnandum, ut nunc communiter admittitur. Unde Romani theologi alique sententiæ Bellarmini defensores libenter fatentur eam nunc objecto carere, sed pluribus durantibus sæculis applicabilem fuisse. Etenim inconcussis historiæ monumentis nunc constat professionem veræ fidei et communionem cum sancta Sede, ex jure publico paulatim in variis regnis catholicis admissa, tanquam conditiones ad regendum essentielles requisitas fuisse, ita ut summus Pontifex, vi supremæ suæ auctoritatis, de adimplerione harum conditionum spiritualium, ac proinde, reclamantibus populis, de amissione imperii pronuntiare posset. Sic de facto pluries egerunt summi Pontifices, et quidem merito, licet quandoque, in exercitio legitimæ hujus potestatis, plus minusve excedere potuerint. Vide *D. de Maistre, du Pape*, t. 1, c. 9^o et 10, et præsertim opus recens solide scriptum, cui titulus: *Pouvoir du Pape sur les souverains au moyen âge*, 1 vol. in-8°. Hinc explicantur constitutio Bonifacii VIII, *Unam sanctam*, anni 1302, sententia Innocentii IV Fredericum II in concilio Lugdunensi deponentis, et alia hujus generis facta.

« De tous ces faits on peut conclure 1° que, d'après la

« persuasion alors générale, et d'après les maximes de droit public alors en vigueur, un prince rebelle envers Dieu et envers l'Eglise encourait la privation de ses droits; 2° que, d'après les mêmes principes, le serment de fidélité, qui attache les sujets à leur souverain, était alors purement conditionnel, et ne les obligeait point à l'égard d'un prince notoirement rebelle envers Dieu et envers l'Eglise; 3° que, d'après l'usage et la jurisprudence du temps, l'excommunication rompait tous les liens que la nature et la société ont formés entre les hommes, et par conséquent tous les liens qui attachent les sujets à leur prince; 4° qu'indépendamment de ces maximes, alors généralement admises, le Saint-Siège avait des droits particuliers et généralement reconnus sur plusieurs Etats catholiques, tels que l'Allemagne, l'Angleterre, la Sicile et plusieurs autres; 5° enfin, que les souverains Pontifes, qui ont autrefois déposé des princes temporels n'ont fait qu'appliquer des maximes de droit public alors généralement admises et reconnues des souverains eux-mêmes. » (*Revue de quelques ouvrages de Fénelon*, p. 156.)

Pontifices maximi hac potestate utentes, vel de illa loquentes, errare potuerunt allegando motivos, dicendo, v. g. se illam habere jure divino; sed realiter illam merito exercebant, et aliquo sensu dicere poterant se *vi potestatis clavium* ita agere, siquidem auctoritas ea illis, quantum summis Pontificibus, etiam ex jure publico, inerat.

3° Plerique saltem summi Pontifices, qui potestatem exercuerunt, vel exercere tentaverunt in temporalia regum, erant scientia et pietate conspicui: caveamus ergo ne eos, ob talia facta, odio habeamus; sed, attentis circumstantiis in quibus erant constituti, potius miremur eorum animi fortitudinem. Miserrima quippe erant tempora: invasiones barbarorum, destructio studiorum, perpetua bella, omnia subverterant principia, præsertim inter principes et magnates, qui densissimis ignorantie tenebris involuti, frequenter in actibus suis nullas justitiæ et æquitatis regulas sequebantur: moribus erant as-

peri et depravati; populi, ab eis crudeliter vexati, ad clerum confugiebant gementes, ut invenirent protectores ac defensores. Episcopi et in primis summi Pontifices, ob eminentiorem suam auctoritatem, admonitionibus, consiliis, exhortationibus et precibus hujusmodi principes saepe emollierunt et ad meliores fruges adduxerunt. Saepè etiam alios invenerunt ita obduratos et contumaces, ut nihil ab eis obtinere possent: tunc, post minas frustra iteratas, eos excommunicabant. Frequentiores autem excommunicationes in contemptum venerunt: tunc Gregorius VII, vehementi zelo contra omnes abusus accensus, et ardenti ingenio præditus, efficaciora quæsiit media contra Henricum IV, qui ipse Pontificem in conciliabulo Germaniæ deponi jusserat. Supponens ergo, non vero definiens, se absolutam habere potestatem in imperatorem ut talem (ex multo enim tempore imperatores electi, confirmationem et coronam a Pontifice Romano accipiebant), ad solemnem depositionis sententiam procedit. Quidam alii Pontifices, Gregorium VII imitantes, principes contumaces excommunicaverunt; raro tamen usque ad depositionem venerunt, et ordinariè non nisi erga eos qui fuerant electi, ac proinde coronam sub certis conditionibus expressis aut tacitis acceperant, quibus cum pertinaciter deficerent, jus imperandi merito amittebant. Throno autem vacante per sententiam declarato, magnates, ad quos pertinebat electio, convocabantur ut digniorem eligerent principem. Si quidam abusus in exercitio talis potestatis irrepserint, quod ipsi pontifices Romani non negant, certe affirmari non potest eam in se sumptam esse malam, injustam, absurdam: constat, e contra, eam bene intellectam nihil inordinatum continere et aliquando fuisse utilissimam.

1140 Certum est Romanum pontificem, ut Petri successorem et Christi vicarium, spiritualem habere jurisdictionem in Christianos principes sicut in simplices fideles, ac consequenter eos excommunicationi aliisque pœnis spiritualibus subijcere posse: hoc a nullo catholico negari potest. Non minus certo constat, ut jam monuimus, excommu-

nicationem, hæresim aliasve pœnas ecclesiasticas, aut quascumque culpas vel spirituales sententias juribus temporalibus per se non nocere. Unde 1º principes hodierni, sive catholici, sive hæretici etiam obdurati, nihil habent formidandum a suprema summi Pontificis auctoritate, siquidem in plerisque saltem constitutionibus regnorum professio fidei catholicæ non amplius est conditio essentialis ad regnandum. 2º Qui olim coronam accipiebant sub conditione quod essent catholici et recte gubernarent, conqueri non poterant si, potestate sua evidenter abutentes, aut in hæresim labentes et perseverantes, repellebantur a throno. Etenim potestatem summi Pontificis in his casibus non negabant, sed contendebant se non esse hæreticos, se non potuisse excommunicari, etc.

5º Boni principes, aut delinquentes etiam graviter, sed emendationem non respuentes, nihil unquam molesti ex parte summorum Pontificum experti sunt; in ipsis, e contra, semper invenerunt amicos, adjuutores et recti ordinis tenacissimos defensores. Soli depravati, publica scandala præbentes, vel populorum suorum oppressores et ad meliora consilia redire pertinaciter recusantes, extremis sententiis fuerunt subjecti. Nulla igitur erat ratio cur, his temporibus, principes electi et juxta æquitatis regulas regnare volentes, ab acceptanda corona sibi oblata retraherentur sub prætextu quod delinquentes aut errorem amplectentes, a Romanis pontificibus excommunicari et deponi possent, et multo minus cur infideles et hæretici fidem catholicam non amplecterentur.

A fortiori recentes philosophi nostri, si principis suis starent, magnis laudibus celebrare deberent Romanos pontifices, qui causam populorum injuste oppressorum soli dia sustinuerunt.

6º Cæterum, quædam in historia reperiuntur facta ab Ultramontanis allegata et nihil probantia: v. g. 1º episcopi, et plusquam alii summus Pontifex, consulebantur utrum dignitas regia convenienter huic vel illi homini deferretur; tunc sententiam suam bene vel male aperientes, non semel definierunt eam ab uno ad alterum trans-

ferri posse; errare potuerunt, sed proprie loquendo, vi sui primatus in potestatem temporalem non agebant. Sic concilium XII Toletanum definivit, anno 681, Hispano regi Vambæ jam non esse obstrictos, quia regnabat Hervigius. Sic Zacharias declaravit, anno 751, nomen regis a Chilperico III deferendum esse Pippino, qui jam solus de facto habebat potestatem. Sic Leo III, anno 800, titulum imperatoris et coronam imposuit Carolo Magno, sed ex consensu et precibus Romanorum, qui ab imperatore Orientis gubernari, regi ac defendi amplius non poterant. Anno 962, Joannes XII coronavit Othonem I, sed victorem, et ab Italis recognitum ut imperatorem. Non ergo coronam de plenitudine suæ potestatis ab uno in alium magis transferebat, quam Pius VII, coronando Napoleonem, imperium se ei dedisse credidit.

2º Plures principes se suumque regnum sedi Apostolicæ consecraverant et subministrabant; se tributarios erga summum Pontificem, B. Petri successorem, constituerant: hinc summus Pontifex arbitrari potuerunt se, ratione altioris potestatis (*comme suzerains*), habere auctoritatem eos admonendi, judicandi et deponendi.

3º In quibusdam conciliis plures decreta fuerunt pænæ temporales, v. g. in concilio Lateranensi III, anno 1179, contra Albigenses et eorum fautores, in concilio Lateranensi IV, anno 1215, sub Innocentio III. Sed notandum est duo hæc concilia fuisse convocata tum ad extinguendas hæreses Catharorum, Albigensium et Valdensium, tum ad medendum innumeris malis quæ inde in omni genere pullulabant: in eis autem plures cum patribus sedebant principes, et non pauci aderant aliorum legati: inter episcopos multi erant simul domini temporales. Ut ergo calamitatibus tam lugendis efficacius occurreretur, ex consensu principum præsentium et absentium legatorum, decretis adversus hæreses junctæ sunt pænæ temporales contra hæreticos eorumque fautores: juste autem principes bellum his hæreticis, publicæ tranquillitatis evidenter hostibus, inferre poterant, ut eos ad servandas leges æquitatis adducerent: ergo pænæ temporales con-

tra illos illorumque fautores licite poterant decernere. In his igitur ac in aliis conciliis in quibus late aut statuta sunt pænæ mixtæ, pars spiritualis episcopis, et pars temporalis principibus eas decernentibus vel iis consentientibus tribuenda est. Talia sunt, v. g. Capitularia Caroli Magni.

Hæc de tanta questione, olim tam vehementer agitata, sæpe tam imperfecte ponderata, et nunc ad praxim non pertinente, sufficere nobis videntur.

SECTIO SECUNDA. — De infallibilitate summi Pontificis.

Omnes catholici tenent 1º summum Pontificem, quocumque modo loquatur, errare posse in controversiis facti, quæ ex hominum informatione ac testimoniis præcipue pendent, et cum quæstionibus dogmaticis non sunt colligatæ; 2º illum, sicut cæteros homines, errare posse in quæstionibus fidei et morum, si ut doctor privatus doceat, v. g. si libros theologicos aut canonicos componat. Plures tamen olim tenuerunt eum etiam ut doctorem privatum errare non posse: at opinio ista jam diu abolevit.

Deinde catholici adhuc sunt unanimes circa duo puncta: 1º conveniunt summum pontificem, cum generali concilio docentem, circa fidem et mores errare non posse; 2º generaliter admittunt Pontificem in re dubia statuentem per decretum ad omnes fideles spectans, ab omnibus cum veneratione et obedienter audiendum esse, sive errare possit, sive non; quia id necessarium est ad bonum Ecclesiæ regimen, et ad depositum sanæ doctrinæ custodiendum. Ita Bellarminus, de Pontifice Romano, l. 4, c. 2.

His notatis, duæ occurrunt opiniones. 1ª est eorum qui tenent illum, in quantum est Pontifex, errare posse, si absque concilio generali aut consensu Ecclesiæ dispersæ aliquid definiat; 2ª docet summum Pontificem non posse ullo modo definire aliquid hæreticum, a tota Ecclesia credendum. Qui autem hanc sententiam tuentur, adhuc inter se dissentiunt, quoad formam; alii enim dicunt Pontificem errare non posse, si mature procedat et consilium audiat aliorum pastorum, quod est definire, ut aiunt, ex

cathedra; alii vero conditionem hanc præcise non negant, sed contendunt *non posse fieri ut Pontifex temere definiat.*

Igitur quæstio est utrum summus Pontifex ex cathedra B. Petri loquens, et aliquid circa fidem vel mores definiens ab universa Ecclesia credendum aut faciendum, infallibilitatis privilegio gaudeat. Hanc thesim fortiter tuentur Bellarminus, loco citato; Melchior Canus, l. 6, c. 3 et seq.; Billuart, S. Ligorius, Veith, Cerboni, P. Perrone, et communiter extranei; quidam etiam Galli, v. g. doctissimus de Marca, speciali hac de re dissertatione, plures doctores Sorbonici, et nonnulli recentiores, inter quos D. de Maistre, Pedimontanus, sed qui in lingua nostra scripsit *du Pape et de l'Église Gallicane*, et D. de La Mennais.

Præcipue eorum rationes sunt 1º varii textus sacræ Scripturæ, v. g.: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matt. XVI, 18); *Simon Joannis, diligis me.... amas me.... pascere agnos meos.... pascere oves meas....* (Joan. XXI 15); *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* (Luc. XXII, 31 et 32.) 2º Prærogativæ certæ Romani pontificis: etenim juxta omnes pontifex Romanus est caput Ecclesiæ, centrum unitatis, habet potestatem edendi decreta fidei, etc. Ergo fallere non potest quando totam Ecclesiam docet ex cathedra. 3º Ea quæ in pluribus conciliis generalibus acta sunt; v. g. in concilio Chalcedonensi, patres, cum audiissent lectionem epistolæ S. Leonis, dixerunt anathema iis qui non ita crederent; et Act. 3, doctrinam hujus pontificis ut doctrinam B. Petri amplexi sunt, postulantes universa concilii dogmata auctoritate Sedis Apostolicæ confirmari; concilium Lugdunense II dicit, loquendo de pontifice Romano B. Petri cum plenitudine potestatis successore: « Si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. » 4º Traditio: acta conciliorum Africanæ et Arousicani, contra Pelagianos et Semipelagianos, ad Romam missa, fuerunt approbata. S. Aug. Serm. 231, de verb. evang. Joan. (t. 5, col. 645) ait: « Jam de hac causa duo concilia

» missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta » venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur » error! » Alia citantur testimonia. Ergo, etc.

Auctores vero nostri, cum illust. Bossuet, negant valorem argumentorum ex altera parte allegatorum, dicentes ea non esse sufficienter clara, textus diversas admittere interpretationes, praxim Ecclesiæ in conciliis fuisse oppositam, testimonia plurimorum patrum et nonnulla facta in Historia Ecclesiæ relata contrarium probare, etc. Ergo, etc.

Distinguunt igitur, post Bossuet, Defens. Decl. l. 10, sanctam sedem Apostolicam ab ipsa summi Pontificis persona: unanimiter admittunt de fide esse B. Petrum semper habiturum esse successorem; nam legitimus B. Petri successor est fundamentum et caput Ecclesiæ, ædificium autem subsistere non potest sine fundamento, nec corpus sine capite: inde concludunt legitimum B. Petri successorem, ex hypothese quod in errorem cadat, nunquam in eo perseveraturum. Cum aliunde constet Romanum pontificem legitimum esse B. Petri successorem, inferunt sedem Romanam nunquam deficere posse sicut defecerunt sedes Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana, etc.

At nihilominus contendunt summum Pontificem, etiam ex cathedra loquentem et totam Ecclesiam docentem, errare posse, seu ipsius judicium irreformabile non esse, nisi consensus Ecclesiæ ei accesserit. Ita Bossuet, in opere modo citato, Tournely, Bailly, Regnier, de la Luzerne, etc. Hac controversia longior esset pro scopo nostro, ut eam ex professo tractare aggrediamur. Nunc omnes infallibilitatis papæ defensores ultro conveniunt illam sententiam ad fidem catholicam non pertinere. Ergo 1º nullus catholicus, ubicunque existat, eam admittere tenetur; 2º Galli illam impugnantem et rejicientes nullam merentur censuram aut notam, sicut ostendit Bossuet in Gallia orthodoxa, quæ est dissertatio prævia ad Defensionem Declarationis, etc.

Quidam auctores Gallicani volunt solam sedem Apostolicam esse indefectibilem, non vero Pontifices; aut se-

riem duntaxat Pontificum, non autem singulos seorsim sumptos. Verum illæ sententiæ non videntur rectæ; verba enim promissionum Christi, non ad sedem Apostolicam nec ad seriem Pontificum, sed ad B. Petrum ejusque successores immediate diriguntur. Ergo saltem admittendum est ipsosmet Pontifices maximos, Christo ex promissionibus suis eis assistente, a fide nunquam esse defecturos.

3° Ex dictis dogmatica sanctæ Sedis judicia, licet summa cum veneratione ab omnibus sint suscipienda, non tamen sunt de fide catholica, priusquam episcoporum consensu saltem tacito muniantur. Quod sic exprimit *Bossuet*, in epistola ad *D. Driots*, qui tunc erat Romæ:

« Nous avons bien vu que, quoiqu'on enseignât en spéculation, il en faudroit toujours en pratique revenir à ne mettre la dernière et irrévocable décision que dans le consentement de l'Église universelle, à laquelle seule nous attachons notre foi dans le symbole. » *D. de Bausset* addit, *Histoire de Bossuet*: « Et en effet, c'est toujours où en reviennent les Ultramontains eux-mêmes, lorsqu'ils sont forcés dans leurs derniers retranchements. L'infalibilité du pape finit par n'être plus que celle de l'Église universelle. »

Ad nihil igitur pro praxi conducit controversia de summi Pontificis infalibilitate: itaque merito ab illa penitus abstinendum esse judicarunt doctissimi theologi, v. g. celeberrimi fratres *Adrianus* et *Petrus de Walembourg*, in Controversiis contra protestantes, et *P. Véron*, in sua Regula fidei maxime laudata.

Si una præ altera nobis eligenda esset sententia, pro infalibilitate procul dubio staremus: ea enim sententia multo melius probata, et consueta agendi rationi episcoporum catholicorum, etiam Gallicanorum ubi de dogmaticis summi Pontificis decisionibus agitur, velut in infinitis super hæresi Janseniana negotiis, magis congruens videtur. Admissa Romani pontificis infalibilitate, omnes catholici judicio ejus solemniter stare tenentur, dum, e contra, infalibilitate rejecta, interminabiles et fere insolubiles nascuntur difficultates.

SECTIO TERTIA. — De potestate summi Pontificis respectiva ad concilium generale.

Petitur an concilium generale sit supra papam, vel papa supra concilium generale.

Quæstio non est nec esse potest de concilio generali una cum summo Pontifice congregato; papa enim non potest esse seipso superior vel inferior.

Certum est 1° summum Pontificem esse superiorem omni concilio particulari, sive provinciali, sive nationali; id omnes catholici fatentur. Etenim summus Pontifex divinam habet auctoritatem in tota Ecclesia; quando ex cathedra Petri loquitur, totam Ecclesiam docet, omnes fideles sunt ipsius oves, eos verbo Dei pascere tenetur; episcopi vero qui concilium provinciale vel nationale constituunt, auctoritatem habent in his ecclesiis respectivis limitatam, totam Ecclesiam non representant, nec pro tota Ecclesia loquuntur. Unde, juxta omnes, illæ promissionibus Christi errare possunt, sicut erravit concilium Carthaginense sub S. Cypriano celebratum, octoginta quinque complectens episcopos, quorum plurimi erant fidei confessores.

Certum est 2° concilium non esse generale nisi a papa fuerit convocatum, aut saltem legitime approbatum, ut supra diximus.

Attamen *certum est* 3° tempore schismatis et in casibus extraordinariis concilium generale sufficienter convocari posse absque papa, v. g. si nullus aut tantum dubius existat papa: Ecclesia enim, quæ nunquam perire nec deficere potest, sufficientem semper habere debet potestatem ut in quocumque casu sibi provideat: in tali ergo extremitate concilium generale a cardinalibus, v. g. vel etiam a principe sæculari congregatum, sit legitimum, non quidem ut dogmata fidei infalibiliter definiat, sed ut inter contententes de pontificatu pronuntiet, et certum papam ostendat vel constituat. Sic primum factum est in concilio Pisano, anno 1409, deinde in concilio Constantiensi, anno 1415. Concilium Pisanum deposuit duos

riem duntaxat Pontificum, non autem singulos seorsim sumptos. Verum illæ sententiæ non videntur rectæ; verba enim promissionum Christi, non ad sedem Apostolicam nec ad seriem Pontificum, sed ad B. Petrum ejusque successores immediate diriguntur. Ergo saltem admittendum est ipsosmet Pontifices maximos, Christo ex promissionibus suis eis assistente, a fide nunquam esse defecturos.

3° Ex dictis dogmatica sanctæ Sedis judicia, licet summa cum veneratione ab omnibus sint suscipienda, non tamen sunt de fide catholica, priusquam episcoporum consensu saltem tacito muniantur. Quod sic exprimit *Bossuet*, in epistola ad *D. Driots*, qui tunc erat Romæ:

« Nous avons bien vu que, quoiqu'on enseignât en spéculation, il en faudroit toujours en pratique revenir à ne mettre la dernière et irrévocable décision que dans le consentement de l'Église universelle, à laquelle seule nous attachons notre foi dans le symbole. » *D. de Bausset* addit, *Histoire de Bossuet*: « Et en effet, c'est toujours où en reviennent les Ultramontains eux-mêmes, lorsqu'ils sont forcés dans leurs derniers retranchements. L'infalibilité du pape finit par n'être plus que celle de l'Église universelle. »

Ad nihil igitur pro praxi conducit controversia de summi Pontificis infalibilitate: itaque merito ab illa penitus abstinendum esse judicarunt doctissimi theologi, v. g. celeberrimi fratres *Adrianus* et *Petrus de Walembourg*, in Controversiis contra protestantes, et *P. Véron*, in sua Regula fidei maxime laudata.

Si una præ altera nobis eligenda esset sententia, pro infalibilitate procul dubio staremus: ea enim sententia multo melius probata, et consueta agendi rationi episcoporum catholicorum, etiam Gallicanorum ubi de dogmaticis summi Pontificis decisionibus agitur, velut in infinitis super hæresi *Janseniana* negotiis, magis congruens videtur. Admissa Romani pontificis infalibilitate, omnes catholici judicio ejus solemniter stare tenentur, dum, e contra, infalibilitate rejecta, interminabiles et fere insolubiles nascuntur difficultates.

SECTIO TERTIA. — De potestate summi Pontificis respectiva ad concilium generale.

Petitur an concilium generale sit supra papam, vel papa supra concilium generale.

Quæstio non est nec esse potest de concilio generali una cum summo Pontifice congregato; papa enim non potest esse seipso superior vel inferior.

Certum est 1° summum Pontificem esse superiorem omni concilio particulari, sive provinciali, sive nationali; id omnes catholici fatentur. Etenim summus Pontifex divinam habet auctoritatem in tota Ecclesia; quando ex cathedra Petri loquitur, totam Ecclesiam docet, omnes fideles sunt ipsius oves, eos verbo Dei pascere tenetur; episcopi vero qui concilium provinciale vel nationale constituunt, auctoritatem habent in his ecclesiis respectivis limitatam, totam Ecclesiam non representant, nec pro tota Ecclesia loquuntur. Unde, juxta omnes, illæ promissionibus Christi errare possunt, sicut erravit concilium Carthaginense sub *S. Cypriano* celebratum, octoginta quinque complectens episcopos, quorum plurimi erant fidei confessores.

Certum est 2° concilium non esse generale nisi a papa fuerit convocatum, aut saltem legitime approbatum, ut supra diximus.

Attamen *certum est* 3° tempore schismatis et in casibus extraordinariis concilium generale sufficienter convocari posse absque papa, v. g. si nullus aut tantum dubius existat papa: Ecclesia enim, quæ nunquam perire nec deficere potest, sufficientem semper habere debet potestatem ut in quocumque casu sibi provideat: in tali ergo extremitate concilium generale a cardinalibus, v. g. vel etiam a principe sæculari congregatum, sit legitimum, non quidem ut dogmata fidei infalibiliter definiat, sed ut inter contententes de pontificatu pronuntiet, et certum papam ostendat vel constituat. Sic primum factum est in concilio Pisano, anno 1409, deinde in concilio Constantiensi, anno 1415. Concilium Pisanum deposuit duos

pontifices contententes et dubios, scilicet Gregorium XII et Benedictum XIII, et elegit Alexandrum V, cui post decem menses successit Joannes XXIII. Cum autem Gregorius et Benedictus suæ depositioni acquiescere nollent et numerosæ ecclesiæ illis adhærere non cessarent, Alexander V et Joannes XXIII a tota Ecclesia ut legitimi pontifices nunquam fuerunt admissi. Tres igitur erant simul papæ. Concilium Constantiense eos omnes deposuit, Martinum V elegit, Gregorius et Joannes pontificatui renuntiaverunt, Benedictus XIII (Petrus de Luna) ab omnibus fuit derelictus, Martinus solus remansit, et universa Ecclesia eum ut legitimum B. Petri successorem agnovit, sicque tandem finem habuit magnum Occidentis schisma.

Certum est adhuc 4^o summum Pontificem concilio generali non esse superiorem, eo sensu quod dogmatica ejus decreta annullare aut mutare possit; decreta enim certo infallibilia nullam subire possunt mutationem: atqui decreta concilii vere generalis, secundum conditiones a nobis superius expositas, certo sunt infallibilia: ergo nec summus Pontifex nec aliud concilium generale aliquid in eis mutare potest. Posset, e contra, leges et disciplinæ statuta per legitimam dispensationem relaxare, sicut ostendimus.

Certum est 5^o summum Pontificem a dictis legibus aut statutis sine justa causa dispensare non posse, saltem licite; id supra probavimus.

Sola ergo quæ superest difficultas in eo sita est, videlicet 1^o an concilium generale legitime congregatum, cui summus Pontifex per se aut per legatos præest, possit eundem Pontificem, quamvis non dubium, acensare, judicare, condemnare et deponere, an vero in eo casu Pontifex valeat concilium dissolvere aut in alium locum transferre; 2^o an concilium generale legitime congregatum et celebratum, vera gaudeat infallibilitate, independenter a confirmatione summi Pontificis.

Omnes iterum conveniunt 1^o concilium legitimam habere potestatem examinandi Pontificem de aperta hæresi aut schismate suspectum, illumque condemmandi et de-

ponendi si convincatur; nam quilibet homo vere hæreticus ipso facto extra Ecclesiam constituitur: ergo illius caput esse non potest, seu accuratius, si papa sit, eo ipso dignitatem suam coram Deo amittit; ideo concilium in eo casu proprie non deponeret, sed papam jam non esse declararet. Sic Ultramontani.

2^o Universim admittunt theologi concilium generale omnimoda infallibilitate gaudere, si in decretis suis instructionem a summo Pontifice per litteras aut per legatos datam sequatur, quia tunc adest consensus totius Ecclesiæ.

3^o Si, e contra, legati mandata a summo Pontifice accepta transgredierentur, concilium non esse infallibile generatim admittitur, quia vere œcumenicum dici non posset. Sic Nicolaus I annullavit quidquid ex consensu legatorum suorum factum fuerat in concilio Constantino-politano, tempore Photii, contra Ignatium.

Quæstio denique, ad simpliciorum statum suum ultimo reducta, sic videtur esse: 1^o utrum concilium generale legitime congregatum habeat auctoritatem in summum Pontificem, non dubium, sed certum, de hæresi aut schismate non convictum, ita ut illum deponere possit, an vero Pontifex habeat auctoritatem in concilio; 2^o utrum, ex hypothesi quod concilium legitime congregatum unam sententiam admitteret, et oppositam Pontifex teneret, Pontifici potius quam concilio, vel concilio potius quam Pontifici adhærendum foret.

In omnibus retro sæculis neutra ex his suppositionibus adhuc contigit. Ex divinis promissionibus non solum præsumere, sed sperare licet neutram deinceps adventuram esse; quippe Spiritus sanctus Ecclesiam catholicam semper speciali assistentia regens, non permittet tantis malis eam concuti. Parvi ergo refert ut inmoremur in discutienda hac quæstione sat subtili, intricata, apud plerosque theologos diffusa et non mediocriter obscura. Generaliter Galli, contra cunctos extraneos, respectivam concilii auctoritatem supra summum Pontificem admittunt et propugnant. Legi possunt auctores supra citati, ubi de infallibilitate.

SECTIO QUARTA. — De celebri cleri Gallicani Declaratione anni 1682, et de libertatibus Ecclesiae Gallicanae.

Paucis verbis texenda est historia eorum quae famosissimae huic declarationi occasionem praebuerunt; deinde genuinum sensum ejus assignabimus; postea expendemus quae sit auctoritas ejus; denique tractabimus de libertatibus Ecclesiae Gallicanae.

Punctum primum. — *Historia Declarationis cleri Gallicani anni 1682.*

Ab immemoriali tempore reges nostri jura circa beneficia in ecclesiis sui regni habebant: jura haec dicebantur regalia, Gallice *la régale*. In eo consistebant 1º quod rex bona temporalia episcoporum et archiepiscoporum, sede vacante, per suos delegatos sibi administraret, usque ad diem quo novus episcopus vel archiepiscopus juramentum fidelitatis praestaret; 2º quod interea nominaret ad omnia beneficia ad quae episcopus solet nominare, exceptis tamen parochiis. Hinc jus regale erat simul temporale et spirituale. Circa originem talis juris valde inter se dissentiunt auctores: sed quidquid sit, certum est regem legitimum habere non potuisse jus ad beneficia nominandi, nisi ex consensu Ecclesiae saltem tacito; nam potestas civilis, quantacumque sit, nullum habet jus per seipsam in diversa Ecclesiae officia, nec proinde in personas quatenus ea exercere debent: non magis ergo potest ad ea officia nominare et jurisdictionem conferre, quam Ecclesia magistratus civiles instituere posset.

Ludovicus XIV jus regale, per solenne edictum anni 1673, ad omnes ecclesias regni sui in quibus non existerat, extendere voluit. Episcopi Apamensis et Alethensis huic edicto parere recusarunt, attestantes regem potestatem suam excedere. Tunc gravis contra eos ingruit tempestas: a potestate temporali oppressi, a suis metropolitanis damnati, ad summum pontificem Innocentium XI appellarunt. Pontifex ille, morum integritate, bonorum temporalium despicientia, pietate et zelo conspicuus, sed

charactere inflexibilis et propositi semel concepti tenacissimus, causam duorum episcoporum ardentem suscepit, sententias metropolitanorum Tolosani et Narbonensis irritavit, bis ad Ludovicum XIV scripsit, et nihil obtinuit. Tertium breve ad illum misit, anno 1679, quo graviter eum increpavit, declarans se in tanto periculo non neglecturum remedia quibus, ex potestate Dei sibi commissa, uti poterat.

Rex potentissimus has minas indignanter ferens, extraordinaria totius cleri Gallicani comitia per suas litteras 16 junii 1681 convocavit, ut viderent in deliberatione communi quid ad pacem regni servandam et honorem regis tuendum agendum foret.

Nusquam visus est in Gallia coetus episcoporum et presbyterorum numerosior, virtutibus ac scientia commendatior, inquit D. de Bausset in *Historia Bossuet*. Plurimi tamen episcopi apparebant valde exacerbati, et multum timendum erat ne, variis de causis, nimis commoti, ultra modum procederent, Romanum pontificem magis ac magis offenderent ac irritarent, magnum, praeter intentionem suam, excitarent incendium quod in luctuosissimum schisma desineret. Infelicem hunc exitum praevidens *Bossuet* tanquam possibilem, vigilantem et constantem prudentiam quaerebat illum praevendo avertere. Designatus fuit ut sermonem consuetum in exordio hujus coetus pronuntiaret; de unitate Ecclesiae disserere statuit; materiam illam tanti momenti clare, lucide, graviter ac summa cum religione tractavit, omnia verba attente ponderavit, et animos jam nimis *divergere* incipientes in unum coadunavit, aut saltem multum temperavit.

Ipsa mentem suam aperit in epistola ad car. *d'Estrees*, mensis decembris 1681: » Je n'ai pas mis dans mon discours une seule parole qu'avec des raisons particulières, » et toujours, je vous l'assure devant Dieu, avec une intention très-pure pour le Saint-Siège et pour la paix. »

Statim atque coetus fuit congregatus, de jure regali primum actum est. Rex, in proposito suo firmiter perseverans, idem jus ad omnes ecclesias huc usque exemptas

extendere semper voluit; attamen in modo illud exercendi aliquid relaxare proponebat, nempe pro beneficiis quibus aliqua jurisdictio erat annexa, retinebat duntaxat jus presentandi, et subditi sic presentati vicarios capitulares vel novum episcopum adire tenebantur, ut institutionem canonicam obtinerent. Temperamentum istud, cum imposita conditione, grato animo clerus libenter admisit: tunc Ludovicus XIV emisit novum edictum mense Januario 1682, quo *regaliam* ad omnes ecclesias regni sui extendebat. Clerus autem totius rei conclusionem summo Pontifici notam fecit per epistolam diei 3 Februarii 1682 quam *Bossuet* redegit. Post duos menses tantum (11 Aprilis) Innocentius XI respondit episcopis per breve duris et asperis vocibus plenum, exprobrans illis quod jura ecclesiarum suarum contra injustam regis auctoritatem male defenderent, annullavit ac irritavit quicquid in hac quaestione statuerant.

Interea rex, ex consilio *D. Colbert*, primi ministri sui, speciale mandatum dedit episcopis ut veram Ecclesiae Gallicanae sententiam circa potestatem summi Pontificis per nonnullos articulos clare exprimerent. Ex tunc magis adhuc timere cepit *Bossuet* pro unitate Ecclesiae: hujusmodi declarationem avertere aut saltem retardare voluisset; sed, cum nihil sub hoc respectu obtinendum videret, totus fuit ut regi, magistratibus et episcopis satisfaceret, et tamen essentialia sanctae Sedis jura prorsus illaesa servaret; pro eis contra plures episcopos fortiter pugnavit et sequentem Declarationem contexit, quae ab omnibus fuit admissa.

Declaratio diei 19 martii 1682.

« Ecclesiae Gallicanae decreta et libertates a majoribus nostris tanto studio propugnata, earumque fundamenta sacris canonibus et patrum traditione nixa, multi diruere moliantur; nec desunt qui eorum obtentu primatum Petri ejusque successorum Romanorum pontificum cum, a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, sedisque Apostolicae, in qua

» fides predicatur et unitas servatur Ecclesiae, reverentiam omnibus gentibus majestatem imminuere non veantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt quo eam potestatem, qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiae matris Christique adeo communiione dissociant. Quae ut incommoda propulsemus, nos archiepiscopi et episcopi Parisiis mandato regio congregati, ecclesiam Gallicanam representantes, una cum caeteris ecclesiasticis viris nobiscum deputatis diligentem tractatu habito, haec sancienda et declaranda esse ducimus.

» I. Primum beato Petro ejusque successoribus, Christi vicariis, ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo; et iterum: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut verbo Dei, patrum traditioni, et sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

» II. Sic autem inesse Apostolicae sedi ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae synodi Constantiensis, a sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta

» continentur; nec probari a Gallicana Ecclesia qui eorum
 » decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus
 » approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis
 » tempus concilii dicta detorqueant.

» III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per
 » canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia
 » consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta a
 » regno et Ecclesia Gallicana recepta, patrumque termi-
 » nos manere inconcussos; atque id pertinere ad ampli-
 » tudinem Apostolicæ sedis, ut statuta et consuetudines
 » sanctæ Sedis et ecclesiarum consensione firmata, pro-
 » priam stabilitatem obtineant.

» IV. In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi
 » Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et sin-
 » gulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse
 » judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

» Quæ accepta a patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas
 » atque episcopos iis Spiritu sancto auctore præsertentes
 » mittenda decrevimus, ut id ipsum dicamus omnes, si-
 » musque in eodem sensu et sententia.»

Statim atque hæc cleri Gallicani Declaratio ab omni-
 bus episcopis aliisque ecclesiasticis viris in comitiis se-
 dentibus subscripta prodit, Ludovicus XIV eam adoptavit,
 et solemnè edicto, diei 23 martii 1682, jussit ut tanquam
 lex regni haberetur, ac in cunctis theologiæ scholis doce-
 retur. Omnis clerus Gallicanus moraliter ei subscripsit.
 At Innocentius XI, graviter inde offensus, institutionem
 canonicam constanter recusavit eis qui Declarationi sub-
 scripserant et a rege episcopi aut archiepiscopi nominati
 erant, exigens ab eis ut subscriptionem et adhesionem
 suam revocarent: rex autem noluit alios episcopos nomi-
 natos per bullas Pontificias, aliis prætermisissis, accipere;
 res per undecim annos sic permansit, et tertia pars sedium
 episcopalium pastoribus erat destituta. Alexander VIII,
 Innocentii successor, iisdem principiis adhasit, decem
 menses tantum pontificatum obtinuit, et immediate ante
 mortem publicari jussit constitutionem quam sex abhinc

mensibus jam paraverat adversus cleri Gallicani Decla-
 rationem.

Innocentius XII Alexandro successit, anno 1691, et
 statim de rebus componendis cum Christianissimo rege
 tractare cepit, ut pax Ecclesiæ Gallicanæ restitueretur;
 constanter exegit ut qui prædictæ Declarationi subscrip-
 serant, aliquam satisfactionem sedi Apostolicæ darent.
 Post longam discussionem, episcopi nominati ad suam
 Sanctitatem hanc scripserunt epistolam, die 14 septem-
 bris 1693:

» Ad pedes Beatitudinis Vestræ provoluti, profitemur
 » et declaramus nos vehementer quidem, et supra omne
 » id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in
 » comitiis prædictis, quæ Sanctitati Vestræ et ejusdem
 » prædecessoribus summopere displicuerunt; ac proinde
 » quidquid in iisdem comitiis circa ecclesiasticam pote-
 » statem et Pontificiam auctoritatem decretum censi pe-
 » tuit, pro non decreto habemus et habendum esse decla-
 » ramus: præterea, pro non deliberato habemus illud
 » quod in præjudicium jurium ecclesiarum deliberatum
 » censi potuit: mens quippe nostra non fuit quidquam
 » decernere et ecclesiis prædictis præjudicium inferre.»

Illa epistola, saltem quoad substantiam, a *Bossuet* fue-
 rat redacta (*Nonveaux opuscules de Fleury*). Episcopi pro-
 movendi doctrinam Gallorum in ea præcise non ejurant,
 sed testantur 1^o se dolere de illa Declaratione quam vel-
 lent non existere; 2^o nullam habuisse intensionem aliquid
 statuendi et definiendi, sed tantum opinionem declarandi
 et manifestandi. Sic *Bossuet* hanc epistolam ipsamque
 Declarationem interpretatur in Gallia orthodoxa, § 6.

Ludovicus XIV eodem tempore scripsit quoque propria
 manu ad Innocentium XII his verbis:

» Très-saint Père, j'ai toujours beaucoup espéré de
 » l'exaltation de Votre Sainteté au Pontificat pour les
 » avantages de l'Eglise et l'avancement de notre sainte
 » religion; j'en éprouve présentement les effets avec bien
 » de la joie dans tout ce que Sa Béatitude fait de grand et
 » d'avantageux pour le bien de l'une et de l'autre. Cela

» redouble en moi mon respect filial envers Votre Béatitude : comme je cherche de le lui faire connaître par les plus fortes preuves que j'en puis donner. Je suis bien aise aussi de faire savoir à Votre Sainteté que j'ai donné les ordres nécessaires pour que les choses contenues dans mon édit du 22 mars 1682, touchant la Déclaration faite par le clergé de France, à quoi les conjonctures passées m'avaient obligé, ne soient pas observées, et que, désirant que non-seulement Votre Sainteté soit informée de mes sentiments, mais encore que tout le monde connaisse par une marque particulière la vénération que j'ai pour ses grandes et saintes qualités, je ne doute pas que Votre Béatitude n'y réponde par toutes les preuves de démonstrations envers moi de son affection paternelle...» *Hist. de Bossuet.*

Notandum est regem summo Pontifici non promittere quod in posterum propositiones Declarationis 1682 in regno suo propugnare non liceret : id ipse respondit anno 1713, cum Clemens XI, Innocentii XII successor, bullas institutionis concedere nollet D. de Saint-Aignan pro sede Bellovacensi, quia prædictas propositiones in thesi publica anno 1705 defenderat. Semper igitur unusquisque has opiniones amplecti ac tueri pro arbitrio suo potuit : imo in cunctis Universitatibus nostris professores eas docebant, et fere omnes theologi qui de Ecclesia in scriptis suis tractaverunt, eas propugnaverunt.

Cum edictum Ludovici XIV diei 22 martii anni 1682, expresse revocatum non fuisset, Parlamenta semper illud habuerunt ut legem proprie dictam usque ad initium perturbationis Gallicanæ (1789), ejusque observationem strictè prosecuta sunt.

Punctum secundum. — *De genuino sensu Declarationis cleri Gallicani anni 1682.*

1^o Ubi prædicta cleri Gallicani Declaratio innotuit, facta est odiosa Pontifici maximo, cardinalibus, theologis Romanis et fere omnibus extraneis, qui undique adversus illam insurrexerunt, in Hispania, Italia, Hungaria, etc.;

omnes enim eam sibi fingeabant velut decretum fidei aut quoddam judicium doctrinale episcoporum : et fatendum est episcopos Declarationis auctores, in epistola ad suos collegas absentes, dedisse locum tale ferendi judicium. In hac autem hypothesi, actus ille valde reprehensibilis ac damnandus fuisset, cum enuntiasset cæteras ecclesias contrarium sentientes in errore versari. Propterea totus fuit Bossuet ut ostenderet nec se nec alios episcopos ullo modo aliquid definire intendisse, sed tantum opiniones suas in quæstionibus ad fidem non pertinentibus manifestare voluisse.

2^o Plurimi arbitrati sunt præsules Gallicanos statuere in secundo articulo Declarationis concilium generale esse tribunal ordinarium supra summum Pontificem institutum : verum talis non est sensus hujus articuli : « Nous ne croyons pas, ait D. Fleury, *Nouveaux opuscules*, que les conciles doivent être regardés comme un tribunal réglé et ordinaire au-dessus du pape, mais comme un remède extraordinaire dans les maux extrêmes et dans les grandes divisions de l'Eglise. » Idem expressis verbis asserit Bossuet, *Lettre au cardinal d'Estrées*. Ipsimet Ultramontani fatentur deponendum esse papam hæreticum, aut declarandum dignitate papali destitutum : unde controversia potius esse videtur de modo procedendi quam de substantia rei, ac proinde opinio Gallorum nihil auctoritati summi Pontificis detrahit.

3^o Tertius articulus eo sensu intellectus fuerat, quod pontifex Romanus ita constringeretur canonibus, ut ab illis dispensare non posset, vel a superiori potestate, nempe a concilio, ad eos servandos cogere, ut videre est apud card. Litta, *Lettre* 18^e. Sed nunquam talis fuit mens doctorum præsulumque Gallicanorum; expresse enim docet Bossuet, cui omnes alii libenter subscribunt, *papam nihil non posse cum necessitas id postularit*, ut supra diximus. Legitimus ergo sensus illius articuli est summum Pontificem teneri, saltem ut licite agat, auctoritatem suam moderare per canones *Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos* (sunt verba S. Damasi), quod

Ultramontani et ipsi summi Pontifices ultro fatentur. In hoc tantum existit opinionum varietas quod, scilicet, juxta Gallicanos, summus Pontifex subjiatur legibus conciliorum generalium ut inferior, adeo ut sine legitima causa ab illis valide dispensare non possit, dum Ultramontani asserunt illum eis subjectum esse sicut legislatorem propriis legibus suis, a quibus valide, etiam sine causa, dispensare valet. De legitimitate autem causæ solus Pontifex judicat, saltem in casibus ordinariis: unde controversia fere ad nihil reducitur quoad præxim.

3^o Quartus articulus intellectus fuit ab Ultramontanis, quasi clerus Gallicanus dixisset et definire voluisset papam esse fallibilem: hoc autem falsum est; id unum quippe statuere voluit, nempe decreta summi Pontificis ultimam fidei regulam non esse, nisi consensus episcoporum ei accesserit, et ea præcise intentione has adhibuit voces *nec tamen irrefragabile esse judicium, nisi consensus Ecclesie accesserit*. Ita Bossuet, qui certe audiendus est, cum ipse vocem *irrefragabile* totis viribus curaverit usurpandam potius quam *infallibile*. Opinio quidem cleri Gallicani non est summum Pontificem etiam *ex cathedra* loquentem errare non posse, sed nunquam propositum habuit sententiam adversam reprobandi. Ex utraque vero parte omnes convenire tenentur decreta Pontificalia, licet summa veneratione suscipienda, ultimum robur non consequi donec consensus episcoporum accesserit. Vide Bossuet, coroll. ad calcem Defens. n. 3, et *Nouveaux opuscules de Fleury*.

Punctum tertium. — De auctoritate Declarationis anni 1682,

Sedulo distinguendum est inter Declarationem et doctrinam in ea expressam. Hæc quippe doctrina ante Declarationem libere defendebatur in scholis nostris, et eo tempore variis de causis magis invaluerat: ergo, sublata Declaratione, liceret adhuc eam tenere ac defendere cum debita sobrietate. Unde Bossuet, Gallia orthodoxa, § 10, affirmat se defensionem ipsius Declarationis strictè non suscipere, bene vero prisce doctrinæ Facultatis Parisiensis:

« Abeat ergo Declaratio quo libuerit, *inquit*; non eam, » quod sæpe profiteri juvat, tutandam hic suscipimus. » Manet inconcussa et censuræ omnis expers prisca illa » sententia Parisiensium. »

Quæstio est igitur an præfata Declaratio habeat vim legis.

1^o Certum est illam vim legis ecclesiasticæ non habere: 1^o quia episcopi sententiam suam tantummodo manifestare voluerunt, non vero decretum efformare, nec legem condere; 2^o quia deputati secundi ordinis ad episcopatum promovendi, qui in comitiis anni 1682 sedentes Declarationi adhæserant, testati sunt in epistola satisfactoria quam paulo ante retulimus, mentem suam non fuisse quidquam decernere, et præterea revocaverunt quidquid contra Pontificiam auctoritatem decretum censeretur; 3^o quia Alexander VIII dictam Declarationem rescidit et annullavit; sunt ferme ipsius verba. Quamvis constitutio ejus non fuerit publicata secundum formas in Gallia consuetas, non tamen est parvi momenti etiam apud nos.

2^o Non videtur quomodo eadem Declaratio vim legis civilis haberet: 1^o quia auctoritas civilis non habet jus aliquid præcipiendi circa doctrinam ecclesiasticam; 2^o quia Ludovicus XIV, licet edictum suum solemniter non revocaverit, testatur in epistola ad Innocentium XII, se jusse ut deinceps non observaretur, et 3^o præcipue, quia Charta constitutionalis anni 1814 et anni 1830 illud abrogasset, si adhuc exstitisset, declarando Gallos habere jus opinioniones suas publicandi, observando leges quæ abusus ex tali libertate provenientes reprimere debent: porro nullæ postea condite sunt leges quæ libertatem circa opinioniones in Declaratione anni 1682 contentas coercerent. Ergo.

Quæritur utrum prædictæ Declarationi subscribere liceat.

R. 1^o Certum est, ut diximus, licere opinioniones in ea contentas tenere ac docere, ut pote nullo modo damnatas: at ipsa Declaratio fuit cassata et annullata: qui ergo ei subscriberent, contra decretum sanctæ Sedis agerent.

2º Attamen certum est ei subscribentes nullam mereri censuram; nam Pontifices maximi fortius adversus illam insurgentes, ab omni nota hæresis, schismatis, vel etiam erroris caute abstinuerunt. Sic se habet Alexander VIII, in bulla *Inter multiplices*, supra citata: « Omnia et singula, quæ tam quoad extensionem juris regalæ, quam quoad Declarationem de potestate ecclesiastica, ac quatuor propositiones in ea contentas, in supradictis comitiis cleri Gallicani, anno 1682 habitis, acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, etc. improbamus, cassamus, irritamus et annullamus... deque eorum nullitate coram Domino protestamur. »

Benedictus XIV scribens ad supremum Hispaniæ inquisitorem, die 31 julii, anno 1748, sic aiebat, de opere *Bossuet* agens: « Totum opus (*Defensio Declarationis*) versatur in asserendis propositionibus a clero Gallicano firmatis in conventu anni 1682. Difficile profecto est aliud opus reperire quod æque adversetur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ de summi Pontificis ex cathedra definitæ infallibilitate, de ejus excellentia supra quodcumque concilium œcumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum religionis et Ecclesiæ commodum id exigat, super juribus temporalibus principum supremorum. Tempore felicis recordationis Clementis XII, nostri immediati prædecessoris, serio actum est de opere proscribendo; et tandem conclusum fuit, ut a proscriptioe abstineret, nedum ob memoriam auctoris ex tot aliis capitibus de religione bene meriti, sed ob justum novorum dissidiorum timorem. »

Videtur quid sapientissimus ac doctissimus Pontifex de Declaratione, nec non de doctrina in ea consignata, et de opere ad eam tuendam tantis laboribus confecto censuerit, et simul nullam de facto censuram in ejus defensores fuisse inustam.

Pius VI, in bulla *Auctorem fidei*, edita die 28 augusti, anno 1794, contra actus synodi Pistoriensis, ait: « Neque silentio prætereunda insignis et fraudis plena synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab Apostolica sede

» conventus Gallicani Declarationem anni 1682 causa sit, » non amplissimis modo laudibus exornare, sed... eam » in decretum de fide inscriptum insidiosè includere, articulos in ea contentos palam adoptare.... Exigit a nobis » pastoralis sollicitudo recentem horum (actorum anni » 1682) factam in synodo tot vitis affectatam adoptionem, » velut temerariam, scandalosam, ac præsertim... huic » Apostolicæ sedi summopere injuriosam reprobare ac » damnare. »

Cardinalis *Gerdil* sapienter observat hanc condemnationem Pontificiam, non in quatuor articulos Declarationis anni 1682 in se spectatos cadere, sed in vitiosam eorum adoptionem in decreto de fide: ergo iterum famosissima Declaratio nullis censuris unquam fuit inusta,

Summus Pontifex hac de re anno 1820 consultus, his verbis: « Beatissime Pater, N. confessarius in Galliis, » S. V. humillime consulit, num ipse queat et debeat » absolvere illos ecclesiasticos qui se subijcere recusant » condemnationi quam sancta Sedes edidit quatuor celeberrimarum propositionum cleri Gallicani. Ita multæ » tollentur quæstiones et conscientiæ quiescent. »

Respondit per sacram Pœnitentiariam ut sequitur: « Sacra Pœnitentiaria, diligenter perpensa proposita quæstione, respondendum censuit, Declarationem conventus Gallicani anni 1682, ab Apostolica sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata; nullam tamen theologicæ censuræ notam doctrinæ Declaratione illa contentæ inustam fuisse: propterea nihil obstare quominus sacramentali absolute donentur sacerdotes illi qui bona fide et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc adherent, modo absolute digni aliunde videantur. Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria, die 27 sep. 1820. — MICHAEL, cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarius. »

Punctum quartum. — *De libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.*

Libertates Ecclesiæ Gallicanæ sunt leges vel consuetu-

dines ad disciplinam spectantes, a Clero Gallicano cum expreso vel tacito summi Pontificis et Ecclesiae consensu admissae.

Diximus 1° in definitione, a clero Gallicano admissae; vera enim notio libertatum nostrarum non repetenda est a magistratibus rerum ecclesiasticarum parum peritis, et multo minus a publicis oratoribus et scriptoribus politicis, sed a canonistis, doctoribus et praesertim ab episcopis qui sunt naturales earum custodes.

Diximus 2° cum expreso vel tacito, etc. Est enim de fide ecclesiastica summum Pontificem habere jurisdictionem ac consequenter potestatem legislativam, vi primatus divini, in omnes ecclesias particulares: atqui jus divinum nulla consuetudine deleri potest: ergo qualibet ecclesia particularis decretis summi Pontificis obedire tenetur, nisi ex consensu illius saltem legitime praesumpto dispensetur. Si quippe privatae ecclesiae decreta summi Pontificis, ipso renitente, sub praetextu libertatum suarum rejicere possent, jam factum esset de subordinatione, evanesceret unitas. Ergo.

Hinc sequitur concilia generalia et summos Pontifices libertatibus nostris derogare posse. Nam 1° auctoritas superior auctoritatem sibi inferiorem reformare potest: porro Ecclesia Gallicana est inferior concilio generali et ipsi pontifici Romano. Unde episcopi agnoverunt obligationem publicandi concilium Tridentinum illudque, quantum in se erat, promulgarunt variis in conciliis provincialibus, et Concordatum anni 1801 susceperunt, licet propriis libertatibus nostris directe opponeretur. 2° Omnes consentiunt summum Pontificem legibus Ecclesiae universalis derogare posse, quando graves occurrunt rationes: ergo a fortiori et consuetudinibus Ecclesiae particularis.

His positis, certum est libertates ecclesiae Gallicanae nihil habere vitii; consuetudines enim a patribus nobis traditae, caonibus conciliorum fundatae, sedis Apostolicae et Ecclesiae consensu firmatae, in se bonae sunt ac legitimae: ergo licet eas servare, atque in hoc vera sanctae

Sedis jura minime laeduntur. Imo dignitatis et amplitudinis est tantae Sedis ut antiquae leges de consensu ejus formatae servantur, et immobilitatem obtineant; summus Pontifex eas subvertere rationabiliter velle non potest in casibus ordinariis, et quando omnes episcopi locorum judicant optimum esse illas servare. Ipsa concilia generalia non censentur eas ubi existunt attingere et abrogare. Hinc concilium Tridentinum pluribus in punctis non fuit receptum apud nos quoad disciplinam, ideoque sub eo respectu neququam nos obligat. Bulla *In caena Domini*, consuetudinibus nostris in multis opposita, nunquam publicata fuit in Gallia; idcirco censuris in ea latis non ligamur.

Pariter, ex antiqua consuetudine, episcopi in Gallia ab haeresi per se aut per alios absolvunt, licentiam legendi libros haereticos concedunt, decisiones congregationum cardinalium velut auctoritatem habentes non agnoscunt, in ipso regno judicari debent, nec in causa appellationis cogi possunt adire Romam, ut supra diximus.

Bullae et omnia summi Pontificis statuta, ad forum externum spectantia, nullam vim legalem in regno habent, nec publicari aut executioni mandari possunt, quin prius supremae curiae, nunc consilio gubernii (*conseil d'Etat*), fuerint praesentata et recognita ut authentica, privilegiis regni non adversantia, et in actis publicis inscripta (*enregistrés*). Haec tamen sunt pro foro civili tantum; acceptatio enim et inscriptio actus summi Pontificis in civilibus registris minime requiri possunt ad ligandas conscientias, ad conferendam jurisdictionem, etc. Sola pro his effectibus sufficit acceptatio et publicatio ab episcopis facta, idque pro tempore duntaxat ordinario, non vero pro tempore quo illae formalitates impleri non possent, ut contigit per revolutionem nostram; nec pariter locum habent quando agitur de dispensationibus, de rescriptis ad forum internum duntaxat spectantibus, vel gratiarum, v. g. indulgentiarum concessionibus: attamen dispensationes et illae gratiarum concessionem praesentari debent ordinario antequam executioni mandentur. Talis est usus

apud nos receptus, quem novit nec improbat pontifex Romanus. Vide *les vrais principes de l'Église Gallicane*. Excipiuntur rescripta S. Pœnitentiariæ ad forum internum individuorum respicientia.

Aliæ ecclesiæ, v. g. Hispaniarum, Belgiæ, Germaniæ, etc. sua etiã specialia habent privilegia quæ sedulo conservant, nemine contradicente; quare ergo consuetudines nostras non haberemus? Eas vocamus libertates, quia potestati regum et episcoporum favent relative ad summum Pontificem; sed vox illa qua multi abusi sunt, legitimitati eorum non nocet, supposito consensu summi Pontificis saltem tacito. Si ergo videamur odiosi extraneis propter libertates nostras, id præsertim venit ex eo quod male percipiunt sub quo respectu eas tueamur.

Non diffitemur multiplices natos esse abusus in Gallia sub prætextu harum libertatum; quicumque enim historia ecclesiasticæ ultimi sæculi non est omnino expertus, ignorare non potest quot modis auctoritas civilis spiritualem Ecclesiæ potestatem evidenter læserit, nomine libertatis. Studiosissimi libertatum nostrarum defensores non semel amare conquesti sunt de officariis regis et magistratibus, qui legitimam potestatem suam sic prætergrediebantur. Pluries improbaverunt eorum libros, opinionibus erroneis et ad schisma tendentibus plenos, v. g. opera Petri Pithou, *Traité des libertés de l'Église Gallicane*, cum eorum probationibus Petri Dupuy, de quibus viginti et duo episcopi, post examen, anno 1639, dixerunt: « Com-
pilator ille multis pessimis bona quædam immiscuit,
et inter falsas et hæreticas, quas detestamur, Ecclesiæ
Gallicanæ ascriptas servitutes potius quam libertates...
exposuit. » *Procès-verbaux du Clergé*, t. 3, *Pièces justifi-*
tif, n. 1.

Bossuet, in *Defens. Decl.* 1. II, c. 20, declarat episcopos ecclesiæ Gallicanæ nunquam omnia approbasse quæ in operibus Petri Dupuy et Caroli Féret, *Traité de l'abus*, continentur: non igitur quærendæ sunt veræ libertates nostræ in hujusmodi et in aliis ejusdem generis operibus.

Hic etiã Bossuet, epistola ad cardin. d'Estrées, *His-*

toire de Bossuet, sic habet: « Je me suis proposé deux
choses; l'une, en parlant des libertés de l'Église Gal-
licane, d'en parler sans aucune diminution de la vraie
grandeur du Saint-Siège; l'autre, de les expliquer de la
manière que les entendent les évêques, et non pas de la
manière que les entendent les magistrats.

Fénelon, in notis ab illustrissimo Vitæ ejus scriptore nobis transmissis, *Pièces justificatives du livre 7^e*, n. 8, sic mentem suam aperit: « Le roi, dans la pratique, est plus
chef de l'Église que le pape en France. Libertés à l'égard
du pape, servitudes à l'égard du roi. Autorité du roi sur
l'Église dévolue aux juges laïques. Les laïques domi-
nent les évêques. Abus énormes de l'appel comme d'a-
bus... »

Sic adhuc, Fleury, *nouveaux opuscules*: « Mais la
grande servitude de l'Église Gallicane, s'il est permis de
parler ainsi, c'est l'étendue excessive de la juridiction
séculière..... Enfin les appellations comme d'abus ont
achevé de ruiner la juridiction ecclésiastique..... Un
mauvais Français pourrait faire un traité des servitudes
de l'Église Gallicane, comme on en a fait des libertés,
et il ne manquerait pas de preuves. »

Testimonia hæc referendo, veras libertates nostras nec evertere nec imminuere intendimus, sed accuratam earum notionem tradere volumus; necesse est enim ut theologiæ alumni eas sciant ac teneant: verum non minus necesse est ut illas ultra legitimos limites non extendendas esse noscant.

CAPUT SECUNDUM.

DE MEMBRIS ECCLESIAE.

Ex dictis in decursu hujus tractatus sequitur veram Christi Ecclesiam essentialiter esse visibilem et in visibilitate sua indefectibilem, esse Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam: episcopus summo Pontifici junctos esse

apud nos receptus, quem novit nec improbat pontifex Romanus. Vide *les vrais principes de l'Église Gallicane*. Excipiuntur rescripta S. Pœnitentiariæ ad forum internum individuorum respicientia.

Aliæ ecclesiæ, v. g. Hispaniarum, Belgiæ, Germaniæ, etc. sua etiã specialia habent privilegia quæ sedulo conservant, nemine contradicente; quare ergo consuetudines nostras non haberemus? Eas vocamus libertates, quia potestati regum et episcoporum favent relative ad summum Pontificem; sed vox illa qua multi abusi sunt, legitimitati eorum non nocet, supposito consensu summi Pontificis saltem tacito. Si ergo videamur odiosi extraneis propter libertates nostras, id præsertim venit ex eo quod male percipiunt sub quo respectu eas tueamur.

Non diffitemur multiplices natos esse abusus in Gallia sub prætextu harum libertatum; quicumque enim historia ecclesiasticæ ultimi sæculi non est omnino expertus, ignorare non potest quot modis auctoritas civilis spiritualem Ecclesiæ potestatem evidenter læserit, nomine libertatis. Studiosissimi libertatum nostrarum defensores non semel amare conquesti sunt de officariis regis et magistratibus, qui legitimam potestatem suam sic prætergrediebantur. Pluries improbaverunt eorum libros, opinionibus erroneis et ad schisma tendentibus plenos, v. g. opera Petri Pithou, *Traité des libertés de l'Église Gallicane*, cum eorum probationibus Petri Dupuy, de quibus viginti et duo episcopi, post examen, anno 1639, dixerunt: « Com-
pilator ille multis pessimis bonâ quædam immiscuit,
et inter falsas et hæreticas, quas detestamur, Ecclesiæ
Gallicanæ ascriptas servitutes potius quam libertates...
exposuit. » *Procès-verbaux du Clergé*, t. 3, *Pièces justifi-*
tif, n. 1.

Bossuet, in *Defens. Decl.* 1. II, c. 20, declarat episcopos ecclesiæ Gallicanæ nunquam omnia approbasse quæ in operibus Petri Dupuy et Caroli Féret, *Traité de l'abus*, continentur: non igitur quærendæ sunt veræ libertates nostræ in hujusmodi et in aliis ejusdem generis operibus.

Hic etiã Bossuet, epistola ad cardin. d'Estrées, *His-*

toire de Bossuet, sic habet: « Je me suis proposé deux
choses; l'une, en parlant des libertés de l'Église Gal-
licane, d'en parler sans aucune diminution de la vraie
grandeur du Saint-Siège; l'autre, de les expliquer de la
manière que les entendent les évêques, et non pas de la
manière que les entendent les magistrats.

Fénelon, in notis ab illustrissimo Vitæ ejus scriptore nobis transmissis, *Pièces justificatives du livre 7^e*, n. 8, sic mentem suam aperit: « Le roi, dans la pratique, est plus
chef de l'Église que le pape en France. Libertés à l'égard
du pape, servitudes à l'égard du roi. Autorité du roi sur
l'Église dévolue aux juges laïques. Les laïques domi-
nent les évêques. Abus énormes de l'appel comme d'a-
bus... »

Sic adhuc, Fleury, *nouveaux opuscules*: « Mais la
grande servitude de l'Église Gallicane, s'il est permis de
parler ainsi, c'est l'étendue excessive de la juridiction
séculière..... Enfin les appellations comme d'abus ont
achevé de ruiner la juridiction ecclésiastique..... Un
mauvais Français pourrait faire un traité des servitudes
de l'Église Gallicane, comme on en a fait des libertés,
et il ne manquerait pas de preuves. »

Testimonia hæc referendo, veras libertates nostras nec evertere nec imminuere intendimus, sed accuratam earum notionem tradere volumus; necesse est enim ut theologiæ alumni eas sciant ac teneant: verum non minus necesse est ut illas ultra legitimos limites non extendendas esse noscant.

CAPUT SECUNDUM.

DE MEMBRIS ECCLESIAE.

Ex dictis in decursu hujus tractatus sequitur veram Christi Ecclesiam essentialiter esse visibilem et in visibilitate sua indefectibilem, esse Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam: episcopus summo Pontifici junctos esse

jure divino omnium controversiarum circa fidem, mores et disciplinam judices, et infallibilitate gaudere; summum Pontificem visibile illius caput esse, et proprium vicarium Christi in terris: unde Ecclesia merito definitur: *Societas hominum viatorum, ejusdem fidei professione, eorundem sacramentorum participatione conjunctorum, sub regimine eorundem pastorum legitimorum et praesertim Romani pontificis.*

Nunc igitur querendum est quinam homines his vinculis externis inter se devinciantur, ita ut sint vera Ecclesiae membra. Homines autem qui super terram existunt, sunt infideles vel fideles, haeretici aut schismatici vel catholici, praedestinati vel reprobi, justi vel peccatores. Paucis verbis nobis dicendum est 1° de infidelibus, catechumenis et apostatis; 2° de haeticis et schismaticis; 3° de praedestatis et reprobis; 4° de excommunicatis; 5° de justis et peccatoribus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE INFIDELIBUS, CATECHUMENIS ET APOSTATIS.

Infideles in genere sunt ii qui non sunt baptizati: quando sunt publici, certum est eos nullo modo ad Ecclesiam pertinere; si vero essent occulti, id est, si quis non baptizatus haberetur ut baptizatus, inter fideles versaretur, cum iis preces funderet, officiis publicis assisteret, sacramentis participaret, pertineretne ad corpus Ecclesiae? Quidam affirmarunt; nam ille homo eis videbatur externis Ecclesiae vinculis obstrictus; sed alii omnes hanc opinionem rejiciunt: Baptismus enim est janua Ecclesiae (conc. Trident. sess. 14, c. 2), et aliunde ille homo suffragiis Ecclesiae neque directe neque indirecte participat: ergo nequaquam ipsius membrum dici potest.

Catechumeni illi sunt qui doctrina Christi imbuuntur et ad baptismum se praeparant.

De corpore Ecclesiae ipsi non sunt; nam, ut ait Apostolus, I Cor. XII, 13: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*; fideles baptizantur ut sint unum cor-

pus in Christo: ergo catechumeni nondum sunt de corpore Christi seu de Ecclesia. Praeterea baptismus est Ecclesiae janua, *ut observavimus*: igitur catechumeni sunt velut concepti in sinu Ecclesiae per signum crucis, S. Aug. tract. 12 in S. Joan.; sed quia per baptismum nondum sunt renati, filii Dei et Ecclesiae membra dici nequeunt. Attamen, si fidem, spem et charitatem perfectam habeant, ad animam Ecclesiae pertinent et justi sunt apud Deum. *Ita omnes.*

Apostatae ii dicuntur qui religionem Christianam penitus abnegant, sive religionem falsam profiteantur, sive nullam aliam amplectantur. Si publice id fecerint, certum est eos amplius non esse membra Ecclesiae; nam quaecumque exteriora illius vincula eo ipso dissolverunt.

At, qui religionem Christianam occulte deserunt, ut multi hisce temporibus increduli, non ideo cessant esse membra Ecclesiae, licet mortua; externa enim unionis vincula nihilominus existunt: de iis eodem modo ac de peccatoribus ratiocinandum est, *quod videbimus infra.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE HAETICIS ET SCHISMATICIS.

Haeretici sunt illi qui, religionem Christianam profitentes, unum aut plures articulos, a Deo revelatos et ab Ecclesia ut tales propositos, pertinaciter negant.

Sunt occulti, si heterodoxa eorum opinio in notitiam publicam non venerit; si, e contra, eorum opinio sufficienter innotuerit, dicuntur publici.

Publici sunt iterum vel tolerati, vel non tolerati: tolerati quidem, si in externa communionem Ecclesiae permanent, ut erant Jansenistae; non tolerati autem, si ab Ecclesia per positivam excommunicationis sententiam ejiciantur, vel si totam communionem ipsi solverint, altare contra altare erigendo et aliis pastoribus se subjiendo.

Certum est 1° haeticos occultos ad corpus Ecclesiae pertinere, sicut apostatas occultos et propter eandem rationem.

Certum est 2° hæreticos publicos et non toleratos, sive per sententiam fuerint separati, sive ipsi communionem solverint, Ecclesiæ non esse membra; nullo modo enim cum illa uniuntur, neque interne per virtutes, neque externe per communionis vincula.

Certum est 3° hæreticos toleratos ad animam Ecclesiæ non pertinere, nisi forte ratione bonæ fidei excusentur a peccato: *id sequitur ex dictis ubi de unitate Ecclesiæ.* Quidam theologi contendunt eos ad corpus Ecclesiæ pertinere, quia characterem baptismi, confirmationis et etiam ordinis, si sint clerici, retinent. Cæteri vero generaliter docent eosdem nec etiam ad corpus Ecclesiæ pertinere.

Prob. 1° Illi ad corpus Ecclesiæ revera non pertinent qui essentialia non habent vincula quibus membra ejus uniuntur; atqui hæretici notorii essentialia non habent vincula quibus membra Ecclesiæ inter se uniuntur; nam *ex probatis*, hæc vincula sunt professio ejusdem doctrinæ, participatio iisdem sacramentis, subjectio iisdem pastoribus, et præsertim Romano pontifici: quicumque ergo vel uno ex his vinculis caret, realiter membrum Ecclesiæ dici non potest, sicut qui unius peccati mortalis fit reus, jam Deo amicus dici nequit: porro hæretici notorii, licet tolerati, eandem fidem non profitentur: ergo.

2° Sententia nobis opposita admitti non potest, saltem ob rationem quam ejus defensores afferunt, scilicet, ob characterem baptismi, confirmationis et ordinis; cum enim spiritualis ille character nunquam deleri valeat, inde sequeretur eos qui a religione Christiana ad Judaismum, Mahumetismum et etiam paganismum transirent, nihilominus esse membra Ecclesiæ, quod absurdum est et ab omnibus rejicitur. Ergo.

Quæritur utrum hæretici notorii, sed tolerati, jurisdictionem retineant, si sint clerici, usque dum per sententiam ab Ecclesia ejiciantur, vel donec ab illa actu positivo seipsos separent.

Quæstio hæc gravis est momenti, ut patet.

Nonnulli affirmant hæreticos eo instanti quo heterodoxa eorum opinio fit notoria, omni jurisdictione destitui, sic-

que cunctos eorum actus a jurisdictione pendentes prorsus esse nullos. Ita Bellarminus, de Pontifice Romano, l. 2, c. 30, et plures apud eum; ita etiam, apud *Régnier, Isambert et Duval*. Contra quos tamen

Resp. prædictos hæreticos, ex jure novo, id est a Martino V, suam retinere jurisdictionem; nam Martinus V in bulla *Ad evitanda scandala*, « Christi fidelibus misericorditer indulget, quod nemo deinceps a communionem alius » cujus, sacramentorum administratione vel receptione... » teneatur abstinere, » nisi sententia contra hujusmodi personam expresse fuerit publicata: ex illa ergo bulla nullus potestate administrandi sacramenta privatur nisi per sententiam.

Præterea, nunquam Ecclesia rescidit aut nullos declaravit actus episcoporum aut parochorum hæreticis opinionibus valde notorum: attamen eos rescindere vel nullos declarare debuisset; inde enim multum et dolendum secutum esset animarum detrimentum, v. g. invalidæ fuisse approbationes ab episcopis Jansenianis concessæ, nullæ absolutiones a tot sacerdotibus iisdem erroribus infectis datæ. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Bulla Martini V non reperitur in actibus concilii Constantiensis, nec in collectione bullarum SS. Pontificum, nec in jure canonico: ergo nullus est auctoritatis.

R. Nego conseq. Nam 1° S. Antoninus expresse testatur et probat hanc bullam a Martino V revera fuisse datam et a concilio Constantiensi approbatam. 2° Apud omnes certum est illam a multo tempore ubique esse in usu et velut tutam agendi regulam admitti: porro universalis et constans ille usus abunde sufficit ut plenam habeat auctoritatem: ergo.

Obj. 2°. Hæretici notorii non sunt de Ecclesia: atqui repugnat eos ab Ecclesia esse præcisos et simul jurisdictionem ecclesiasticam retinere: ergo.

R. Nego min. Non magis enim repugnat viros ab Ecclesia præcisos jurisdictionem ecclesiasticam retinere,

quam repugnat hæreticos non toleratos et excommunicatos etiam denunciatos sacramenta Ecclesie valide administrare : atqui de fide est hæreticos non toleratos et excommunicatos denunciatos plurima Ecclesie sacramenta valide administrare, nempe ea quæ a jurisdictione non pendent, idque ex institutione Christi : ergo *a pari* non repugnat Ecclesiam, pro bono spirituali fidelium, jurisdictionem suam in viris ab ipsa de facto separatis conservare, tunc enim sunt instrumenta quibus in filiorum suorum gratiam et divini sponsi sui gloriam utitur.

In hæreticis autem qui publice ab Ecclesia omnino seipsum sejunxerunt, prædicta jurisdictione nullo modo conservatur, excepto solo mortis articulo : sic intelligunt omnes catholici.

De jurisdictione hæreticorum et schismaticorum in articulo mortis fusius dicemus in tractatu de *Pœnitentia*.

Schisma, *schisma* déchirer, diviser, est scissura seu divisio.

Duplex distinguitur schisma : aliud per externam a communionem Ecclesie separationem, quando fidelis a Romano pontifice, vel a proprio episcopo, vel ab aliis Ecclesie membris se ita segregat, ut cum ipsis in rebus divinis communicare nolit; aliud vero fit per inobedientiam erga superiorem ecclesiasticum, ex contemptu auctoritatis ejus, v. g. si quis tali die jejunare recuset, negans pastores Ecclesie hujusmodi jejunia præcipere posse.

Schismatici sicut hæretici possunt esse occulti vel publici, tolerati vel non tolerati, ut evidens est. Quæcumque autem de hæreticis diximus, similiter et propter easdem rationes de schismaticis dicenda sunt. Hinc episcopi et sacerdotes apud Græcos schismaticos nullam habent jurisdictionem.

ARTICULUS TERTIUS.

DE EXCOMMUNICATIS.

In tractatu de *Censuris* multa notantur circa excommunicationem, quæ hic referri non debent.

Excommunicatio major, de qua sola hic agitur, est

censura qua homo externa fidelium communionem seu usum omnium honorum Ecclesie spiritualium cunctis fidelibus communium privatur.

Inter excommunicatos, alii sunt occulti et alii publici, alii denunciati et alii tolerati.

Certum est 1^o excommunicatos occultos ad corpus Ecclesie adhuc pertinere, externa quippe conservant unitatis vincula.

Certum est 2^o excommunicatos publice denunciatos de corpore Ecclesie jam non esse, nec ullam jurisdictionem ecclesiasticam retinere : id omnes fatentur propter rationes quas attulimus in articulo præcedenti, de hæreticis non toleratis tractando.

3^o *Generaliter admittunt theologi* excommunicatos publicos, licet non denunciatos, membra Ecclesie reipsa non esse; nam, ex verbis Christi, Matth. XVIII, 17, qui non audit Ecclesiam, habendus est sicut *ethnicus et publicanus* : porro qui propter contumaciam suam publice excommunicatus est, certe non audit Ecclesiam : ergo.

Insuper, excommunicatio in eo præcise consistit, quod vincula unionis solvantur, et homo fidelis e sinu Ecclesie per auctoritatem legitimam ejiciatur : ergo, ubi hæc censura est notoria, externa unionis vincula non conservantur, proindeque homo sic excommunicatus ad corpus Ecclesie non pertinet; jurisdictionem tamen adhuc conservat, donec publice sit denunciatus, sicut hæreticus toleratus. Ita omnes, post bullam *Ad evitanda scandala*,

ARTICULUS QUARTUS.

DE PRÆDESTINATIS ET REPROBIS.

Solos ad vitam æternam prædestinatos de Ecclesia esse docuerunt Wiclefus et Joannes Huss (concil. Constantiense, sess. 15). Idem asseruisse videtur Calvinus, dicendo veram Christi Ecclesiam ex solis sanctis constare; nam, juxta ipsum, sanctitas semel obtenta amitti non potest : omnes igitur sancti sunt prædestinati, et ex solis prædestinatis coalescit Ecclesia.

PROPOSITIO.

Nec omnes nec soli prædestinati ad Ecclesiam pertinent.

Prob. 1°. Non omnes prædestinati. Nam infideles, hæretici publici, schismatici et excommunicati ad Ecclesiam non pertinent: atqui tamen negare non licet aliquos ex eis esse prædestinatos; alioquin pronuntiandum foret omnes futuros esse reprobos, ac proinde turpiter erravissent sanctissimi viri qui conversionem hujusmodi hominum procurare tot modis et tantis laboribus tentaverunt et etiam tentant. Præterea de Ecclesia non erat B. Paulus, dum fideles persequebatur, nec S. Aug. ante baptismum suum, nec innumeri alii viri qui idolis servierunt, partes hæreticorum tenuerunt, etc., et quos veneramus ut sanctos: erant tamen prædestinati. Ergo.

2° Non soli prædestinati sunt de Ecclesia. Nam 1° in hujus tractatus initio, probavimus veram Christi Ecclesiam essentialiter esse visibilem, quia prædestinati soli Deo sunt noti. 2° Judas a Christo vocatus et edoctus, cum cæteris Apostolis vivens, erat de Ecclesia, et tamen fuit reprobus.

3° Ex probatis, quicumque sunt baptizati et externæ communionis vincula retinent, ad corpus Ecclesiæ pertinent: porro certum est inter eos multos futuros esse reprobos: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. I Petr. III, 20, arca Noe fuit Ecclesiæ Christi figura: atqui eos solos continebat qui erant salvandi: ergo.

R. Dist. maj. Arca Noe fuit Ecclesiæ figura quoad aliqua, *concl.*; quoad omnia, *negō maj.* Itaque in duobus potissimum dici potest arcam Noe Ecclesiam Christi præfigurasse. 1° Quia in ea concludebantur animalia cujuscumque generis, munda et immunda, ita et in Ecclesia includuntur homines diversarum gentium et morum, justi et peccatores, prædestinati et reprobi. 2° Sicut nullus extra arcam ab aquis diluvii salvari potuit, ita extra Ec-

clesiam nullus salvari potest: in eo præcipue consistit comparatio Apostoli inter arcam et Ecclesiam; comparationes autem nunquam urgeri debent ultra similitudinis punctum. Ergo.

Obj. 2°. Christus caput est Ecclesiæ et illius salvator, Eph. V, 23; eam sibi exhibet *gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*, etc. ibid. V, 27: atqui hæc omnia dici non possent de Ecclesia, si cum prædestinatis reprobos contineret: ergo.

R. Nego min. 1° Christus revera est caput Ecclesiæ et ipsius salvator, eo sensu quod ab ipso tota fluat auctoritas in Ecclesia existens, et per ipsum tantum salus obtineri possit.

2° Ex Ecclesia visibili prædestinatos et reprobos, justos et injustos nunc continenti, efformabit Christus Ecclesiam triumphantem quam sibi exhibebit gloriosam.... sanctam et immaculatam, cum ea ineffabili federe copulabitur, et nuptiæ ejus in æternum celebrabuntur: merito igitur *corporis sui* mystici, id est, Ecclesiæ, salvator esse dicitur, quamvis in ea nunc existant reprobi.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PECCATORIBUS ET JUSTIS.

Ecclesiam ex solis justis constare plures docuerunt hæretici. Ab ea etiam imperfectos repellebant Pelagiani; solos peccatores insignes rejiciebant Donatistæ, quales dicebant esse catholicos, quos divinas Scripturas tradidisse falso et per calumniam accusabant.

Lutherani et præsertim Calvinistæ duplicem distinguunt Ecclesiam: unam externam, quæ non solum peccatores, sed hæreticos et schismaticos in sinu suo complectitur; et alteram internam, quæ vera Christi est sponsa et ex solis sanctis constat.

Janseniani et Quesnellistæ docent nullam proprie dictam existere virtutem sine charitate, ne quidem fidem: unde, cum certum sit charitatem in peccatoribus non existere, inde concludunt eos pariter veram fidem non habere et ideo in Ecclesia non esse.

PROPOSITIO.

Peccatores etiam insignes et manifesti vere sunt de corpore Ecclesiae.

Prob. 1^o ex Scriptura sacra. Matth. XIII, Ecclesia comparatur agro in quo zizania igne comburenda in medio tritici crescunt, et *sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti*, Matth. XIII, 47 : atqui per zizania et malos pisces intelliguntur mali homines cum justis in Ecclesia commixti. His parabolis sæpe usi sunt SS. Patres contra Novatianos et Donatistas, ut legitur apud S. Aug., breviculo Collationis cum Donatistis, col. tertii diei, c. 8. Ergo.

Prob. 2^o ex SS. Patribus. S. Hieronymus, Dial. adversus Luciferianos, sic habet : « Arca Noe Ecclesiae typus » fuit... ut ibi pardus et hædi, lupus et agni ; ita et hic, » justis et peccatores, id est, vasa aurea et argentea, » etc. S. Aug. lib. de unico Baptismo, cap. 16, n. 30 : « Intra » istam arcam (Ecclesiam) boni et mali esse possunt, extra » eam boni esse non possunt. » Et in tractatu 6 in Joannem, v. 2 : « Boni et mali sunt in Ecclesia Christi. » Ergo.

Prob. rationibus theologis. 1^o Ecclesia est visibilis : atqui societas ex solis justis composita non esset visibilis, siquidem justitia est qualitas interna et soli Deo perfecte nota. 2^o Sacramentum pœnitentiæ non extra, sed intra Ecclesiam administratur : atqui Christus non instituit illud sacramentum pro justis, sed pro peccatoribus. 3^o Illi sunt de corpore Ecclesiae qui omnia necessaria unitatis vincula retinent : atqui peccatores etiam insignes et manifesti omnia essentialia unitatis vincula retinent ; nempe eandem profitentur fidem, ut supponitur, iisdem subjiciuntur pastoribus, jus immediatum habent ad pœnitentiæ sacramentum, et eo mediante, ad alia Ecclesiae sacramenta : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Qui sunt de Ecclesia, Deum habent patrem : atqui peccatores Deum non habent patrem, sed *ex patre diabolo* sunt, Joan. VIII, 44 : ergo.

R. Distinguo min. Deum non habent patrem eos ut tales generantem, seu ratione gratiæ sanctificantis quam non habent, *conc.* ; ratione creationis, conservationis, doctrinæ, gratiæ sufficientis, sacramentorum aliorumque salutis mediæ ipsis oblatores, *nego min.* Etenim Isai. I, 2, peccatores vocat filios Dei : itaque iidem homines ad regnum Christi seu ad Ecclesiam pertinere possunt, quatenus fidem profitentur, pastores agnoscunt, jus habent ad sacramenta, etc., et sub hoc respectu Deum habent et vocare possunt patrem ; verum qui charitate et gratia sanctificante destituuntur, filii sunt ingrati erga Deum et ad diabolum vere pertinent : ergo.

Obj. 2^o. Si peccatores ad Ecclesiam vere pertinerent, essent membra Christi : atqui repugnat Christum hujusmodi habere membra ; tunc enim ipsius corpus esset monstrum, ait *Jurieu* : ergo.

R. Nego min. et ejus probationem. Non enim ibi agitur de corpore Christi naturali, sed de corpore mystico, seu de societate quæ sensu aliquo morali et allegorico corpus ejus dicitur : atqui non repugnat peccatores ad hujusmodi corpus Christi pertinere ; nam, ut societas absque ulla indecentia corpus Christi mysticum dici possit, sufficit quod in se spectata, sit bona, sancta et perfecta : atqui Ecclesia, licet peccatores contineat, est nihilominus societas bona, sancta et perfecta, *ut ostendimus*, de sanctitate ejus specialiter agendo : ergo non repugnat peccatores membra illius esse, sed mortua, quia gratia sanctificante non vivificantur.

Plurimi objiciuntur textus SS. Patrum, præsertim S. Aug. sed cum ille sanctus doctor alique Patres doctrinam nostram contineant, *ut supra vidimus*, textus nobis objecti alio sensu necessario debent intelligi : et revera, si attentè considerentur, intelliguntur vel de Ecclesia triumphante, vel de virtutibus internis quæ animam Ecclesiae constituunt, sicque non probant peccatores etiam insignes membra corporis Ecclesiae non esse.

COMPENDIUM HISTORICUM I.

DE SCHISMATE ANNI 1791.

Ex via discussionis, a novatoribus decimi sexti sæculi admissa, infinita numero scaturierunt sectæ et opiniones diversæ, præsertim in Anglia. Præcipuas jam nominavimus sectas quæ in sinu *Lutheranismi* et *Calvinismi*, aliæ post alias, exortæ sunt. Unusquisque suum voluit excogitare systema et particularem suam habere religionem. Tot disputationibus nimis defatigata ratio et cupiditatibus obcæcata, vehementi correpta est odio contra omnes religiones positivas; eas sibi representavit ut æqualiter falsas; contra eas ardentem insurrexit, omnem suggillavit revelationem. Hinc perniciose nota est deistarum, etiam atheorum doctrina quæ ab Anglia et Batavia in Galliam cæpit introduci paulo post initium decimi octavi sæculi. Eam præcipue defendit et omni genere librorum apud nos propagavit Franciscus Maria *Arouet*, dictus postea *Voltaire*, anno 1694 natus, et anno 1787 mortuus: fere uno integro vixit sæculo, et totus semper fuit ut omnem religionem revelatam subverteret.

Famosissimus vir ille multos alios sibi adiunxit viros, qui perpetuo et infatigabili zelo nihil non tentaverunt ut principia incredulitatis omnibus insinuarent ac persuaderent; innumera ediderunt volumina in omni genere et forma. Nomine *philosophorum* decorati, universis artibus et scientiis abusi sunt, ut cunctas ideas huc usque receptas obtenebrarent et omnium corda depravarent. Auctoritatem ecclesiasticam et civilem in multis reprehendentes et continuis diceriis lacescentes, in quemdam contemptum adduxerunt. Veteres quæque institutiones deprimebantur, et tota philosophorum schola semper et undique reformationem, seu potius radicalem regenerationem, ut aiebat, describebat, commendabat, exoptabat et petebat. Multi, præsertim in ordine plebeio, his imbuti erant principiis, et numerus eorum magis ac magis quotidie crescebat; mentes circumquaque ardenti innovationis desiderio laborabant.

Ex altera parte, numerosior Jansenianorum et Quesnellistarum secta, quæ tanta pertinacia, versutia et subtilitate utrique potestati a tot annis resistebat, gravissimum intulerat ei nocendum.

Anno 1788, Ludovicus XVI, consilio ministri sui *Necker*, cedens, generalia totius regni comitia pro anno sequenti convocavit; multi ex his qui in variis provinciis fuerunt electi, novis opinionibus vel Jansenianorum erroribus erant infecti, prima comitiorum sessio, cui rex ipse præfuit, locum habuit die 5 maii 1789. Legati plebis (*les députés du tiers-état*) statim petierunt ut, contra morem consuetum, tres ordines unum tantum efficerent conventum, qui per capita et ad majo-

ritatem numericam opinaretur. Hanc concessionem, non tamen sine difficultate, obtinuerunt; ea semel obtenta, novitatis et reformationis amatores in majori semper fuerunt numero, et sic postea fecerunt quidquid voluerunt.

Die 2 novembris ejusdem anni, dictus conventus hanc decrevit propositionem: *Les biens du clergé seront mis à la disposition de la nation.* 13 februarii 1790, omnes monasticos ordines utriusque sexus suppressit, et vota religiosa abolevit. Die 12 julii ejusdem anni 1790 decrevit Constitutionem civilem cleri. In illa constitutione hæc inter alia erant statuta.

TITRE I^{er}.

» *Art. 1^{er}.* Chaque département formera un seul diocèse, et chaque diocèse aura la même étendue et les mêmes limites que le département.

» *Art. 2.* Les sièges des évêques des quatre-vingt-trois départements du royaume seront fixés, savoir, etc.

» Tous les évêchés existants dans les quatre-vingt-trois départements du royaume et qui ne sont pas nommément compris au présent article sont et demeurent supprimés.

» Le royaume sera divisé en dix arrondissements métropolitains, dont les sièges seront, etc.

» *Art. 4.* Il est défendu à toute église ou paroisse de France, et à tout citoyen français, de reconnaître, en aucun cas, sous quelque prétexte que ce soit, l'autorité d'un évêque ordinaire ou métropolitain dont le siège serait établi sous la domination d'une puissance étrangère, ni celle de ses délégués, résidants en France ou ailleurs...

» *Art. 7.* L'église cathédrale de chaque diocèse sera ramenée à son état primitif d'être en même temps église paroissiale et église épiscopale, par la suppression des paroisses, et le démembrement des habitations qu'il sera convenable d'y réunir.

» *Art. 8.* La paroisse épiscopale n'aura pas d'autre pasteur immédiat que l'évêque; tous les prêtres qui y seront établis seront les vicaires et en feront les fonctions.

» *Art. 9.* Il y aura seize vicaires de l'église cathédrale dans les villes qui comprendront plus de 10,000 âmes, et douze seulement dans celles où la population sera au-dessous de 10,000 âmes.

» *Art. 10.* Il sera conservé ou établi dans chaque diocèse un seul séminaire pour la préparation aux ordres.

» *Art. 12.* Pour la conduite et l'instruction des jeunes élèves dans les séminaires, il y aura un vicaire supérieur, et trois vicaires directeurs, subordonnés à l'évêque....

» *Art. 14.* Les vicaires des églises cathédrales, les vicaires supérieurs et directeurs du séminaire formeront ensemble le conseil habituel et permanent de l'évêque, qui ne pourra faire aucun acte de juridic-

» Ilon, en ce qui concerne le gouvernement du diocèse et du séminaire,
 » qu'après en avoir délibéré avec eux. Pourra néanmoins l'évêque,
 » dans le cours de ses visites, rendre scul telles ordonnances provisoires
 » qu'il appartiendra.

» *Art. 15.* Dans toutes les villes et bourgs qui ne comprennent pas
 » plus de 6,000 âmes, il n'y aura qu'une seule paroisse; les autres
 » paroisses seront supprimées.

» *Art. 20.* Tous titres et offices, autres que ceux mentionnés en la
 » présente constitution, les dignités, canonicats, prébendes, demi-
 » prébendes, chapelles, chapellemes, tant des églises cathédrales que
 » des églises collégiales, et tous chapitres réguliers et séculiers, de l'un
 » et de l'autre sexe, les abbayes et prieurés en règle ou en commendé
 » aussi de l'un et de l'autre sexe, et tous autres bénéfices et prestimo-
 » nies généralement quelconques, de quelque nature et sous quelque
 » dénomination que ce soit, sont, à compter du jour de la publication
 » du présent décret, éteints et supprimés, sans qu'il puisse jamais en
 » être établi de semblables.

TITRE II.

» *Art. 1.* A compter du jour de la publication du présent décret,
 » on ne connaîtra qu'une seule manière de pourvoir aux évêchés et
 » aux cures; c'est à savoir, la forme des élections.

» *Art. 2.* Toutes les élections se feront par la voie du scrutin, et à
 » la pluralité absolue des voix.

» *Art. 3.* L'élection des évêques se fera dans la forme prescrite, et
 » par le corps électoral, indiquée dans le décret du 22 décembre 1789
 » pour la nomination des membres de l'Assemblée du département...

» *Art. 7.* Pour être éligible à un évêché, il sera nécessaire d'avoir
 » rempli au moins pendant quinze ans les fonctions du ministère ec-
 » clésiastique dans le diocèse en qualité de curé, de desservant ou de
 » vicaire, de vicaire supérieur ou vicaire directeur du séminaire....

» *Art. 14.* La proclamation de l'élu se fera par le président de
 » l'Assemblée électorale, dans l'église où l'élection aura été faite....

» *Art. 16.* Au plus tard dans le mois qui suivra son élection, celui
 » qui aura été élu à un évêché se présentera en personne à son évêque
 » métropolitain, et s'il est élu pour le siège de la métropole, au plus
 » ancien évêque de l'arrondissement, avec le procès-verbal d'élection
 » et de proclamation, et le suppliera de lui accorder la confirmation
 » canonique.

» *Art. 18.* L'évêque à qui la confirmation est demandée ne pourra
 » exiger de l'élu d'autre serment, sinon qu'il fait profession de la reli-
 » gion catholique, apostolique et romaine.

» *Art. 19.* Le nouvel évêque ne pourra s'adresser au pape pour en
 » obtenir aucune confirmation, mais il lui écrira comme au chef visi-
 » ble de l'Église universelle, en témoignage de l'unité de foi, et de la
 » communion qu'il entretient avec lui.

» *Art. 20.* La consécration de l'évêque ne pourra se faire que dans
 » son église cathédrale....

» *Art. 21.* Avant que la cérémonie de la consécration commence,
 » l'élu prêtera, en présence des officiers municipaux, du peuple et du
 » clergé, le serment de veiller avec soin sur les fidèles du diocèse qui
 » lui est confié, d'être fidèle à la nation, à la loi et au roi, et de main-
 » tenir de tout son pouvoir la constitution décrétée par l'Assemblée
 » nationale et acceptée par le roi.

» *Art. 22.* L'évêque aura la liberté de choisir les vicaires de son
 » église cathédrale dans tout le clergé de son diocèse, à la charge par
 » lui de ne pouvoir nommer que des prêtres qui auront exercé des
 » fonctions ecclésiastiques au moins pendant dix ans; il ne pourra les
 » destituer que de l'avis de son conseil, et par une délibération qui
 » aura été prise à la pluralité des voix, en connaissance de cause.

» *Art. 23.* Les curés actuellement établis en aucune église cathé-
 » drale, ainsi que ceux des paroisses qui seront supprimées pour être
 » réunies à la cathédrale et en former le territoire, seront de plein
 » droit, s'ils le demandent, les premiers vicaires de l'évêque, chacun
 » suivant l'ordre de leur ancienneté dans les fonctions pastorales.

» *Art. 24.* Les vicaires supérieurs et vicaires directeurs du sémi-
 » naire seront nommés par l'évêque et son conseil, et ne pourront être
 » destitués que de la même manière que les vicaires de l'église cathé-
 » drale.

» *Art. 25.* L'élection des curés se fera dans la forme prescrite, et
 » par les électeurs indiqués dans le décret du 22 décembre 1789 pour
 » la nomination des membres de l'Assemblée administrative du district.

» *Art. 31.* Pour être éligible à une cure, il sera nécessaire d'avoir
 » rempli les fonctions de vicaire dans une paroisse, ou dans un hôpital
 » et autre maison de charité du diocèse, au moins pendant cinq ans.

» *Art. 35.* Celui qui aura été proclamé élu à une cure, se présen-
 » tera en personne à l'évêque avec le procès-verbal de son élection et
 » proclamation, à l'effet d'obtenir de lui l'institution canonique.

» *Art. 36.* L'évêque aura la faculté d'examiner l'élu, en présence de
 » son conseil, sur sa doctrine et ses mœurs: s'il le juge capable, il lui
 » donnera l'institution canonique: s'il croit devoir la lui refuser, les
 » causes du refus seront données par écrit, signées de l'évêque et de
 » son conseil, sauf aux parties le recours à la puissance civile.

» *Art. 38.* Les curés élus et institués prêteront le même serment que
 » les évêques, dans leur église, un jour de dimanche, avant la messe
 » paroissiale, en présence des officiers municipaux du lieu, du peuple
 » et du clergé: jusque-là ils ne pourront faire aucunes fonctions cu-
 » riales....

» *Art. 40.* Les évêchés et les cures seront réputés vacants, jusqu'à
 » ce que les élus aient prêté le serment ci-dessus mentionné.

» *Art. 41.* Pendant la vacance du siège épiscopal, le premier vicaire

et, à son défaut, le second vicaire de l'église cathédrale remplacera l'évêque tant pour les fonctions curiales que pour les actes de juridiction qui n'exige pas le caractère épiscopal; mais en tout il sera tenu de se conduire par les avis du conseil.

Art. 42. Pendant la vacance d'une cure, l'administration de la paroisse sera confiée au premier vicaire, sauf à y établir un vicaire de plus, si la municipalité le requiert..

Art. 43. Chaque curé aura le droit de choisir ses vicaires; mais il ne pourra fixer son choix que sur des prêtres ordonnés ou admis dans le diocèse par l'évêque.

Art. 44. Aucun curé ne pourra révoquer ses vicaires que pour des causes légitimes, jugées telles par l'évêque et son conseil.

(Tiré du Procès-verbal de l'Assemblée nationale de 1790, t. 24.)
Cum ipse textus prædictæ Constitutionis difficile nunc inveniatur, præcipuos ejus articulos de verbo ad verbum referendos duximus, ut unusquisque eos legere queat: sola inspectione clare percipitur illam multis et gravissimis scaturire vitiiis.

1° Conventus nationalis, propria auctoritate, absque recurso ad potestatem ecclesiasticam, omnes veteres dioceses, saltem aliquo modo, mutat aut reformat: multas destruit, novas erigit; has minuit, illas auget, etc.

2° Prohibet ne ulla ecclesia vel civis Gallicanus auctoritatem cuiusvis episcopi extranei agnoscat, etc.

3° Novum instituit modum administrandi et regendi ecclesias cathedrales, etiam in spiritualibus. Item pro seminariis.

4° Divinam episcoporum auctoritatem evertit, intra certos limites eam coercedo, et quoddam eis imponendo *Consilium*, sine cujus sententia fere nihil facere possunt.

5° Omnes titulos ecclesiasticos et dignitates, cuncta beneficia et officia in perpetuum tollit.

6° Consuetum modum nominandi et instituendi episcopos abrogans, novam excogitat formam eos eligendi, juxta quam protestantes, Judæi, et quicumque impii homines ad designandum primum pastorem catholicum immediate concurrunt, imo illum nominare possunt; nam fieri potest ut in majori sint numero.

7° Vetat ne deinceps institutio canonica a summo Pontifice accipatur, et statuit ut a solo metropolitano petatur et obtineatur, vel a suffraganeo qui ratione ordinationis est primus.

8° Contra jus canonicum et concilii Tridentini præceptum, sess. 24 de Reform. cap. 16, decernit quod, sede vacante, tota jurisdicção spiritualis penes primum aut secundum vicarium deinceps manere debeat.

9° Novum pariter instituit modum, prorsus inauditum, eligendi parochos eosque constituendi, fere independenter ab episcopo, etc. etc.

Porro manifestum est, ex principiis in tractatu nostro positis et demonstratis, hos articulos totam Ecclesiæ Christi disciplinam ejusque constitutionem turbare, et plurimis in punctis evertere: laici enim, magistratus et ipsi reges nullam habent potestatem circa res spirituales: atqui tamen Conventus nationalis erat cætus laicorum. Aliunde etiam si cætus clericorum, vel etiam episcoporum, generalem Ecclesiæ disciplinam nec licite nec valide mutare potuisset, saltem absque consensu summi Pontificis. Insuper episcopi jure divino perfectam et completam habent jurisdictionem in tota diocesi sua: nullo modo igitur sub absoluta consilii dependentia constitui, nec jure ordinario nominandi ad parochias a quocumque privari possunt.

Hinc 1° prædictum Conventus nationalis decretum immerito dictum est *Constitutio civilis cleri*, quasi ad statum ejus temporalem vel civilem duntaxat spectaret.

Hinc 2° quicumque vi illius Constitutionis instituti sunt episcopi, parochi, vicarii aut confessores, legitimam missionem non obtinuerunt, nullam hebuerunt jurisdictionem, sicque manifeste erant intrusi.

Hinc 3° eo ipso quod erant intrusi et omni jurisdictione destituti, varios titulos usurpantes vel ab usurpatoribus accipientes, constituebantur schismatici, quidquid dicerent, nam de facto a legitima auctoritate se separabant, unitatem solvebant, et altare contra altare erigebant.

Hinc 4° parochi titulares qui cum novis episcopis communicabant in divinis, et eos agnoscebant ut legitimos, statim fiebant schismatici; non tamen jurisdictione spoliabantur, nec illa unquam fuerunt destituti, quia non fuerunt publice denunciati.

Hinc 5° non solum schismatica, sed et hæretica est supradicta *Constitutio civilis cleri*; nam, ut ait Pius VI in brevi ad card. de la Roche-foucault, etc., diei 10 martii 1791: « Inter decreta ipsa, non solum disciplinaria, sed et alia non pauca in eversionem puri immutabilis que dogmatis congeruntur. »

Præterea, de fide est 1° jus administrandi res spirituales potestati civili non competere; 2° summum Pontificem potestatem habere jurisdictionis in totam Ecclesiam; 3° episcopos legitima missione seu confirmatione canonica indigere; 4° eos, valide institutos, esse presbyteris superiores, et habere jurisdictionem ab illis independentem, etc., etc.: atqui *Constitutio civilis* hæc omnia subvertit: ergo.

Hinc 6° centies potius moriendum erat quam semel præstare juramentum art. 21 et 38 secundi tituli præscriptum; quia, cum esset de re graviter illicita, illius præstatio a peccato mortali excusari non poterat.

Ludovicus XVI hanc cleri Constitutionem valde improbat; et tamen vi circumstantiarum coactus est eam regali sanctione sua munit, eamque promulgavit die 24 augusti 1790.

Cardinalis *de la Rochefoucault*, Rothomagensis archiepiscopus, et 29 alii archiepiscopi aut episcopi, Conventus nationalis membra, clamant et solidam instructionem circa Constitutionem civilem cleri ediderunt, sub hoc titulo: *Exposition des principes sur la Constitution du clergé, par les évêques députés à l'Assemblée nationale*, die 30 octobris 1790. Alii episcopi Gallicani vel extensionem suae diocesis in Gallia habentes, numero 110, dictae Expositioni positive adhaeserunt: haec igitur facta est iudicium totius Ecclesiae Gallicanae.

Die 27 novembris ejusdem anni, Conventus nationalis, opus suum semper prosequens, decrevit omnes episcopos et parochos qui intra octo dies juramentum Constitutione praescriptum non emisissent, statim habendos fore tanquam titulo per voluntariam demissionem privatos.

Omnes viri ecclesiastici qui in Conventu sedebant, juramentum solemniter praestare debebant 4 januarii 1791. Henricus *Grégoire*, parochus *d'Embermesnil*, primus juravit et cum illo 70 circiter alii parochi vel clerici secundi ordinis. Caeteri jurare noluerunt.

In provinciis multo major et sanior pars cleri statutum juramentum praestare fortiter recusavit. Ex 135 episcopis Gallicanis titularibus quatuor tantum juramento se obstrinxerunt, scilicet cardinalis *de Brienne*, archiepiscopus Senonensis; *de Savines*, episcopus Vivariensis; *de Jarante*, episcopus Aurelianensis, et *Talleyrand de Périgord*, episcopus Augustodunensis.

Tunc ubique electi sunt episcopi secundum novam formam Constitutione statutam; primos consecravit episcopus Augustodunensis, die 25 januarii, nempe *Expilly* pro praefectura Finisterrae, et *Marolles* pro praefectura dicta *l'Aisne*; episcopi enim, juxta novam Constitutionem, non per nomen civitatis designabantur, sed per nomen praefecturae, sicque per mare, montes et flumina. Statim atque novi constituti sunt episcopi, omnes parochi alique sacerdotes qui juramentum praestare noluerant, e parochiis suis respectivis fuerunt expulsi, et sic, per totum Christianissimum regnum, luctuosum consummatum est schisma.

Pius VI, ad quem episcopi *Expositionem* suam principiorum miserant, duas edidit longas epistolas in forma brevium, unam diei 10 martii ad 30 episcopos Conventus nationalis, et alteram diei 13 aprilis 1791 ad omnem Galliae clerum et populum. In his epistolis plurima Constitutionis principia discutebat Pontifex; ipsamque Constitutionem pessimam esse, schismaticam et multum erroneam clare ostendebat.

Has epistolas pro non existentibus habuerunt schismatici, sub pretextu quod juxta formam in regno consuetam receptae et publicatae non fuissent; quasi condemnationes adversus haereticos et schismaticos valida non essent, nisi ab ipsis secundum ordinarias formas acceptarentur.

Die 3 maii episcopi Conventus nationalis summo Pontifici responderunt, eum enixe rogantes ut de ipsis minime sollicitus esset, sed tantum de Ecclesia, et ideo sedium suarum dimissiones illi offerebant. Pluries adhuc scripsit Pius VI circa Constitutionem cleri, tum ad catholicos, tum ad schismaticos. Brevia ejus et decisiones utilissime leguntur, 3 vol. in-12, cum versione Gallica.

Conventus nationalis sessiones suas terminavit die 30 septembris, et alter, qui dictus est Legislativus, statim ei successit. Posterior iste Conventus decrevit, die 29 novembris, quod omnes sacerdotes erga Constitutionem civilem rebelles et juramentum non praestantes quacumque pensione a gubernio solvenda spoliarentur. Die 6 aprilis 1792, omnem prohibuit habitum clericalem. Tunc furiosa coepit exerceri persecutio contra episcopos et sacerdotes, religiosos et etiam passim moniales aut simplices fideles. Innumeri presbyteri fuerunt deportati, vel ipsi ad persecutionem vitandam in exilium fugerunt; alii vero *ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, lapidati sunt, socii sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Hebr. xi, 36.

COMPENDIUM HISTORICUM II.

DE CONCORDATO ANNI 1801

ET DE SECTA QUAE DICITUR LA PETITE ÉGLISE.

§ I. — *De Concordato.*

Novus clerus juxta Constitutionem civilem institutus, et propterea clerus *Constitutionalis* vocatus, non multum causam suam honoravit. Episcopi praefectarum, candidatis convenientibus et bene dispositis omnino indigentes, manus imposuerunt iis omnibus quos invenire poterunt, viris ignobilibus, quorum minor defectus erat ignorantia. Novis opinionibus contra caelibatum presbyterorum, caeremonias ecclesiasticas, mysteria divina et cultum ipsum subscribentes, multi in anno 1793 sacrilega inierunt matrimonia, functiones sacras deseruerunt, contra fidem et mores praedicaverunt, publice omnem religionem abjecerunt, et variis criminibus turpiter se inquinaverunt. Eodem omnis cultus religiosus fuit proscribitus. Ingens et universalis exstitit terror usque ad mortem *Robespierre*, qui die 27 julii 1794 abscissione capitis merito plexus est. Ex hac die minus crudelis fuit persecutio; et 21 februarii 1795, Conventus (*la Convention*) libertatem omnium cultuum decrevit, ea lege quod gubernium nullam retributionem pecuniariam ministris religionis solveret, nec ullum eis assignaret aedificium publicum: die 3 maii, statuit quod templa non adhuc alienata cultui divino restituerentur, et omnes sacerdotes perfecta libertate cultum suum exercendi fruerentur, modo expresse de-

Cardinalis *de la Rochefoucault*, Rothomagensis archiepiscopus, et 29 alii archiepiscopi aut episcopi, Conventus nationalis membra, clamant et solidam instructionem circa Constitutionem civilem cleri ediderunt, sub hoc titulo: *Exposition des principes sur la Constitution du clergé, par les évêques députés à l'Assemblée nationale*, die 30 octobris 1790. Alii episcopi Gallicani vel extensionem suae diocesis in Gallia habentes, numero 110, dictae Expositioni positive adhaeserunt: haec igitur facta est iudicium totius Ecclesiae Gallicanae.

Die 27 novembris ejusdem anni, Conventus nationalis, opus suum semper prosequens, decrevit omnes episcopos et parochos qui intra octo dies juramentum Constitutione praescriptum non emisissent, statim habendos fore tanquam titulo per voluntariam demissionem privatos.

Omnes viri ecclesiastici qui in Conventu sedebant, juramentum solemniter praestare debebant 4 januarii 1791. Henricus *Grégoire*, parochus *d'Embermesnil*, primus juravit et cum illo 70 circiter alii parochi vel clerici secundi ordinis. Caeteri jurare noluerunt.

In provinciis multo major et sanior pars cleri statutum juramentum praestare fortiter recusavit. Ex 135 episcopis Gallicanis titularibus quatuor tantum juramento se obstrinxerunt, scilicet cardinalis *de Brienne*, archiepiscopus Senonensis; *de Savines*, episcopus Vivariensis; *de Jarante*, episcopus Aurelianensis, et *Talleyrand de Périgord*, episcopus Augustodunensis.

Tunc ubique electi sunt episcopi secundum novam formam Constitutione statutam; primos consecravit episcopus Augustodunensis, die 25 januarii, nempe *Expilly* pro praefectura Finisterrae, et *Marolles* pro praefectura dicta *l'Aisne*; episcopi enim, juxta novam Constitutionem, non per nomen civitatis designabantur, sed per nomen praefecturae, sicque per mare, montes et flumina. Statim atque novi constituti sunt episcopi, omnes parochi alique sacerdotes qui juramentum praestare noluerant, e parochiis suis respectivis fuerunt expulsi, et sic, per totum Christianissimum regnum, luctuosum consummatum est schisma.

Pius VI, ad quem episcopi *Expositionem* suam principiorum miserant, duas edidit longas epistolas in forma brevium, unam diei 10 martii ad 30 episcopos Conventus nationalis, et alteram diei 13 aprilis 1791 ad omnem Galliae clerum et populum. In his epistolis plurima Constitutionis principia discutebat Pontifex; ipsamque Constitutionem pessimam esse, schismaticam et multum erroneam clare ostendebat.

Has epistolas pro non existentibus habuerunt schismatici, sub pretextu quod juxta formam in regno consuetam receptae et publicatae non fuissent; quasi condemnationes adversus haereticos et schismaticos validae non essent, nisi ab ipsis secundum ordinarias formas acceptarentur.

Die 3 maii episcopi Conventus nationalis summo Pontifici responderunt, eum enixe rogantes ut de ipsis minime sollicitus esset, sed tantum de Ecclesia, et ideo sedium suarum dimissiones illi offerebant. Pluries adhuc scripsit Pius VI circa Constitutionem cleri, tum ad catholicos, tum ad schismaticos. Brevia ejus et decisiones utilissime leguntur, 3 vol. in-12, cum versione Gallica.

Conventus nationalis sessiones suas terminavit die 30 septembris, et alter, qui dictus est Legislativus, statim ei successit. Posterior iste Conventus decrevit, die 29 novembris, quod omnes sacerdotes erga Constitutionem civilem rebelles et juramentum non praestantes quacumque pensione a gubernio solvenda spoliarentur. Die 6 aprilis 1792, omnem prohibuit habitum clericalem. Tunc furiosa coepit exerceri persecutio contra episcopos et sacerdotes, religiosos et etiam passim moniales aut simplices fideles. Innumeri presbyteri fuerunt deportati, vel ipsi ad persecutionem vitandam in exilium fugerunt; alii vero *ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, lapidati sunt, socii sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Hebr. xi, 36.

COMPENDIUM HISTORICUM II.

DE CONCORDATO ANNI 1801

ET DE SECTA QUAE DICITUR LA PETITE ÉGLISE.

§ I. — *De Concordato.*

Novus clerus juxta Constitutionem civilem institutus, et propterea clerus *Constitutionalis* vocatus, non multum causam suam honoravit. Episcopi praefectarum, candidatis convenientibus et bene dispositis omnino indigentes, manus imposuerunt iis omnibus quos invenire poterunt, viris ignobilibus, quorum minor defectus erat ignorantia. Novis opinionibus contra caelibatum presbyterorum, caeremonias ecclesiasticas, mysteria divina et cultum ipsum subscribentes, multi in anno 1793 sacrilega inierunt matrimonia, functiones sacras deseruerunt, contra fidem et mores praedicaverunt, publice omnem religionem abjecerunt, et variis criminibus turpiter se inquinaverunt. Eodem omnis cultus religiosus fuit proscribitus. Ingens et universalis exstitit terror usque ad mortem *Robespierre*, qui die 27 julii 1794 abscissione capitis merito plexus est. Ex hac die minus crudelis fuit persecutio; et 21 februarii 1795, Conventus (*la Convention*) libertatem omnium cultuum decrevit, ea lege quod gubernium nullam retributionem pecuniariam ministris religionis solveret, nec ullum eis assignaret aedificium publicum: die 3 maii, statuit quod templa non adhuc alienata cultui divino restituerentur, et omnes sacerdotes perfecta libertate cultum suum exercendi fruerentur, modo expresse de-

clararent se futuros esse legibus Reipublicæ submissos. Multæ tunc apertæ sunt ecclesiæ, et cultus catholicus solemniter passim in eis celebrari cæpit. At illa libertas non diu exstitit: in mensibus septembris et octobri, novæ excogitatæ sunt vexationes contra sacerdotes, novum petiitum est juramentum ut exsecutio legum an. 1792 et 1793 conditarum.

In mense novembri, Directorium Conventui successit; die 9 martii anni 1796, sub pœna deportationis præscripsit ut omnes qui publicam exercebant functionem, odium regimini monarchico voverent, dicentes: *Je jure haine à la royauté et à l'anarchie, attachement et fidélité à la République et à la Constitution de l'an III.* Inter Brevia Pii VI duæ exstant epistolæ contra juramentum istud, nomine dicti Pontificis scriptæ, una archiepiscopi Tyriensis, et altera episcopi Isaurensis (L. 3, p. 355).

Persecutio tamen minus ardens erat, et in diem deferrebat; sed de novo cum furore exarsit post 18 *fructidor* (4 septembris 1796); qua die Directorium vastam detexit et compressit conspirationem contra ipsam tentatam ad restituendum regimen monarchicum et regium. Multi sacerdotes exportati sunt, cum aliis non paucis, in aridas et mortiferas Americæ regiones; alii in veteribus navibus (*les pontons*) catervatim fuerunt reclusi, ubi ærumnis et incomprehensibilibus miseriis confecti, per centenos et centenos moriebantur.

Napoleo Buonaparte, ex Ægypto inopinatus adveniens, Directorium evertit die 10 novembris 1799, gubernium tunc existens mutavit, aliud substituit, creatus vel declaratus est primus Consul, et sic in eo tota vis publica exstitit. Extemplo omnis persecutio cessavit; presbyteri in carceribus detenti exierunt; qui latebant prodierunt; qui exsules erant redire potuerunt; solum sacramentum submissionis legibus ab illis exigebatur, et functiones suas publice exercere poterant.

Buonaparte, perspicuus quod, ad publicam tranquillitatem sibi necessariam et ab omnibus exoptatam, valde utilis foret pax et concordia Ecclesiæ, statim media quæsiit pactum religiosum ineundi cum Pio VII qui, die 14 martii 1800, quasi per miraculum Venetiæ electus, Romam solemniter intraverat die 3 julii. Sanctus Pontifex, de tantis tamque diuturnis ecclesiæ Gallicanæ malis vehementer dolens, primam spei lucem ex totis præcordiis suscepit. Omnia Ecclesiæ jura, quantum ipsi licuit, defendere et servare conatus est. Negotiatione diu protracta, conventio tandem inita est Parisiis 13 julii 1801. Sic se habet, post præambulum:

» I. Religio Catholica, Apostolica, Romana libere in Gallia exercebitur. Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad possessionem quas gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

» II. Ab Apostolica sede, collatis cum Gallico gubernio consiliis, novis finibus Galliarum diœceses circumscribentur.

» III. Summus Pontifex titularibus ecclesiarum Gallicarum episcopis significabit se ab eis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quod ipsas suas episcopales sedes resignent.

» Hac hortatione præmissa, si huic sacrificio quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri autem id posse summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novæ circumscriptionis, de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo:

» IV. Consul primus Gallicanæ Reipublicæ, intra tres menses qui promulgationem Constitutionis Apostolicæ consequentur, archiepiscopos et episcopos novæ circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit: summus Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas relate ad Galliam, ante regiminis commutationem statutas.

» V. Item Consul primus ad episcopales sedes quæ in posterum vacaverint, novos antistes nominabit; iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apostolica sedes canonicam dabit institutionem.

» VI. Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo Consule juramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum: *Ego juro et promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem gallicanæ Reipublicæ statuto. Item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli concilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra conservaturum quæ tranquillitati publicæ noceat; et si tam in diœcesi mea quam alibi noverim aliquid in Status damnum tractari, gubernio manifestabo.*

» VII. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano gubernio designatis.

» VIII. Post divina officia, in omnibus catholicis Galliæ templis sic orabitur: *Domine, salvam fac Rempublicam; Domine, salvos fac Consules.*

» IX. Episcopi, in sua quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent, quæ circumscriptio suum non sortiatur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.

» X. Idem Episcopi ad parœcias nominabunt, nec personas eligent nisi gubernio acceptas.

» XI. Poterunt iidem episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque diœcesi, sine dotationis obligatione ex parte gubernii.

» XII. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui necessaria, episcoporum dispositioni tradentur.

» XIII. Sanctitas sua, pro pacis honore felicique religionis restitutione declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam

nullam habituros, neque a se, neque a Romanis pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietates eorundem bonorum, redditus et jura eis inhaerentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.

» XIV. Gubernium Gallicanae Reipublicae in se recipit tum episcoporum, tum parochorum, quorum dioeceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quae cujusque statum deceat.

» XV. Idem gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si liberit, ecclesiis consulere novis foundationibus.

» XVI. Sanctitas sua recognoscit, in primo consule Gallicanae Reipublicae, eadem jura ac privilegia quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

» XVII. Utinque conventum est quod, in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi Consulis catholicam religionem non profiteretur, super juribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non super nominatione ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fieret.

» Ratificationum autem traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

» Datum Parisiis, die 15 mensis julii 1801. »

Sequuntur subscriptiones trium legatorum papae, *Consalvi* cardinalis, *J. Spina* archiepiscopi Corinthini, et *P. Caselli* theologi, Sanctitatis suae consultoris; et ex altera parte, pro gubernio Gallicano, *Josephi Bonaparte*, *Cretet*, et *Bernier*, doctoris Andegavensis.

Celebrem hanc conventionem Pius VII confirmavit die 15 augusti 1801, per bullam *Ecclesia Christi*. Eadem die ad omnes episcopos Gallicanos adhuc exstantes et per varias terras dispersos scripsit, ab eis postulans sedium suarum, pro bono pacis, cessionem, et quidem intra decem dies, declarans quod si expresse et statim petitioni suae acquiescere nollent, cogeretur eos habere tanquam renuentes et nihilominus ulterius progredi oporteret.

Ex tota Gallia, 81 tantum restabant episcopi titulares et catholici; tres jurati, Augustodunensis, Vivariensis et Aurelianensis, jam diu episcopatum abjecerant, et 51 erant mortui; 45 dimissionem suam ad summum Pontificem miserunt; 36 alii eam, cum reverentia tamen, recusarunt, allegantes, inter alias rationes, se non fuisse consultos, talem conventionem esse contra omnes leges ecclesiasticas, summum Pontificem non fuisse liberum, etc.

Attamen Pius VII dedit bullam *Qui Christi Domini*, die 19 novembris, qua cunctas Galliae sedes supprimebat, et sexaginta novas erigebat, 10 metropoles et 50 episcopales, non solum pro Gallia, sed pro aliis provinciis Belgiae et Sabaudiae Galliae adjunctis.

Concordatum interea semper manebat occultum in Gallia, quamvis legatus a latere *Caprara* die 4 octobris Parisios advenisset: unde om-

nes vere catholici, dispositiones Conventionis omnino ignorantes, non parum erant anxii. Demum die 5 aprilis 1802, minister cultuum *Portalis* idem Concordatum detulit ad corpus legislativum, a quo fuit acceptatum: simul praesentavit, ex parte gubernii, et absque ulla participatione S. Pontificis, *articulos organicos* circa cultum catholicum qui pariter fuerunt acceptati et vim legis habuerunt. Catholicis, clericis et laicis et potissimum curiae Romanae valde displicerunt illi articuli; videbantur enim redacti in contemptum potestatis ecclesiasticae quam, sub praetextu politicae externae, nimis coercebant, exquisitis obstaculis irretiebant, variisque modis irreligiose vexabant. Quidam, ex Constitutione deprompti, formaliter erant contra disciplinam et doctrinam ecclesiasticam, et schismatis notam merebantur, v. g. sequentes:

» *Art. 36.* Pendant la vacance des sièges, il sera pourvu par le métropolitain, et à son défaut, par le plus ancien des évêques suffragants, au gouvernement des diocèses.

» Les vicaires généraux de ces diocèses continueront leurs fonctions même après la mort de l'évêque, jusqu'à remplacement. » Hic articulus est contra dispositionem concilii Tridentini, sess. 24, c. 16, in Gallia sicut alibi receptam.

» *Art. 52.* Ils ne se permettront (les curés) dans leurs instructions aucune inculpation directe ou indirecte, soit contre les personnes, soit contre les autres cultes autorisés dans l'État. » Ille articulus ad absolutam religionum indifferentiam ducere videtur.

Non obstantibus his articulis, capitula, sede vacante, dioeceses semper administraverunt, juxta concilii Tridentini disciplinam, et in templis catholicis nihilominus publice praedicatum est unicam religionem esse veram, atque extra ecclesiam Romanam nullam sperandam esse salutem. Nullo modo igitur vitium *articulorum organicorum* summo Pontifici aut clero Gallicano, nisi injuste et per calumniam, tribui potest; nedum enim summus Pontifex eos approbaverit, de illis e contra amare conquestus est in allocutione diei 24 maji 1802, et annuntiavit se revocationem eorum jam postulasse; verum nihil obtinuit.

Inter illos quos primus Consul ad sedes metropolitanas et episcopales nominavit, quidam fuerunt intrusi et schismatis reatu foedati. Legatus, secundum instructiones sibi traditas, retractationem ab eis exigere tenebatur. *D. Bernier* specialiter officium habuit retractationem sufficientem a suspectis obtinendi: sive autem deceptus, sive deceptor fuerit, omnes conveniunt falsum testimonium de pluribus dedisse, et legatum ipsamque curiam Romanam in errorem induxisse.

Nonnulli namque ex nominatis et institutis palam deinde professi sunt se principis Constitutionis civilis corde et affectu semper adhaerere. *Portalis*, die 8 junii ejusdem anni 1802, ad omnes archiepiscopos et episcopos scribens, multas agendi regulas, etiam in rebus pure spiritualibus, eis tradidit, et in primis vetuit ne ullas retractationes exigent.

Verumtamen plerique, imo fere omnes, a sacerdotibus juramento inquinatis formalem exegerunt retractationem, vel saltem ut positive et sua subscriptione novo rerum ordini adhererent. Porro hac subscriptione eaque adhesionem exterius suo schismati renuntiabant, et, quando aliquod officium suscipiebant, jurisdictionem vere accipiebant.

Die 6 aprilis 1803, 36 episcopi qui dimissionem suam dare noluerant, reclamaciones canonicas et reverentes ad summum Pontificem miserunt; fortiter contendebant, licet cum magna reverentia, Pium VII limites potestatis suae excessisse. Reclamabant praesertim 1° contra ipsorum, licet de religione bene meritorum, invitam destitutionem; 2° contra suarum aliarumque sedium Galliae suppressionem, allegantes hoc esse prorsus inaudibile in Ecclesia, et omnibus regulis hucusque receptis contrarium; 3° conquerebantur ex eo quod in re tanti momenti, ad ipsos tam proxime pertinente, non fuissent consulti, quod sacrificium dimissionis a se exactum fuisset antequam dispositiones novi Concordati noscerent; 4° contra Articulos organicos iusurgebant, etc. His rationibus mox responsuri sumus.

Reclamationibus istis 36 episcoporum duo alii subscripserunt, scilicet *de Chambre*, episcopus Oïopensis *in partibus infidelium*, et *de la Tour*, episcopus Mollensis nominatus; sicque 38 erant subscriptiones. Reperiuntur etiam nomina episcoporum Tarbensis et Rivenensis; sed constat eos antea jam abdicasse.

Buonaparte, ex primo consule factus imperator, per senatus-consultum diei 18 maii 1804, coronari voluit a summo Ecclesiae capite. Pius VII, anxietatibus undique gravi er pressus, voluntati Imperatoris tandem annuit, ea praecipue intentione ut negotia religionis feliciter in Gallia promoveret.

Advenit Parisios die 28 novembris. Tunc exegit ut omnes episcopi qui schismati adhererant et de sinceritate suae retractationis merito erant suspecti, sequenti formulae absque ulla restrictione subscriberent: *Ego coram Deo, declaro et profiteor firmiter me adherere et subjectum esse iudiciis a sancta Sede et ab Ecclesia catholica, Apostolica et Romana prolatis circa negotia ecclesiastica in ecclesia Gallicana. Sanctitatem suam rogo ut Apostolicam suam benedictionem mihi concedere dignetur. Ipsi pertinaciores subscripserunt.*

Deinde summus Pontifex, iteratis vicibus, petiit ab Imperatore ut Articulos organicos revocaret aut saltem eos reformaret, ut efficacioribus mediis Ecclesiae Gallicanae necessitatibus subveniret, eamque meliori modo instauraret, etc.; sed frustra petiit et rogavit, nihil obtinuit. Tristis et dolens rediit Romam, ubi in secreta allocutione cum cardinalibus, die 26 junii 1805, varias itineris sui causas et circumstantias eis aperuit.

Vix sex elapsi erant menses, cum Gallicani milites, jussu Imperatoris, plures patrimonii Ecclesiae urbes intraverunt; omnimoda atque injustissima vexatione cepit urgeri sanctus Pontifex. Tunc graviter

turbata est et mox omnino destructa fuit concordia inter utramque potestatem. Napoleo, quascumque leges aequitatis contemnens, omnes Pontificis ditiones invasit, easque per decretum die 17 maii 1809 imperio suo adjunxit. Pius VII contra injustam et sacrilegam hanc spoliationem in faciem totius mundi solemniter reclamavit, die 6 julii, omnem pecuniariam compensationem ex parte Imperatoris indignans rejecit, eodem die longam dedit bullam excommunicationis contra auctores, fautores et executores violentiarum contra se et sanctam Sedem exercitarum: nullum tamen nominatim designabat; lieuit itaque, hac bulla non obstante, cum Napoleone in divinis communicare, et pro illo publice orare: sic responderunt plures cardinales super hoc consulti. Exinde Pontifex in dura detentus est captivitate, et omnes cardinales per varia Galliarum loca dispersi fuerunt.

Res ita se habuerunt usque ad annum 1814, quo, divina Providentia evidenter operante, in pristino statu restituta sunt. Statim nova tractari ceperunt negotia pro altero concordato inter summum Pontificem et Ludovicum XVIII ineundo. Conventio fuit terminata die 2 junii 1817....

§ II. — De secta quae dicitur LA PETITE ÉGLISE.

Plurima sub diversis guberniis successive praescripta fuerant juramenta, et erant fere omnia mala, schismatica, injusta aut impia, et ideo ab episcopis catholicis, a toto clero et ab ipso papa fuerant damnata. Omnes sacerdotes schismatici vulgo appellabantur jurati (*jureurs*); quia omnis participatio cum ipsis in divinis officiis strictissime prohibebatur, a solo nomine intrusorum, juratorum, juramenti et etiam Reipublicae abhorrebant fideles.

Quando prodit Concordatum anno 1801, viderunt in eo aliquod non tantum permitti, sed praescribi novum juramentum erga gubernium existens, pro consulibus et Republica publice in ecclesiis orandum esse, sacerdotes et episcopos in usus et juratos absque publica retractatione admitti et in novos episcopos vel parochos creari, multos fidei confessores suis sedibus dejici, titulis destitui, vetera instituta abrogari, bonorum ecclesiasticorum alienationes confirmari, etc., etc. Tunc magna dissidentia et quodam horrore adversus novum regimen istud praecipue occupati fuerunt.

Plures sacerdotes, ab omni juramento abhorrentes, contra Concordatum insurrexerunt, et fideles totis viribus a pastoribus juxta dictum Concordatum institutis retrahere ceperunt; dicebant enim illud esse quoddam monstrum totam religionem funditus subvertens: sequentibus praecipue nitentur rationibus.

1° Pius VII manifeste contra canones et essentialem Ecclesiae disciplinam egit, suam potestatem evidenter praetergressus est, ac proinde Concordatum est omnino nullum: unde omnes episcopi et parochi

ante Concordatum legitime instituti, adhuc sunt titulares, nisi titulo suo voluntarie renuntiaverint : qui e contra vi Concordati instituti fuerunt, sunt intrusi et nullam jurisdictionem habent.

2° Non licet communicare in divinis cum schismaticis, nisi prius schisma per retractationem publicam deseruerint ; id faciendum esse definiat et jusserat Pius VI : atqui jurati et intrusi ad sedes episcopales vel ad parochias nominati, juramentum non retractaverunt, nec ullo modo schismati renuntiaverunt ; quicumque igitur communicant cum illis in divinis, schismatis eorum sunt participes : porro omnes concordatarii episcopi, clerici et laici cum istiusmodi schismaticis mediate aut immediate communicant in divinis : ergo sunt omnes schismatici. Propterea nunquam licitum est eorum templa ingredi, nec ullam habere cum illis communionem in divinis.

3° Nulla est potestas in terra quæ mandatis Dei derogare possit : atqui papa, per Concordatum, septimo mandato Dei derogavit, permittendo ut honorum ecclesiasticorum usurpatores ea tuta conscientia secure deinceps possiderent.

4° Maxime nitebantur reclamationibus canonicis episcoporum.

Singulis his rationibus breviter respondemus.

1° Pius VII non servavit quidem formas canonibus præscriptas in deponendis episcopis, multo minus eas quæ, secundum libertates nostras, in Gallia forent necessariae : fatemur quod in tota historia ecclesiastica nullum hujus generis reperiatur factum. Attamen merito dici non potest summum Pontificem limites potestatis suæ prætergressum fuisse ; canones enim pro bono Ecclesiæ libere fuerunt conditi et ex natura sua non sunt immutabiles ; certe concilium generale eis derogare, eos suspendere, vel contra illos agere posset, si utilitati Ecclesiæ id expedire judicaret : at summus Pontifex, tanquam B. Petri successor et caput totius Ecclesiæ, id omne potest in extrema necessitate quod posset concilium generale. Hanc propositionem jam probavimus, et Bossuet eam expresse admittit. Porro ecclesia Gallicana in extrema erat necessitate tempore Concordati ; a decem annis cultus catholicus erat proscriptus ; multæ ecclesiæ erant viduæ ; pastores superstites erant exules ; innumeri sacerdotes jam mortui erant, multi singulis diebus moriebantur, nulli ordinabantur, nulla spes pro futuro affulgebat, neque ullæ scholæ neque seminaria existebant, tota generatio crescens, in morum corruptione, in odio contra religionem, in ignorantia justi et injusti educabatur, infatigabili zelo adhuc querebant impii sua incredulitatis principia circumquaque spargere et omnibus persuadere. Aliunde, schismatici episcopi adhuc exstantes conciliabulum Parisiis tenebant, et toti erant ut ecclesiam suam pene collapsam de novo instaurarent : maxima ergo pericula erant pro religione catholica in florentissimo Galliarum regno. Si Pius VII circumstantiam sibi oblatam rejecisset, timendum erat ne altera similis unquam occurreret, et de hac negligentia frustra postea

doleret. Nihil temere præcipitavit ; per undecim menses negotium protraxit, et quidquid in se erat tentavit ut meliores condiciones obtineret : ergo injustissimum esset dicere eum in hac conventionem, potestate sua abutendo, prævaricasse.

100 Episcopi, contra 38, mortui erant aut dimissionem suam summo Pontifici remiserant : ergo pro eorum saltem diœcesibus Concordatum effectum suum valide sortitum esse fateri coguntur adversarii.

2° Schismatici tenebantur quidem schismati suo renuntiare et juramentum retractare : sed forma retractationis est tantum juris ecclesiastici ; itaque variare potest, et reipsa sæpius variavit. Dicitur non potest, nisi insigni mala fide, Pium VII approbasse juramentum quod illustri ejus prædecessor damnaverat ; id patet ex supradictis.

Si autem retractatio quæ exigebatur, in pluribus sincera non fuerit, hæc hypocrisis vel obstinatio summo Pontifici tribui non potest, nec impedit quin missio eis concessa fuerit valida, ac licuerit cum illis communicare in divinis ; probavimus enim schismaticos et etiam hæreticos publicos, sed non denunciatos, jurisdictionis ecclesiasticæ esse capaces : si per schisma aut hæresim eam quam habent non amittant, pariter quam non habent valide suscipere possunt ; tuncque nulla erit obligatio eos vitandi, et, positus ponendis, sacramenta Ecclesiæ ab eis recipere licebit. Ergo.

Præterea, monstruosa est doctrina quæ totam Ecclesiam constitueret schismaticam : atqui talis est doctrina adversariorum ; qui enim communicant in divinis cum schismaticis vitandis, eo ipso fiunt schismatici : atqui juxta adversarios, veteres jurati sunt adhuc schismatici vitandi, et omnes qui cum eis communicant in divinis fiunt pariter schismatici : unde concludunt omnem clerum vi Concordati institutum, quem ideo vocant *concordatarium*, esse schismaticum, imo et hæreticum, quia errores Constitutionis civilis censetur approbare : quicumque ergo communicant in divinis cum clero functiones sacras nunc per universam Galliam exercente, fiunt eo ipso schismatici vel etiam forte hæretici ; at papa ejusque cardinales nobiscum in divinis communicant ; hoc factum manifestum est et a nemine negatur : ergo papa ipse est schismaticus et hæreticus, ut quidam dicere non erubuerunt de Pio VII ; idem sentire ac dicere debent de Leone XII, Pio VIII et Gregorio XVI, a cardinalibus schismaticis electis ; sed universus orbis catholicus cum eis communicavit. Ergo.

Insuper, si papa publicus sit hæreticus, vel etiam solummodo schismaticus, jam non est verum caput Ecclesiæ : atqui tamen universa Ecclesia eum ut talem agnoscit : universa igitur Ecclesia in perniciosissimum lapsa est errorem. Quinimo, tanto huic malo nullum sperandum est remedium : nam si papa sit schismaticus et hæreticus, cardinales sunt pariter schismatici et hæretici ; schismaticum igitur papam eligent et constituent. Quis, tantas absurditates audiens, eas patienter ferre potest ?

Si, e contra, papa, cardinales et ceteri Ecclesiae praesules non sint schismatici, nec tales erunt episcopi juxta Concordatum instituti, siquidem ab eis reputantur legitimi. Aliunde, si Pius VII legitimum fuerit totius Ecclesiae caput, legitimi sunt episcopi ab eo constituti; sic enim se habet concilium Tridentinum, sess. 23, can. 8: « Si quis dixerit episcopos qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum; ana-
 » thema sit. »

3° *Summus Pontifex*, per articulum XIII Concordati, *septimo Dei mandato non derogavit*. Fur, bonum alienum furando, contra illud mandatum peccat: at, domino liberam condonationem faciente, non peccat bonum istud retinendo. Porro summus Pontifex, videns impossibilitatem obtinendi restitutionem honorum ecclesiasticorum jam alienatorum, dominium eorum, pro hono pacis, ad acquirentes eorumque causam habentes, tanquam moderator totius Ecclesiae, transtulit: hinc ex iniustus facti sunt justi possessores, prout dicimus in Tractatu de Contractibus. Ergo.

4° *Valde immerito fautores novi schismatis reclamationibus canonicis 38 episcoporum nituntur*; nam illi episcopi maxima cum reverentia summo Pontifici loquebantur, illum ut legitimum B. Petri successorem habebant, unitatem communionis semper cum illo servaverunt, in Galliam redeantes cum novo clero publice communicaverunt, et tandem omnes, excepto uno, dimissionem suam libere concesserunt anno 1817, et ad novas sedes fuerunt nominati.

Solus O. de Themines, olim episcopus Blesensis, partes novatorum diu sustinuit et contendeat universalem se habere jurisdictionem per mundum universum, saltem per totam Galliam. Talis doctrina, huc usque prorsus inaudita, constanti Ecclesiae disciplinae, doctrinae et praxi omnino contraria, cerebrum annis debilitatum vel male constitutum denotabat: auctor ejus ante mortem eam retractavit, ut videre est apud *l'Ami de la Religion*, t. 62, p. 225.

Probavimus in Tractatu nostro simplices sacerdotes nullo modo iudices esse controversiarum quae circa religionem exsurgunt: atqui tamen in novo schismate simplices sacerdotes se constituunt iudices adversus papam, cardinales et cunctos qui existunt episcopos. Pluries damnati sunt, v. g. in Anglia an. 1808, in Hibernia an. 1809. D. Poynter, vicarius Apostolicus Londinensis, ab omnibus presbyteris Gallicanis in suo districtu residentibus exegit, an. 1818, ut per expressam declarationem testarentur se pontifici Romano Pio VII esse subjectos tanquam Ecclesiae capiti, se cum iis omnibus communicare qui eidem Pontifici per communionis vinculum sunt uniti: quicumque formulam sibi oblatam subscribere noluerunt, fuerunt interdicti. Summus Pontifex hanc agendi rationem laudavit per breve diei 16 septembris 1818, ad D. Poynter directum, eique mandavit suam intentionem esse omnes omnino praedictae formulae corde et animo,

absque ulla suppressione, mutatione vel restrictione, subscribere, vel ipsa facultate celebrandi Missam eos privari.

His non obstantibus, temere et audacter insurgunt illi sacerdotes contra episcopos eos improbant et damnantes, contra papam et universam Ecclesiam doctentem; ab omnibus separati sicut olim Luciferiani, gloriantur se catholicos esse. Nos vero pronuntiamus, sine ulla haesitatione, eos esse schismaticos, ab Ecclesia publice se junctos, omni jurisdictione destitutos, extra viam salutis positos et tantummodo ministerium mortis exercentes. Haec conclusio ex Tractatu nostro et ex modo dictis tam evidenter sequitur, ut supervacuum foret aliquid superaddere. Plurima prodierunt opuscula contra illam sectam *la petite Eglise*; inter ea eminentem tenet locum opus cui titulus: *Jugement de l'Eglise catholique contre les nouveaux schismatiques de France, par un ancien vicaire general*; in-8°, Paris, 1821.

COMPENDIUM HISTORICUM III.

DE CONCILIIIS GENERALIBUS.

I^{um} est concilium Nicænum I, anno 325 coram imperatore Constantino celebratum, cui papa S. Sylvester praefuit per suos legatos Osius, Cordubensem episcopum, et duos presbyteros: 318 aderant episcopi ex variis orbis partibus congregati, quorum plurimi gloriosi erant confessores et multa pertulerant tormenta sub Diocletiano et Licinio. In hoc concilio damnata est haeresis Arii, et contra Quartodecimanos statutum est Pascha deinceps ubique celebrandum fore dominica quae lunam quartamdecimam martii proxime sequitur. Nonnulli alii errores proscripti sunt, et quidam conditi sunt canones disciplinae.

Anno 347, habita est synodus Sardicensis, sub imperatoribus Constante et Constantio; illi adhuc praefuit Osius, nomine papae Julii I, cum duobus presbyteris: 341 adfuerunt episcopi, qui plurimos condiderunt disciplinae canones. Haec synodus velut concilii Nicæni appendix reputatur, et ideo ejus canones indiscriminatim vocantur Sardicensis et Nicæni.

II^{um} est concilium Constantinopolitanum I, quod sub Damaso papa fuit convocatum, anno 384, imperante Theodosio seniore: 450 episcopi, omnes Orientales, concilium illud componebant: sed papa et tota Ecclesia illud approbavit, sicque, juxta omnes, factum est oecumenicum. In eo definita est divinitas Spiritus sancti contra Macedonium, episcopum Constantinopolitanum, et conditum est Symbolum quod nunc intra Missam cantatur, cui postea adjecta est vox *Filioque*.

III^{um} est concilium Ephesinum, sub papa Caestino et Theodosio juniore celebratum, anno 444: 200 in illo aderant episcopi, quibus

Si, e contra, papa, cardinales et ceteri Ecclesiae praesules non sint schismatici, nec tales erunt episcopi juxta Concordatum instituti, siquidem ab eis reputantur legitimi. Aliunde, si Pius VII legitimum fuerit totius Ecclesiae caput, legitimi sunt episcopi ab eo constituti; sic enim se habet concilium Tridentinum, sess. 23, can. 8: « Si quis dixerit episcopos qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum; ana-
 » thema sit. »

3° *Summus Pontifex*, per articulum XIII Concordati, *septimo Dei mandato non derogavit*. Fur, bonum alienum furando, contra illud mandatum peccat: at, domino liberam condonationem faciente, non peccat bonum istud retinendo. Porro summus Pontifex, videns impossibilitatem obtinendi restitutionem honorum ecclesiasticorum jam alienatorum, dominium eorum, pro hono pacis, ad acquirentes eorumque causam habentes, tanquam moderator totius Ecclesiae, transtulit: hinc ex iniustus facti sunt justi possessores, prout dicimus in Tractatu de Contractibus. Ergo.

4° *Valde immerito fautores novi schismatis-reclamationibus canonicis 38 episcoporum nituntur*; nam illi episcopi maxima cum reverentia summo Pontifici loquebantur, illum ut legitimum B. Petri successorem habebant, unitatem communionis semper cum illo servaverunt, in Galliam redeantes cum novo clero publice communicaverunt, et tandem omnes, excepto uno, dimissionem suam libere concesserunt anno 1817, et ad novas sedes fuerunt nominati.

Solus O. de Themines, olim episcopus Blesensis, partes novatorum diu sustinuit et contendeat universalem se habere jurisdictionem per mundum universum, saltem per totam Galliam. Talis doctrina, huc usque prorsus inaudita, constanti Ecclesiae disciplinae, doctrinae et praxi omnino contraria, cerebrum annis debilitatum vel male constitutum denotabat: auctor ejus ante mortem eam retractavit, ut videre est apud *l'Ami de la Religion*, t. 62, p. 225.

Probavimus in Tractatu nostro simplices sacerdotes nullo modo iudices esse controversiarum quae circa religionem exsurgunt: atqui tamen in novo schismate simplices sacerdotes se constituunt iudices adversus papam, cardinales et cunctos qui existunt episcopos. Pluries damnati sunt, v. g. in Anglia an. 1808, in Hibernia an. 1809. D. Poynter, vicarius Apostolicus Londinensis, ab omnibus presbyteris Gallicanis in suo districtu residentibus exegit, an. 1818, ut per expressam declarationem testarentur se pontifici Romano Pio VII esse subjectos tanquam Ecclesiae capiti, se cum iis omnibus communicare qui eidem Pontifici per communionis vinculum sunt uniti: quicumque formulam sibi oblatam subscribere noluerunt, fuerunt interdicti. Summus Pontifex hanc agendi rationem laudavit per breve diei 16 septembris 1818, ad D. Poynter directum, eique mandavit suam intentionem esse omnes omnino praedictae formulae corde et animo,

absque ulla suppressione, mutatione vel restrictione, subscribere, vel ipsa facultate celebrandi Missam eos privari.

His non obstantibus, temere et audacter insurgunt illi sacerdotes contra episcopos eos improbant et damnantes, contra papam et universam Ecclesiam docenteam; ab omnibus separati sicut olim Luciferiani, gloriantur se catholicos esse. Nos vero pronuntiamus, sine ulla haesitatione, eos esse schismaticos, ab Ecclesia publice se junctos, omni jurisdictione destitutos, extra viam salutis positos et tantummodo ministerium mortis exercentes. Haec conclusio ex Tractatu nostro et ex modo dictis tam evidenter sequitur, ut supervacuum foret aliquid superaddere. Plurima prodierunt opuscula contra illam sectam *la petite Église*; inter ea eminentem tenet locum opus cui titulus: *Jugement de l'Église catholique contre les nouveaux schismatiques de France, par un ancien vicaire général*; in-8°, Paris, 1821.

COMPENDIUM HISTORICUM III.

DE CONCILIIIS GENERALIBUS.

I^{um} est concilium Nicænum I, anno 325 coram imperatore Constantino celebratum, cui papa S. Sylvester praefuit per suos legatos Osium, Cordubensem episcopum, et duos presbyteros: 318 aderant episcopi ex variis orbis partibus congregati, quorum plurimi gloriosi erant confessores et multa pertulerant tormenta sub Diocletiano et Licinio. In hoc concilio damnata est haeresis Arii, et contra Quartodecimanos statutum est Pascha deinceps ubique celebrandum fore dominica quae lunam quartadecimam martii proxime sequitur. Nonnulli alii errores proscripti sunt, et quidam conditi sunt canones disciplinae.

Anno 347, habita est synodus Sardicensis, sub imperatoribus Constante et Constantio; illi adhuc praefuit Osius, nomine papae Julii I, cum duobus presbyteris: 341 adfuerunt episcopi, qui plurimos condiderunt disciplinae canones. Haec synodus velut concilii Nicæni appendix reputatur, et ideo ejus canones indiscriminatim vocantur Sardicensis et Nicæni.

II^{um} est concilium Constantinopolitanum I, quod sub Damaso papa fuit convocatum, anno 384, imperante Theodosio seniore: 450 episcopi, omnes Orientales, concilium illud componebant: sed papa et tota Ecclesia illud approbavit, sicque, juxta omnes, factum est oecumenicum. In eo definita est divinitas Spiritus sancti contra Macedonium, episcopum Constantinopolitanum, et conditum est Symbolum quod nunc intra Missam cantatur, cui postea adjecta est vox *Filioque*.

III^{um} est concilium Ephesinum, sub papa Caestino et Theodosio juniore celebratum, anno 444: 200 in illo aderant episcopi, quibus

præerat, nomine summi Pontificis, S. Cyrillus Alexandrinus. In eo damnatus est Nestorius, qui docebat duas in Christo esse personas, B. Mariam virginem non esse Deiparam, nec proinde dici posse Dei matrem, sed Christi tanquam hominis.

IV^{um} est concilium Chalcedonense, anno 451 celebratum sub Marciano imperatore et S. Leone Magno qui illi per legatos præfuit : 306 aderant episcopi, juxta *Fleury*, et multo plures secundum alios, ut videre est apud *Tillemont*. In eo 1^o damnatus est error Eutycheus celebris monasterii Constantinop. abbatis, qui contra Nestorium fortiter pugnans docuerat unicam in Christo esse naturam ; 2^o irrita et impia declarata est definitio opposita *latrociniæ Ephesini*; 3^o Dioscorus patriarcha Alexandrinus, qui dicto *latrociniæ* præfuerat, e sede fuit dejectus; 4^o Theodoretus et Ibas, in eodem conciliabulo injuste depositi, sedibus suis fuerunt restituti; 5^o 28 conditi sunt canones ad disciplinam spectantes, quorum unus secundum gradum honoris patriarchæ Constantinop. tribuebat. Hunc canonem S. Leo approbare noluit.

V^{um} concilium generale fuit Constantinop. II, anno 553 convocatum, sub papa Virgilio et imperatore Justiniano, ad definiendam famosissimam quæstionem de *tribus Capitulis*. In illo 165 erant episcopi Orientales. Papa Virgilius illi adesse noluit, quamvis tunc esset Constantinopoli. Attamen illud concilium ab Occidentalibus fuit admissum, et ab omnibus ut œcumenicum agnoscitur.

VI^{um} est Constantinop. III, sub Constantino Pogonato habitum, anno 660. Illi per legatos præfuit Agatho, summus Pontifex : 289 aderant episcopi. Causa convocationis fuit hæresis Monothelitarum quæ tunc proscripta est. Nulli canones disciplinæ in illo concilio fuerunt conditi.

Propterea aliud celebratum est concilium Constantinopoli, anno 692, cui 213 adfuerunt episcopi, et in quo 102 canones de disciplina constituti sunt : unde concilium istud vocatur *Quinisextum*, quia est velut supplementum ad quintam et sextam synodum generalem : dicitur etiam concilium in *Trullo*, quia celebratum est in magna palatii aula quæ appellabatur *Trullum*. Canones hujus concilii nunquam fuerunt approbati in ecclesia Occidentali.

VII^{um} concilium generale est Nicænum II. Celebratum est anno 787, imperantibus in Oriente Irene et filio ejus Constantino. Adrianus I, summus Pontifex, illi per legatos suos præfuit; 350 aderant episcopi Orientales. In eo assertus est cultus sacrarum imaginum, et proscriptus error Iconoclastarum.

VIII^{um} est Constantinop. IV, quod anno 869, tempore Basilii imperatoris, fuit convocatum, sub Adriano II, qui per legatos ei præfuit, ad deponendum Photium et restituendum patriarcham Ignatium a sede sua injuste projectum ; 102 ibi sedebant episcopi. Deposuerunt Photium, anathema ei dixerunt, et plures canones de disciplina condiderunt.

Concilium istud a Græcis nunc existentibus non admittitur, contendunt illud fuisse abrogatum in conciliabulo anno 883 celebrato per ipsum Photium, qui de novo post mortem Ignatii sedem invasit.

Hæc sunt octo concilia œcumenica quæ ante schisma Græcorum celebrata sunt, et omnia in Oriente; cætera in Occidente habita sunt.

IX^{um} concilium generale fuit Lateranense I, sic dictum, sicut tria sequentia, quia in basilica Lateranensi fuit celebratum, anno 1123 : 300 adfuerunt episcopi, Calixtus II ipse præses fuit. Præcipue congregatum fuit ad confirmandam abrogationem *investiturarum*, contra quas tamen vehementer insurrexerunt Gregorius VII et ejus successores Victor III, Urbanus II, Felix II, Paschalis II, Gelasius II et Calixtus II. De investituris longe et scite scripsit P. Alexander, Hist. Eccl. XII sæculo, dissert. 4.

Actum est etiam in illo concilio de Palæstina et Hispania a tyrannide infidelium liberandis, nec non de restauranda disciplina ecclesiastica fere ubique variis schismaticorum factionibus collapsa.

X^{um} concilium generale est Lateranense II, anno 1149, sub imperatore Lothario et Innocentio II præside celebratum. Mille circiter aderant episcopi. Causæ illius convocationis fuerunt, 1^o extinctio schismatis antipapæ Leonis seu Anacleti II; 2^o extirpatio hæresis discipulorum Petri de *Cruis*, qui Petrobrusiani vocabantur, et Arnaldistarum, id est discipulorum *Arnaud de Bresse*; 3^o restauratio disciplinæ, circa quam 28 conditi sunt canones.

XI^{um} fuit concilium Lateranense III, habitum anno 1179, sub imperatore Frederico I et papa Alexandro III, qui illi præfuit : 500 aderant episcopi. In eo damnati sunt errores Catharorum, Albigenisium et Valdensium, atque multi editi sunt disciplinæ canones.

XII^{um} est concilium Lateranense IV, anno 1215 convocatum ab Innocentio III qui illi præfuit, Henrico II imperante. Adfuerunt 412 episcopi, omnes Patriarchæ Orientales Latini per se vel per legatos suos, innumeri abbates, 800 procuratores prælatorum absentium, omnium principum Christianorum legati; nunquam talis visus fuerat cætus; ideo concilium istud vocatur Magnum concilium Lateranense. Actum est in illo 1^o de recuperanda Terra Sancta a Sarracenis iterum possessa ab anno 1187; 2^o de reprimendis nefandis Albigenisium excessibus; 3^o de restauranda disciplina : ad hoc obtinendum 62 conditi sunt canones, inter quos ille : *Omnis utriusque sexus*, etc. de confessione annua proprio sacerdoti facienda, et de communione Paschali.

XIII^{um} concilium generale est Lugdunense I, anno 1245 habitum, cui præfuit Innocentius IV, aderat *Beaudoin*, imperator Constantinopolitanus, 140 episcopi et pauci principum Christianorum legati.

In prima actione hujus concilii Innocentius IV aperuit causam illius convocationis, scilicet 1^o Status ecclesiastici afflictionem et devastationem ex parte imperatoris Frederici; 2^o schisma Græcorum extinguendum; 3^o cladem a Sarracenis Hierosolymis illatam; 4^o irruptio-

nem Tartarorum in terras Christianorum; 5^o Frederici crimina. In secunda actione auditus est Thadæus *de Sesse*, minister Imperatoris et ejus defensor in concilio. In tertia actione sententiam depositionis pronuntiavit Innocentius IV contra Fredericum. Renovatum est etiam decretum de sacra expeditione contra Sarracenos, et 17 conditi sunt disciplinae canones

Quidam de œumenicitate illius concilii dubitant. Vide *Tournely*, t. 2. Attamen communiter ut generale habetur.

XIV^{um} est concilium Lugdunense II. Celebratum fuit anno 1274, sub Gregorio X qui illi præfuit. Aderant 15 cardinales, 2 patriarchæ, nempe Constantinop. et Antiochenus, plus quam 500 episcopi, permulti abbates, multorum regum et principum legati: plurimi vocati sunt etiam theologi, inter quos S. Thomas Aquinas, qui dum ad concilium pergeret mortuus est, et S. Bonaventura qui durante concilio pariter mortuus est.

Præcipue actum est in illo, 1^o de schismate Græcorum, qui cum Latinis reconciliati sunt in quarta sessione; 2^o de auxilio Christianis ferendo adversus Infideles; de disciplina reformanda, pro qua 30 conditi sunt canones; 4^o de modo quo, papa defuncto, celerrime novi Pontificis fieret electio: quatuor quippe annis vacaverat sancta Sedes, inter Clementem IX. et Gregorium X. Infinita inde nata erant mala. Tunc statutum est quod, post exsequias defuncti Pontificis, cardinales concluderentur in *conclavi* et inde non exirent quin prius papam elegerent.

XV^{um} concilium generale est Viennense anno 1314, sub Clemente V celebratum. Aderant 300 episcopi cum cardinalibus, duobus patriarchis, Alexandrino scilicet et Antiocheno, et innumeris abbatibus. Adfuerunt etiam rex Galliarum, Philippus *le Bel* cum tribus suis filiis, Eduardus II rex Angliarum, et multi aliorum principum oratores.

In illo concilio, 1^o extinctus est ordo militaris Templariorum; 2^o damnati sunt errores Fratricellorum, Beguardorum et Beguinarum; 3^o decreta fuit nova expeditio pro Terra Sancta recuperanda; 4^o variæ editæ sunt constitutiones de disciplina quæ *Clementinæ* vocantur.

XVI^{um} est concilium Constantiense, anno 1414 celebratum, ad magnum et luctuosum Occidentis schisma extinguendum. Galli contendunt totum illud concilium esse œumenicum. Ultramontani vero et generatim alii theologi illud ut tale non habent nisi pro ultimis sessionibus quas Martinus V legitime electus approbavit. Vide Bellarminum lib. 4 de Conc., c. 7.

In illo concilio, 1^o damnati sunt errores Wiclefitarum et Hussitarum; 2^o approbata est communio sub unica specie, pro non celebrantibus; 3^o varios disciplinae articulos, sacro approbante concilio, promulgavit Martinus V.

XVII^{um} concilium Basileense a Martino V convocatum, anno 1431 sub Eugenio II habitum, spatio undecim annorum duravit, et qua-

draginta quinque sessionibus fuit absolutum; sed quædam divisionis species semper existit inter patres hujus concilii et Eugenium IV, qui per legatum suum tamen illi præfuit usque ad vigesimam nonam sessionem. Saltem ab illa sessione, juxta omnes, non est œumenicum; at Galli illud habent ut vere œumenicum usque ad sessionem istam, aut saltem usque ad decimam sextam, anno 1434 habitam, quo tempore Eugenius voluit illud Bononiam transferre. Sed « hujus concilii » nihil est ratum et probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia, quæ a concilio factæ fuerant, quas (pacis et unitatis gratia) » Nicolaus V approbavit. Concilium vero ipsum reprobatum in concilio » Lateranensi ultimo, sessione undecima. » Sunt verba Bellarmini de Conc. l. 4, cap. 7.

In primis sessionibus illis varia constituta sunt disciplinae decreta, quæ magna ex parte a summo Pontifice non fuerunt approbata.

XVIII^{um} est concilium Florentinum, ad ecclesiam Græcam cum Latina reconciliandam præcipue convocatum. Celebrari cœpit Ferrariæ, anno 1438, ibique sexdecim habitæ sunt sessiones. Anno sequenti Eugenius IV illud, ob pestem grassantem, transtulit Florentiam ubi, post novem alias sessiones, illud feliciter absolvit.

140 aderant episcopi, cum patriarcha Constantinop. et aliorum patriarcharum legatis: aderat etiam imperator Græcorum, Joannes Palæologus. Post longam discussionem facta est unio utriusque ecclesie Græcæ et Romanæ; sed cito hæc unio a Græcis in patriam reversis fuit disrupta.

Anno 1512, sub Leone X, celebratum est concilium Lateranense V quod ab omnibus præter Gallos habetur ut œumenicum: 114 aderant episcopi. Causa illud convocandi fuit, 1^o extinctio schismatis inter Julium II et Ludovicum XII, Galliarum regem, eminentis; 2^o morum reformatio, pax inter principes Christianos restauranda, et sacra expeditio in Terram Sanctam promovenda.

XIX^{um} est celeberrimum concilium Tridentinum, a Paulo III convocatum, 1^o ad vindicandam fidem catholicam adversus Lutherum, Zuingli aliorumque reformatorum errores; 2^o ad firmandam pacem et concordiam inter principes Christianos; 3^o ad restituendam Ecclesie disciplinam, per hæresim et bella plurimum labefactatam.

Inceptum anno 1545, variis de causis suspensum et interruptum, tandem absolutum est anno 1563, sub Pio IV.

Nullum unquam existit concilium in quo tot et tantæ quæstiones tamque scite fuerint examinatae et enucleatae; in quo tot lata fuerint fidei decreta, totque disciplinae et reformationis capita fuerint statuta. Unde merito habetur velut quoddam totius doctrinæ Christi compendium et disciplinae ecclesiasticæ codex. Omnes sacerdotes et clerici viri illud præ manibus jugiter habere debent.

INDEX.

	Paginae.
MONITUM.....	V
THEOLOGIE PROLEGOMENA.....	4

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE.

PARS PRIMA.

De Religione revelata in genere.....	12
CAPUT. I. De revelationis possibilitate.....	13
PROPOSITIO I. Deus homines alloqui potest.....	<i>ib.</i>
PROP. II. Deus, ex hypothesi quod aliquid revelare velit, singulis hominibus immediate loqui non tenetur, sed potest illud manifestare quibusdam electis quorum ope alios doceat.....	14
PROP. III. Deus potest revelare veritates captum mentis nostrae superantes.....	16
PROP. IV. Deus nova praecepta legi naturali addere potest.....	21
CAP. II. Qua methodo inquirenda sit revelationis existentia.....	22
PROP. In inquisitione revelationis sola via auctoritatis admittenda est.....	<i>ib.</i>
CAP. III. De characteribus quibus existentia revelationis certo constare potest.....	26
ARTICULUS I. De Miraculis.....	28
§ I. Quid sit miraculum.....	<i>ib.</i>
§ II. An miraculum sit possibile.....	30
PROP. Miraculum, prout illud definivimus, est possibile.....	<i>ib.</i>
§ III. An miraculum, certo cognosci possit.....	31
PROP. Miraculum certo cognosci potest.....	<i>ib.</i>
§ IV. An miracula habeant vim probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur.....	33
PROP. Miracula certo existentia vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur.....	<i>ib.</i>
ART. II. De prophetiis.....	41
PROP. I. Prophetia est possibilis.....	42
PROP. II. Prophetiarum existentia certo cognosci potest.....	<i>ib.</i>
PROP. III. Prophetiae vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus confirmationem eduntur.....	43

PARS SECUNDA.

De religione Judaica.....	46
CAP. I. De religione primæva.....	<i>ib.</i>

INDEX.

501

	Paginae.
PROP. I. Prima religio non fuit polytheismus, sed theismus.....	47
PROP. II. Deus ab initio hominem cognitionibus positivis instruxit, et religionem ei revelavit.....	<i>ib.</i>
CAP. II. De veritate religionis Judaicæ.....	50
ART. I. De authenticitate Pentateuchi.....	<i>ib.</i>
PROP. Pentateuchus est genuinum Moysis opus, et eo tempore ad quod refertur fuit scriptus.....	51
ART. II. De integritate Pentateuchi.....	60
PROP. Pentateuchus nullam subit mutationem essentialem sive in doctrina, sive in factis.....	<i>ib.</i>
ART. III. de veritate Pentateuchi.....	66
PROP. I. Vera sunt facta quæ in quatuor posterioribus Pentateuchi libris describuntur.....	67
PROP. II. Vera sunt facta quæ in Genesi narrantur.....	73
I. Narratio Moysis constitutioni terræ a geologis recognita non adversatur.....	78
II. Diluvium in cap. VII Genesis descriptum novis geologorum observationibus non adversatur.....	80
III. Unitas speciei humanæ cum vera scientia conciliari potest.....	86
IV. Chronologiæ populorum bene intellectæ, narrationi Moysis non adversantur.....	88
ART. IV. De cæteris Veteris Testamenti libris.....	95
PROP. Cæteri libri Veteris Testamenti omni fide sunt digni.....	<i>ib.</i>
CAP. III. De divinitate religionis Judaicæ.....	96
PROP. Divina est religio Mosaica.....	97
CAP. IV. De duratione religionis Mosaicæ.....	114
ART. I. An religio Mosaica abrogari debuerit.....	<i>ib.</i>
PROP. I. Religio Mosaica non erat in perpetuum duratura, sed in ordine divinatorum decretorum abrogari debuit.....	115
PROP. II. Legi per Moysen promulgatæ novum fœdus substituendum erat.....	116
PROP. III. Fœdus novum per aliquem mediatorem erat institutum.....	<i>ib.</i>
ART. II. An religio Mosaica de facto sit abrogata.....	117
PROP. Jam dudum abrogatam esse religionem Mosaicam, ex ipso solo actuali Judæorum statu, evidenter demonstratur.....	<i>ib.</i>
§ I. De prophetia Jacob.....	119
PROP. Ex memorata Jacob prophetia clare probatur Messiam jam a multo tempore advenisse.....	<i>ib.</i>
§ II. De prophetia Danielis.....	124
PROP. Ex prophetia Danielis demonstratur jam advenisse Messiam.....	125
§ III. De prophetiis Aggæi et Malachiæ.....	127
PROP. Ex duabus Aggæi et Malachiæ prophetiis constat præteritum esse tempus quo venire debuit Messias.....	128

PARS TERTIA.

	Pagin.
De religione Christiana.....	431
CAP. I. De veritate religionis Christianæ.....	<i>ib.</i>
ART. I. De librorum Novi Testamenti authenticitate.....	<i>ib.</i>
PROP. Libri Novi Testamenti ab eis scripti sunt auctoribus quibus attribuuntur, et eo tempore ad quod referuntur.....	432
ART. II. De librorum Novi Testamenti integritate.....	438
PROP. Libri Novi Testamenti nullam subierunt mutationem essentialiorem ab Apostolis usque ad nos, quoad facta vel doctrinam.....	<i>ib.</i>
ART. III. De librorum Novi Testamenti veritate.....	443
PROP. Libri Novi Testamenti sunt veri.....	444
CAP. II. De divinitate religionis Christianæ.....	453
ART. I. De divinitate religionis Christianæ adversus Judæos.....	456
§ I. De oraculis Prophetarum Veteris Testamenti, quos agnoscunt et venerantur Judæi.....	<i>ib.</i>
ARG. 1. — Ex oraculis Jacob, Danielis, Aggæi et Malachiæ.....	<i>ib.</i>
De prophetia Jacob.....	<i>ib.</i>
De prophetia Danielis.....	457
De Aggæi et Malachiæ prophetiis.....	460
ARG. 2. — Ex prophetiis quæ Messie originem et nativitatem respiciunt.....	461
ARG. 3. — Ex prophetiis quæ ad vitam, passionem et mortem Messie spectant.....	463
ARG. 4. — Ex prophetiis quæ Messie resurrectionem, triumphum et gentium conversionem prænuntiant.....	<i>ib.</i>
§ II. De comparatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis.....	465
PROP. Miracula Christi non minus sunt certa quam miracula Moysis.....	<i>ib.</i>
§ III. De mira connexione religionis Christianæ cum religione Mosaica.....	468
§ IV. De ultima clade Judæorum et præsentis eorum statu.....	469
PROP. Ex ultima clade Judæorum et præsentis eorum statu probatur divinam esse religionem Christianam.....	<i>ib.</i>
ART. II. De divinitate religionis Christianæ adversus incredulos.....	474
§ I. De prophetiis Christi.....	475
PROP. Divinitas religionis Christianæ probatur ex prophetiis a Christo editis.....	<i>ib.</i>
§ II. De miraculis Christi et Apostolorum.....	476
PROP. Ex miraculis Christi et Apostolorum invictè probatur religionem Christianam esse divinam.....	477
§ III. De Christi resurrectione.....	480
PROP. Ex resurrectione Christi invictè demonstratur religionem Christianam esse divinam.....	<i>ib.</i>
§ IV. De excellentia doctrinæ Christi.....	494

PROP. Ex præcellentia doctrinæ Christi demonstratur religionis ejus divinitas.....	194
§ V. De mira religionis Christianæ propagatione.....	196
PROP. Divinitas religionis Christianæ ex mira ejus propagatione invictè demonstratur.....	197
§ VI. De numero et fortitudine martyrum qui pro Christo sanguinem fuderunt.....	202
PROP. Divinitas religionis Christianæ ex numero et fortitudine martyrum demonstratur.....	<i>ib.</i>
APPENDIX HISTORICA DE SAMARITANIS.....	208
APPENDIX HISTORICA DE MAHOMETISMO.....	214

TRACTATUS DE VERA ECCLESIA CHRISTI.

I CAPUT PRÆVIUM. De genere argumentorum quibus in præsentis tractatus decursu utendum est.....	249
ART. I. De Scriptura sacra.....	220
ART. II. De traditione.....	<i>ib.</i>
PROP. Traditio est via tutissima qua doctrina Christi et Apostolorum usque ad nos certo pervenire potest.....	<i>ib.</i>
II CAP. PRÆV. De notione Ecclesiæ.....	224
III CAP. PRÆV. De necessitate adhærendi veræ Ecclesiæ.....	225
PROP. Qui scienter, aut saltem ex ignorantia invincibili, extra veram Ecclesiam morantur et decedunt, salutem æternam obtinere nequeunt.....	<i>ib.</i>

PARS PRIMA.

De notis veræ Ecclesiæ.....	226
CAP. I. De notis veræ Ecclesiæ existentia.....	227
ART. I. De falsis notis a Protestantibus assignatis.....	228
PROP. Recta doctrinæ Christi prædicatio et legitima sacramentorum administratio immerito assignantur ut notæ Ecclesiæ.....	<i>ib.</i>
ART. II. De veris Ecclesiæ notis.....	230
§ I. De unitate Ecclesiæ.....	<i>ib.</i>
PROP. I. Distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium a <i>Jurieu</i> excogitata, admitti non potest, ac proinde ruit ipsius systema.....	232
PROP. II. Unitas Ecclesiæ Christi essentialis consistit in professione ejusdem doctrinæ, ita ut minima hæresis a via salutis per se excludat.....	239
PROP. III. Invariabilis est Ecclesia in fide sua.....	241
PROP. IV. Vera Christi Ecclesia ita est una ratione regiminis, ut a via salutis excludantur schismatici, etiamsi in doctrina non errent.....	<i>ib.</i>
PROP. V. Vera Ecclesia non tantum unitatem facti, tum doctrinæ, tum regiminis, sed et unitatem juris necessario habet.....	243

	Pagin.
§ II. De sanctitate Ecclesiae.....	243
§ III. De catholicitate Ecclesiae.....	244
PROP. I. Vera Christi Ecclesia debet esse catholica seu universalis.....	245
PROP. II. Vera Christi Ecclesia debet esse perpetuo catholica.....	247
PROP. III. Ecclesia non tantum successive, sed simultanee catholica esse debet.....	248
PROP. IV. Ut Ecclesia Christi sit catholica, sufficit quod per magnam orbis partem diffundatur.....	249
PROP. V. Necessè est ut vera Ecclesia cæteras societates christianas diffusionè sua vincat.....	250
Visibilitas Ecclesiae.....	<i>ib.</i>
Ecclesiae indefectibilitas.....	251
§ IV. De apostolice Ecclesiae.....	252
PROP. I. Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione doctrinæ.....	<i>ib.</i>
PROP. II. Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione ministerii.....	<i>ib.</i>
CAP. II. De notarum veræ Ecclesiae applicatione.....	255
ART. I. Utrum societas Protestantium vera sit Christi Ecclesia.....	256
PROP. I. Protestantes non habent unitatem veræ Ecclesiae Christi essentialè.....	<i>ib.</i>
PROP. II. Protestantes non habent sanctitatem veræ Ecclesiae Christi essentialè.....	257
PROP. III. Protestantes non habent catholicitatem veræ Ecclesiae promissam.....	258
PROP. IV. Protestantes Apostolicitatem Ecclesiae Christi essentialè non habent.....	260
PROP. V. Protestantes vere sunt schismatici.....	263
PROP. VI. Non tantum schismatici, sed hæretici sunt Protestantes.....	266
ART. II. Utrum Ecclesia Græca sit vera Ecclesia.....	<i>ib.</i>
PROP. Ecclesia Græca non est vera Christi Ecclesia.....	267
ART. III. Utrum Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia.....	269
PROP. I. Ecclesia Romana habet unitatem veræ Ecclesiae necessariam.....	<i>ib.</i>
PROP. II. Ecclesia Romana vere est sancta.....	272
PROP. III. Ecclesia Romana est catholica.....	277
PROP. IV. Ecclesia Romana vere est Apostolica ratione doctrinæ.....	280
PROP. V. Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii.....	281

PARS SECUNDA.

De auctoritate Ecclesiae.....	288
CAP. I. De auctoritatis Ecclesiae existentia et qualitate.....	<i>ib.</i>
PROP. I. In Ecclesia existere debet supremus controversiarum fidei iudex.....	289

	Pagin.
PROP. II. Supremus ille controversiarum iudex debet esse obvius, clarus, communis et infallibilis.....	289
PROP. III. Scriptura sacra spiritu privato interpretata, non est supremus controversiarum fidei iudex; nec tutissima et sufficiens fidei regula, ut volunt protestantes.....	291
PROP. IV. Spiritus privatus, quocumque donetur nomine, sive inspirationis, sive illuminationis, sive gustus, legitimus esse non potest controversiarum fidei iudex, aut regula tutissima, ad sensum protestantium.....	299
PROP. V. Christus instituit in Ecclesia corpus docens, cui competit jus controversias circa fidem infallibiliter dirimendi; sicque sola admittenda est via auctoritatis.....	302
Differentia inter modum quo ad fidem per examen privatum deveniendum esset, et modum quo ad eum per viam auctoritatis ducimur.....	308
CAP. II. De his in quibus residet auctoritas Ecclesiae.....	324
PROP. I. Plebs Christiana nullo modo est particeps jurisdictionis ecclesiasticæ et potestatis dirimendi controversias circa fidem.....	325
PROP. II. Principes sæculares nullam habent auctoritatem in Ecclesia jure proprio.....	327
PROP. III. Simples presbyteri non sunt jure divino controversiarum fidei iudices.....	330
PROP. IV. Simples presbyteri non sunt necessarii fidei testes et episcoporum consillarii.....	338
PROP. V. In propria sua diocesi simples presbyteri jus non habent causas fidei judicandi et leges ferendi, nec necessario sunt episcopi consultores.....	339
CAP. III. De modo quo auctoritas Ecclesie docentis exerceri debet, ut illius decisio sit infallibilis.....	344
ART. I. De unanimitate episcoporum ut sententia eorum sit infallibilis.....	<i>ib.</i>
PROP. Pars notorie major episcoporum summo Pontifici conjuncta, infallibilis est in decisionibus fidei, licet quidam episcopi ex adverso reclamant, nec nominatim excommunicentur.....	346
ART. II. An episcopi per orbem sparsi controversias circa fidem infallibiliter dirimere possint.....	347
PROP. Episcopi per orbem dispersi, summo Pontifici juncti, quascumque fidei controversias, sive claras, sive obscuras infallibiliter judicant, seu infallibiles sunt in omnibus decisionibus suis.....	348
ART. III. Utrum ad infallibile fidei iudicium expressus requiratur episcoporum consensus, an vero tacitus sufficiat.....	352
PROP. Quoties dogma aliquod a Romano pontifice definitum ad omnes episcopos dirigitur, et nulla alicujus pondris exurgit eorum reclamatio, tunc tacitus omnium moraliter consensus necessario est præsumendus, et infallibilis est definitio.....	<i>ib.</i>

	Pagin.
ART. IV. De condemnatione propositionum <i>in globo</i>	356
PROP. Ecclesia est infallibilis damnatione propositionum <i>in globo</i> . <i>ib.</i>	
ART. V. Quænam sit auctoritas conciliorum seu Ecclesiæ congregatæ.....	360
§ I. De jure quo instituta sunt concilia œcumenica.....	<i>ib.</i>
§ II. De conditionibus requisitis ut concilia sint œcumenica et legitima.....	361
§ III. De auctoritate concilii generalis.....	363
PROP. Decreta concilii œcumenici sunt infallibilia.....	<i>ib.</i>
§ IV. De necessitate conciliorum generalium.....	369
§ V. De conciliis particularibus.....	370
CAP. IV. De objecto auctoritatis Ecclesiæ.....	371
ART. I. De auctoritate Ecclesiæ circa mores.....	372
PROP. Infallibilis est Ecclesia in decretis morum totius Ecclesiæ communium et ad salutem necessariorum.....	<i>ib.</i>
ART. II. De auctoritate Ecclesiæ circa disciplinam.....	373
PROP. Ecclesia errare non potest in statuenda disciplina generali.....	374
ART. III. De auctoritate Ecclesiæ circa facta.....	377
PROP. Vi promissionum Christi, Ecclesia in factis dogmaticis, seu in intelligendo et proponendo naturali librorum sensu, infallibiliter judicat.....	380
ART. IV. De auctoritate Ecclesiæ in canonizatione et beatificatione sanctorum.....	386
PROP. Solemne Ecclesiæ iudicium circa sanctorum canonizationem est infallibile.....	388

PARS TERTIA.

De capite et membris Ecclesiæ.....	391
CAP. I. De capite Ecclesiæ.....	<i>ib.</i>
ART. I. De primatu B. Petri.....	392
PROP. Beatus Petrus accepit a Christo præminentiam auctoritatis supra omnes alios Apostolos.....	393
ART. II. De primatu Romani pontificis.....	401
PROP. I. Beatus Petrus sedem suam transtulit Romam, et ibi eam tenens mortuus est.....	402
PROP. II. Romanus pontifex, tanquam beati Petri successor, primum honoris et jurisdictionis habet jure divino in tota Ecclesia.....	404
ART. III. De monarchia Romani pontificis.....	414
ART. IV. De prærogativis dignitati summi Pontificis annexis.....	417
§ I. De prærogativis Romani pontificis certis et communiter admissis.....	<i>ib.</i>
<i>Sectio</i> I. De centro unitatis catholicæ.....	418
PROP. Romanus pontifex est centrum totius unitatis catholicæ.....	<i>ib.</i>
<i>Sectio</i> II. De potestate edendi fidei decreta et condendi leges	

	Pagin.
quæ cunctos obligent Christianos.....	420
PROP. Summus Pontifex potest, ratione sui primatus, edere fidei decreta et condere leges quæ cunctos obligent Christianos.....	420
<i>Sectio</i> III. De potestate dispensandi a legibus conciliorum.....	422
PROP. Summus Pontifex ab omnibus etiam conciliorum generalium legibus dispensare potest, quando legitime dispensandi est locus.....	<i>ib.</i>
<i>Sectio</i> IV. De potestate concilia œcumenica convocandi, celebrandi ac confirmandi.....	423
PROP. Concilium generale vim irrefragabilem non habet, nisi auctoritas summi Pontificis ei accedat, saltem per consensum.....	<i>ib.</i>
<i>Sectio</i> V. De jure appellationum.....	425
PROP. Summus Pontifex, non tantum jure ecclesiastico, sed vi eminentis sui primatus, causas majores fidei et disciplinæ generalis ad se evocare et appellationes episcoporum suscipere potest.....	<i>ib.</i>
<i>Sectio</i> VI. De potestate episcopos instituendi.....	426
PROP. I. Institutio canonica, ab ecclesiastica potestate accepta, est omnino necessaria in genere.....	<i>ib.</i>
PROP. II. Solutus pontifex Romanus potest jure divino instituere episcopos per orbem universum.....	428
<i>Sectio</i> VII. De natura jurisdictionis quam summus Pontifex habet in tota Ecclesia.....	433
PROP. Summus Pontifex immediatam habet jurisdictionem per totum orbem Christianum.....	<i>ib.</i>
§ II. De prærogativis summi Pontificis controversis.....	435
<i>Sectio</i> I. De potestate summi Pontificis in temporalibus regum.....	<i>ib.</i>
Notanda maximi momenti.....	440
<i>Sectio</i> II. De infallibilitate summi Pontificis.....	445
<i>Sectio</i> III. De potestate summi Pontificis respective ad concilium generale.....	449
<i>Sectio</i> IV. De celebri cleri Gallicani Declaratione anni 1682, et de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.....	452
<i>Punct.</i> I. Hist. Declarationis cleri Gallicani an. 1682.....	<i>ib.</i>
<i>Punct.</i> II. De genuino sensu Declarationis cleri Gallicani anni 1682.....	458
<i>Punct.</i> III. De auctoritate Declarationis anni 1682.....	460
<i>Punct.</i> IV. De libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.....	463
CAP. II. De membris Ecclesiæ.....	467
ART. I. De infidelibus, catechumenis et apostatis.....	468
ART. II. De hæreticis et schismaticis.....	469
ART. III. De excommunicatis.....	472
ART. IV. De prædestinatis et reprobis.....	473
PROP. Nec omnes, nec soli prædestinati ad Ecclesiam pertinent.....	474
ART. V. De peccatoribus et justis.....	475
PROP. Peccatores etiam insignes et manifesti vere sunt de corpore	

506

508

INDEX.

	Pagin.
Ecclesia	476
COMPENDIUM HISTORICUM I. De schismate anni 1791.....	478
COMPENDIUM HISTORICUM II. De Concordato anni 1801 et de secta qua dicitur <i>la Petite Eglise</i>	485
§ I. De Concordato.....	ib
§ II. De secta qua dicitur <i>la Petite Eglise</i>	491
COMPENDIUM HISTORICUM III. De conciliis generalibus.....	495



EXPLICIT TOMUS PRIMUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
 CAPILLA ALFONSO DE BORBÓN Y BORBÓN
 6-16-83 MICROFILM A B O 71-



1080045969

